TRACTATUS DOGMATICUS

DE POENITENTIA

TOM. I. DE SACRAMENTO ET VIRTUTE

EMMANUEL DORONZO, O.M.I.
S.T.D., PH.D.

Associate Professor of Theology
The Catholic University of America

EX TYPOGRAPHIA BRUCE
Milwaukee

Imprimi potest: STANISLAS LAROCHELLE, O.M.I., Superior Provincialis
Nihil obstat: JOSEPH C. FENTON, Censor Deputatus
Imprimatur: ✠ JOANNES M. MCNAMARA, D.D., Episcopus Eumeniae, Administrator Archidioecesis Baltimorensis et Washingtoniensis
September 5, 1947

Printed in the United States of America

IN MEMORIAM

RODERICI CARDINALIS VILLENEUVE, O.M.I.

"Secunda post naufragium tabula" (*Hieronymus*, Ep. 130, 9).

"Laboriosus Baptismus" (*Conc. Trid.*, sess. 14, c. 2).

SEGRETERIA DI STATO
DI
SUA SANTITÀ

Ex Aedibus Vaticanis
die 4 Martii 1948

Admodum Reverende Pater,

Ex munere ad Augustum Pontificem abs te datum tui voluminis, cui inscriptio "De Eucharistia", Is perspexit, quo alacri et pio studio catholici dogmatis doctrinam excolas et proferas.

Sanctitas Sua gratias tibi quam plurimas persolvens, quod huiusmodi officio te pietatis et reverentiae in Apostolicam Sedem decore exornari demonstrasti, gratulatione Sua prosequitur opus, quod perfecisti, cum id nec doctrinae laude, nec in disserendo subtilitate neque eloquii claritate careat.

Auspicem divinorum munerum, habeto Apostolicam Benedictionem, quam Beatissimus Pater tibi amanter impertit.

Interea qua par est observantia me profiteor

tibi addictissimum

J. B. Montini
Subst.

Admodum Reverendo Patri
Emmanueli Doronzo O.M.I.
Professori in Catholica
Universitate Studiorum
Washingtoniensi

PRAEFATIO

Cum vero gaudio hanc brevem praefationem scribo pro tractatu de Poenitentia scripto a Rev. Patre Emmanuele Doronzo O.M.I. qui Romae discipulus meus dilectus fuit. Optimus studens erat, jam aciem mentis suae figebat in altiora principia. Sed ab isto tempore, multum profecit, docendo; et nunc, ut patet ex praesenti volumine, valde expertus est tum in theologia positiva, tum in speculativa, quas feliciter conjungit, attente considerando deinde applicationes ad praxim.

Haec prima pars tractatus de Poenitentia eandem eruditionem ac penetrationem manifestat ac volumina prius edita de Sacramentis in genere, de Baptismo et Confirmatione, de Eucharistia ut est sacramentum et ut est sacrificium. Secundum methodum theologiae positivae auctor diligenter tractat de poenitentia prout importat non solum efficacitatem remittendi peccata, sed etiam propriam et jurisdictionalem potestatem id efficiendi. Optime agit de veritate, origine, indole et progressiva interpretatione hujus potestatis, contra Protestantes tam conservatores quam ac praesertim liberales, qui maxime rejiciunt socialem et potestativam indolem Ecclesiae, signanter demonstratam in collatione et exercitio potestatis clavium.

P. Emmanuel Doronzo non separat, nec solum juxtaponit diversas partes hujusce tractatus, scil. de virtute poenitentiae, de sacramento poenitentiae, et de potestate clavium; sed merito haec omnia logice et formaliter per modum unius considerat sub ratione sacramenti, ut facit S. Thomas. Propterea convenienter conjungit in unam quaestionem utramque institutionem sacramenti et potestatis clavium. Media pars hujusce voluminis est de ipsa virtute Poenitentiae ad introducenda ea quae postea dicentur de materia sacramenti quae tota vivificatur ab hac virtute, nam, ut docet S. Thomas, omnes tres actus poenitentis sunt actus eliciti a supernaturali virtute Poenitentiae. Haec ordinarie insufficienter proponuntur in operibus modernis. P. Emmanuel Doronzo optime inquirit et determinat objectum formale hujusce virtutis poenitentiae et essentialem supernaturalitatem ejus.

Unde in hoc volumine agitur de Poenitentia modo potius generali prout est sacramentum et prout est virtus. In secundo et tertio volumine agetur de materia et forma sacramenti, seu de tribus actibus poenitentis et de absolutione, in quarto volumine vero de causis

extrinsecis, seu de effectu, ministro, subjecto, potestate clavium, indulgentiis.

Jam tractatus de poenitentia quem volebat perficere S. Thomas in fine suae vitae erat valde extensus; item tractatus praesens, sed in fine, ut puto, P. Emmanuel Doronzo per modum recapitulationis dabit synthesim horum omnium, quae prius debebant analytice considerari.

Opto auctori magnum fructum pro tanto labore cum zelo animarum adimpleto.

Fr. Reginaldus Garrigou-Lagrange, O.P.

Collegio Angelico, Romae
7 Martii 1948
In festo S. Thomae Aquinatis

ORDO PARTIUM

DE POENITENTIA

Tom. I. De Sacramento et Virtute

INDICES

DE SACRAMENTO POENITENTIAE

INTRODUCTIO

"Quartum sacramentum est Poenitentia",[1] ordine non perfectionis aut necessitatis, sed naturae.[2]

Triplex enim numeratur genus sacramentorum,[3] unum respiciens hominem individualiter et per se (Baptismus, Confirmatio, Eucharistia), aliud respiciens hominem individualiter sed per accidens (Poenitentia et Extrema Unctio), tertium respiciens hominem socialiter (Ordo et Matrimonium).

Ad perficiendum quidem hominem individualiter sufficerent per se tria priora sacramenta, per quae vita spiritualis generatur, augetur et consummatur; sed quia ob debilitatem naturae et labilitatem liberi arbitrii homo incurrit interdum in peccatum, quod est quaedam spiritualis infirmitas, miserentissimus Salvator, naturam ipsam sapienter aemulatus, tamquam bonus Samaritanus spiritualibus vulneribus sacramentalia apposuit medicamenta, *POENITENTIAM* scilicet, qua sanitas gratiae *tamquam per reviviscentem BAPTISMUM* restituitur, et *EXTREMAM UNCTIONEM*, qua pristina valetudo *tamquam per reviviscentem CONFIRMATIONEM* reintegratur.

Ad rem *Magister Sententiarum*, introducens tractationem huius sacramenti: "Post haec, de Poenitentia agendum est. Poenitentia longe positis a Deo necessaria est, ut propinquent. Est enim, ut ait Hieron., secunda tabula post naufragium, quia si quis vestem innocentiae in Baptismo perceptam peccando corruperit, Poenitentiae remedio reparare potest. Prima tabula est Baptismus, ubi deponitur vetus homo, et induitur novus; secunda, Poenitentia, qua post lapsum resurgimus, dum vetustas reversa repellitur, et novitas perdita resumitur."[4]

Exinde patet *momentum et praestantia* hujus sacramenti eiusque considerationis.

[1] *Conc. Flor.*, Decr. pro Armenis, Denz. 699; cf. *Conc. Trid.*, sess. 7, can. 1, Denz. 844.
[2] In tractatu De sacr. in gen., art. 43, dictum est Poenitentiam esse sextum sacramentum, ordine perfectionis et dignitatis, secundum vero (vel tertium) ordine necessitatis.
[3] Cf. tractatum De sacr. in gen., art. 42.
[4] Sent., l. 4, dist. 14, n. 1.

Primo enim, uni Baptismo Poenitentia cedit quoad *necessitatem;* unde ab ipso primo sacramento nomen accipit secundi baptismi et secundae tabulae salutis.

Ad rem *Catechismus Conc. Trid.*, p. 2, c. 5, q. 1: "Quemadmodum humanae naturae fragilitas et imbecillitas omnibus nota est, eamque in seipso quisque facile experitur: ita, quantam habeat necessitatem poenitentiae sacramentum ignorare nemo potest. . . De hoc sacramento, quam de baptismo, eo accuratius agendum est, quod baptismus semel tantum administratur, nec iterari potest; poenitentiae vero toties locus datur, ejusque repetendae toties necessitas imposita est, quoties post baptismum peccare contingat. Ita enim a Tridentina Synodo dictum est, sacramentum poenitentiae non secus lapsis post baptismum, ac baptismum nondum regeneratis ad salutem necessarium esse: vulgataque illa *S. Hieronymi* sententia ab omnibus, qui deinceps res sacras tradiderunt, magnopere conprobatur, poenitentiam esse *secundam tabulam post naufragium*. Ut enim confracta navi unum vitae servandae perfugium reliquum est, si forte tabulam aliquam de naufragio liceat arripere: ita post amissam baptismi innocentiam, nisi quis ad poenitentiae tabulam confugiat, sine dubio de ejus salute desperandum est."

Secundo, hujus sacramenti *utilitas* tanta est ut "omnibus fere piis persuasum sit, quidquid hoc tempore sanctitatis, pietatis et religionis in Ecclesia summo Dei beneficio conservatum est, id magna ex parte confessioni tribuendum esse; . . . [ac propterea] humani generis hostem, quum fidem Catholicam funditus evertere cogitaret, per ministros impietatis suae et satellites hanc veluti christianae virtutis arcem totis viribus oppugnare conatum esse."[5]

Tertio, in hoc sacramento, sicut in ipso mysterio Incarnationis, quod est omnium sacramentorum exemplar, mirabiliter *manifestantur duo suprema attributa Providentiae divinae, Misericordia nempe et Iustitia,* in quae cetera omnia resolvuntur, juxta illud Psal. 24, 10: "Universae viae Domini, misericordia et veritas".

Sicut enim mysterium redemptionis consummatum est, in actu primo et universaliter, veluti per concurrentia merita Divinitatis et humanitatis, hac quidem tribuente passionem, illa vero addente infinitum valorem, ita mysterium spiritualis sanationis consummatur in actu secundo et individualiter per concurrentes actiones Dei miserentis et hominis poenitentis; et quemadmodum mysterium redemptionis fundatur in mysterio Incarnationis, in qua duae naturae, divina et humana, in unitate personae copulantur, ita mysterium spiritualis sanationis

[5] *Catechismus Conc. Trid.*, p. 2, c. 5, q. 36.

fundatur in peculiari indole hujus sacramenti, in quo (non secus ac in Matrimonio) elementum humanum copulatur elemento divino in una ratione signi practici gratiae.[6]

I. OBJECTUM TRACTATUS

Definitio nominalis.

Pluribus nominibus hoc sacramentum in Scriptura et Traditione designatur:

Ex parte formae dicitur sacramentum *absolutionis* (apud doctores medii aevi).

Ex parte materiae dicitur:

Confessio, vel Confessio peccatorum, vel Sacramentum confessionis (haec expressio invenitur iam apud doctores medii aevi; cf. Conc. Veronense, Denz. 402, Petrum Damianum, Serm. 58 et 69,[7] M.L. 144, 834 et 901); quae voces hodie satis communiter apud vulgus usurpantur. Eumdem fere sensum habet vox *Exomologesis* (ἐξομολόγησις),[8] communiter adhibita apud Graecos tam antiquos quam modernos. Ea utuntur etiam *Tertullianus* (De Poenit. 9), *Cyprianus* (De lapsis, 16), et probabiliter jam *Irenaeus* (Adv. haer., 1, 10, 1), ad designandum totum complexum exterioris poenitentiae.

Poenitentia, vel Sacramentum Poenitentiae. Haec expressio, cujus sensus infra explanabitur, coepit adhiberi inde a saec. 12 ac paulatim tam communis evasit ut in ipsis documentis Ecclesiae consecrata sit. Inepte autem eam carpsit unus vel alius ex antiquioribus theologis, qui maluit ei substituere appellationem sacramenti remissionis.

Μετάνοια. Est frequentissima expressio Graecorum, de cujus sensu infra dicetur.

Baptismus laboriosus (Greg. Naz., Orat. 39, 17; 40, 8). Ratio hujus vocis est quia in hoc sacramento, secus ac in Baptismo, requiritur confessio et satisfactio, ac pro tanto (seu indirecte) etiam major dolor. Ad rem *Conc. Trid.*, sess. 14, cap. 2: "Per baptismum . . . plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequimur: ad quam tamen novitatem et integritatem per sacramentum poenitentiae, sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente iustitia, pervenire nequaquam possumus, ut merito *poenitentia laboriosus quidam baptismus* a sanctis Patribus dictus fuerit" (Denz. 895). *Salmanticenses:* "Plura . . . quam in baptismo, occurrunt in sacramento poeni-

[6] Cf. q. 84, a. 1.
[7] Sermo 69 nunc adiudicatur *Nicolao Claraevallensi* (medio saec. 12).
[8] Cf. *Zorell,* Lexicon Graecum Novi Testamenti.

tentiae humanae fragilitati molesta: nam discutienda est conscientia: oportet instantius insistere in odium peccatorum propter majorem deformitatem saltem ingratitudinis in relapsu post beneficium baptismi commisso; aperienda sunt omnia specie, et numero peccata sacerdoti, in quo occurrit non mediocris erubescentia, et humiliatio: ac denique adimplendum adhuc est opus satisfactionis injunctum. Quae omnia expedit perfectius, et intensius exercere, ut restituamur ad illam renovationis plenitudinem, quam baptismus absque his molestiis induxit."[9]

Ex parte effectus dicitur:

Sacramentum reconciliationis (Sacramentarium Gelasianum, 38, M.L. 78, 1098), vel Reconciliatio.

Sacramentum remissionis (apud doctores medii aevi).

Baptismus laboriosus (ut supra), seu *lavacrum lacrimarum*.

Iterabilis baptismus (Augustinus).

Secundus baptismus, seu *iterata generatio* (Clemens Alex., Quis dives salvetur, 42).

Secunda tabula post naufragium. Haec est celebris et antiqua expressio, qua signanter utuntur *Conc. Trid.*, sess. 6, cap. 14; sess. 14, can. 2; *Catechismus Conc. Trid.* (supra cit., p. 2); *S. Thomas* (in speciali articulo 6), *Petrus Lombardus* (Sent., l. 4, dist. 14, supra cit., p. 1), *Hieronymus* (Epist. 130, 9: "Illa [i.e. Poenitentia] quasi secunda post naufragium miseris tabula sit", M.L. 22, 1115), *Ambrosius* (De lapsu virginis, 8, 38: "Inhaere [Poenitentiae] tanquam in naufragiis tabulae", M.L. 16, 395), *Tertullianus* (De Poenit. 4: "Eam [i.e. Poenitentiam] tu peccator . . . sic amplexare, ut naufragus alicujus tabulae fidem", M.L. 1, 1343; cf. 12, ibid. 1360).

Ex parte accidentalis caeremoniae dicitur:

Disciplina. Quo verbo fit allusio ad poenitentialem disciplinam seu ordinem publicae poenitentiae.

Manuum impositio. Haec appellatio (quandoque expressa verbis "impositio reconciliatoria", ut distingueretur ab impositione manuum quae adhibetur in sacramentis Ordinis et Extremae Unctionis) alludit ad caeremoniam qua usque ad medium aevum impertiebatur absolutio in poenitentia tum publica tum etiam privata; ejus vestigium nunc manet in elevatione et extensione manus sacerdotis versus poenitentem. Ad rem *Augustinus,* De baptismo, 3, 16: "Manus autem impositio non sicut Baptismus repeti non potest. Quid est enim aliud nisi oratio super hominem?"[10] (M.L. 43, 149). Item *Cyprianus,* De lapsis, 16: "Ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, ante pur-

[9] De Poenitentia, disp. 7, dub. 1, § 6, n. 50, Parisiis, 1883, p. 70 sq.
[10] Cf. tract. De Baptismo et Confirm., p. 356 et 361.

gatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis, ante offensam placatam indignantis Domini et minantis, vis infertur corpori ejus et sanguini" (M.L. 4, 493).

Praecipua tamen et insigniora nomina hujus sacramenti in usu ecclesiastico sunt Poenitentia apud Latinos et Μετάνοια *apud Graecos.* In quibus distinguendum est inter nominis etymologiam et nominis impositionem seu nominis significationem simpliciter dictam.

De POENITENTIA (quae de tribus dicitur, i.e. de sacramento, de virtute et de operibus satisfactoriis) quoad *nominis etymologiam* triplex habetur sententia, una Protestantium, duplex catholicorum.

Plures Protestantes post *Erasmum* (Adnotat. in cap. 5 Matthaei), ut etiam ex vi etymologica nominis firmarent suam sententiam de poenitentia consistente non in dolore de commissis sed in sola mutatione vitae, derivarunt nomen Poenitentiae a *"pone tenere",* ita ut idem significet ac "posterius intelligere" vel "posterius consilium tenere" (sicut vox graeca Μετάνοια), et exinde, veluti per immediatam derivationem, seu primam nominis impositionem, "mutare consilium" et "resipiscere". Quidquid sit de hac arbitraria etymologia, nullatenus ipsa favet proposito Protestantium; nam sensus nominis non tam ex etymologia quam ex impositione dijudicandus est, de qua infra dicetur.

Communissima sententia catholicorum est nomen Poenitentiae derivari ex "poena" seu *"poenam tenere"* (poena teneri) vel *"poenire"* (usurpato verbo poenio pro punio), ita ut sonet poenae tenentiam vel punientiam, ac significet poenam subire pro commissis vel punire in se quod a se commissum est; in qua significatione includitur virtualiter et praesuppositive displicentia de commissis et mutatio consilii, ex quibus procedit praedictum desiderium vindictae et emendationis.

Ita iam antiquus *auctor libri De vera et falsa poenitentia* (inter apocrypha Augustini[11] 19, 35, scribens: "Continue enim dolendum est de peccato, quod declarat ipsa dictionis virtus. Poenitere enim est, poenam tenere: ut semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando. Poena enim proprie dicitur laesio, quae punit et vindicat quod quisque commisit. Ille poenam tenet, qui semper vindicat quod commisisse dolet. Poenitentia itaque est vindicta semper puniens in se quod dolet commisisse" (M.L. 40, 1128 sq.).

Ita praecipue *Isidorus Hisp.*, quem citant et sequuntur posteriores theologi, inquiens: "Poenitentia appellata, quasi *punitentia,* eo quod ipse homo in se puniat poenitendo quod male admisit; nam nihil aliud agunt, quos veraciter poenitet, nisi ut id quod male fecerunt impunitum

[11] Auctor hujus libri est probabiliter ipso S. Isidoro Hisp. posterior. Quidam eruditi hoc opus referunt ad annum 1100 circiter.

esse non sinant. Eo quippe modo sibi non parcentibus ille parcit, cujus altum justumque judicium nullus contemptor evadit" (M.L. 82, 258).

M. Cano, Relect. de poenit. sacr., p. 1, n. 3: "Poenitentiam a poena derivari nemo est qui possit ambigere; poena autem vindicta quaedam est praeteritae culpae. Unde et prisci auctores verbum *poenio* pro eo quod *punio* usurpavere. Sed et quum rerum male gestarum, quasi vindicante natura, ipsi intra nos de nobis supplicium sumimus, tum *poenitere* proprie dicimur".

Salmanticenses, De Poenit., Prooemium, n. 1: *"Poenitentia* itaque, ut selectiores graecae et latinae linguae docent Magistri, descendit a verbo *Poenitere.* Poenitere autem idem sonat, ac poenam tenere, non qualiumcumque, sed praeteritorum: quatenus poenitens interna dolendo, et retroacta detestando, luit poenam vel voluntarie adscitam, vel externe ab alio prudenter taxatam."[12]

Eamdem etymologiam sequuntur plures moderni, uti *Gihr, Einig, Hugon, Diekamp* et *Knabenbauer,* qui scribit: "Latinum poenitere, poenitentiam agere bene exprimit notionem μετανοεῖν; quem autem noxarum vere poenitet, is quoque paratus est et promptus ut eas in se ipso puniat et pro culpis admissis satisfaciens errata resarciat ac deleat".[13]

Quidam moderni, ut *Bréal-et-Bailly,*[14] *Galtier, D'Alès, Tanquerey, E. Amann,*[15] *Boyer,* dicunt nomen Poenitentiae derivari a *paene* vel *paenitus* (juxta antiquiorem, ut aiunt, lectionem vocis, quae est Paenitentia, non Poenitentia) ac proinde significare aliquid intimum quod cor afficit (paenitus vel penitus: profunde, intime, complete, ultra, ex corde) et, per immediatam derivationem, intimum animi taedium vel dolorem de commissis (in quo connotatur in obliquo mutatio consilii), ita ut sensus vocis latinae Paenitentiae fere coincidat cum sensu vocis graecae μετάνοια, quae exprimit in recto mutationem consilii connotando in obliquo ipsum animi dolorem.

Ad rem *Galtier:* "Nomen *paenitentia,* quod antiqui a '*poena*' derivabant, . . . recentiores dicunt originem habere a voce 'paene, paenitus', ita ut 'paenitentia', ex primaeva sua significatione, dicat in recto intimum animi taedium vel animi dolorem de priori aliquo voluntatis actu, connotata tamen in obliquo mutatione consilii exinde orta: 'Paenitere tunc dicere solemus, cum quae ipsi fecimus, aut quae de nostra voluntate nostroque consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere, sententiamque in iis nostram demutamus' [*A. Gellius,* Noct.

[12] Cursus Theol., t. 19, Parisiis, 1883, p. 1.
[13] Comm. in Matth. (3, 2), Parisiis, 1903, p. 125.
[14] Dict. Etym., latin, Paris, 1886.
[15] In Dict. Théol. Cath., art. Pénitence, col. 722 sq.

att. 17, 1]. Brevius *Tertullianus* paenitentiam, ex usu, ut ait, gentilium, definit 'passionem animi quamdam quae veniat de offensa sententiae prioris' (De paenit. 1, 1).

"Nomen graecum μετάνοια, quod, ex verbo μετανοεῖν, mutationem consilii significat in recto, haud raro adhibetur sensu illo etymologico et absoluto. In obliquo tamen connotat eam prioris actus detestationem, quam vox 'paenitentia' dicit in recto."[16]

Attamen argumenta ab his auctoribus allata non convincunt nec sufficientem constituunt rationem quare recedendum sit a communiori et traditionali sententia. Ratio lectionis graphicae (Paenitentia), etsi concedatur antiquior, non convincit. Vox *paene* (i.e. fere) non videtur quomodo ducat ad sensum intentum ab his doctoribus. Ipsa vox *paenitus* (i.e. intime) est tantum adverbialis nec ideo apparet quomodo involvat conceptum alicuius actionis (intime dolere) vel effectus (intimus dolor). Adductae auctoritates *Gellii et Tertulliani* non agunt de etymologia nominis sed de ejus usu seu impositione.

Quidquid sit de etymologia, *ad nominis impositionem quod attinet, Protestantes,* ex eodem supradicto proposito, totis viribus contendunt Poenitentiam accipi pro sola consilii immutatione seu novo vitae proposito, non vero etiam pro actu detestationis peccati commissi et congruae illius expiationis, ut defendunt *catholici omnes doctores cum Conc. Trid.* (sess. 14, cap. 4 et can. 13).

Ad quam sententiam firmandam Novatores invocant sensum etymologicum tum vocis latinae poenitentiae (ita Erasmus; cf. supra, p. 5), tum ac praecipue vocis graecae μετάνοια (ita, post Laurentium Valla, Erasmus, Lutherus, Calvinus, Beza, et alii communiter, etiam inter modernos) quae sonat mutationem consilii quaeque redditur a Vulgata voce poenitentiae (inepta quidem, ut aiunt, translatione, si poenitentia deducitur a "poena tenere", apta vero si deducitur a "pone tenere"), tum etiam vocis hebraicae שוב (schub: reverti vel converti; de qua infra, p. 12) (Theodorus Beza) quam similiter Vulgata vertit "agere poenitentiam".

Propterea Novatores generatim conati sunt vocem poenitentiae (quam vident non facile posse ad suum sensum detorqueri) expellere tum a versionibus Scripturae, tum ab usu liturgico et theologico, eique substituere multiplices alias voces quae non includunt conceptum satisfactionis et propius exprimunt ideam conversionis, seu mutationis mentis aut vitae. Jam Melanchthonius vocibus "Poenitentia" et "Poenitere" valedicere coepit, quod ipse Lutherus facere ausus non est; Calvinus, longius procedens, fere nunquam illis vocibus utitur

[16] De Paenitentia, Introductio, 1, Parisiis, 1931, p. 1.

sed gallicis expressionibus "repentance, repentir, amendement, s'amender"; Beza praefert vocem "resipiscentia"; moderni angli et germani praeferunt voces "repentance, to repent, conversion, to forthink, busse, reue, bekehrung, umkehr, sinnesänderung".[17]

De Laurentio Valla, Erasmo et Beza, haec accipe ex *Bellarmino:*

"*LAURENTIUS VALLA,* qui veluti praecursor quidam Lutheranae factionis videtur fuisse, in Annotationibus ad cap. 7. posterioris ad Corinth. scribit, elegantiores voces esse μετάνοιαν, et μεταμέλειαν graecas, quam Poenitentiam, latinam, quia Poenitentia significet tristitiam commissi, illae mentis emendationem: atque inde colligit, nihil agere eos, qui ex eo Pauli loco triplicem inducant Poenitentiam, unam quae sit contritio; alteram, quae sit confessio; tertiam quae sit satisfactio, cum apud Paulum duae illae voces μετάνοια, et μεταμέλεια tantum inveniantur.

"*ERASMUS,* qui alter praecursor Lutheri dici potest, in Annotationibus novi Testamenti ad cap. 3. Matth. et alibi frequentissime, mavult, resipiscere et resipiscentiam, quam "Poenitere" et "Poenitentiam", esse vertendum, ubi legimus μετανοεῖν, et μετάνοια. 'Nostrum vulgus', inquit, 'putat esse Poenitentiam agere; praescripta poena quapiam: luere commissa: quod apud Christianos, qui publice peccassent, ejecti e consortio propalam affligerentur eaque satisfactio sive poena, poenitentia vocari coepta. Qua quidem ex re non mediocris error theologis quibusdam obrepsit, qui quod Augustinus de Poenitentia, hoc est, publica satisfactione scripsit, ad animi dolorem, quam contritionem vocant, detorquent. Alioqui μετάνοια dicta est a μετανοεῖν, hoc est, a posterius intelligendo, ubi quis lapsus, re peracta tum demum animadvertit erratum suum'. Et infra, non solum vocem graecam μετάνοιαν resipiscentiam sonare contendit, quod multi alii fecerunt, et inter alios Lutherus ipsum Erasmum auctorem citans in Resolutionibus: sed etiam, Poenitentiam, quod forte nullus est ausus, in resipiscentiam transformare conatur. Vult enim et hoc loco in cap. 3. Matth. et infra in cap. 7. posterioris ad Cor. non a poena, sed a pone tenendo, Poenitentiam ductam; quasi nihil sit aliud poenitere, nisi posterius consilium tenere; sive, ut ipse loquitur, intelligere post factum, unde et Graecis dicta est Metanea.

"*THEODORUS BEZA* annot. ad 3. cap. Matth. interpretationem eorum reprehendens, qui illud, μετανοεῖτε non verterunt, Resipiscite, sed poenitentiam agite; ita loquitur: 'Quam interpretationem multas ob causas repudio, sed ob eam potissimum, quod multi imperiti occasionem ex hoc dicendi genere arripuerint falsarum opinionum de satisfactione, quibus hodie agitatur Ecclesia'."[18]

LUTHERUS in sua *epistola ad Stupitium,* vicarium generalem sui ordinis, a. 1518, gloriatur se ex studio eruditissimorum virorum (Erasmi nempe et Laurentii Valla) didicisse vocem Poenitentiae non significare, ut olim putabatur, odium vel displicentiam vitae anteactae, sed tantum justitiae et novae vitae amorem. Ad rem ipse: "Post haec accessit, quod studio et gratia eruditissimorum virorum, qui nobis Graeca et Hebraica, officiosissime tradunt, didici, idem verbum Graece μετάνοια dici, a μετά et νοῦν, id est, a 'post' et 'mentem', ut sit poenitentia seu μετάνοια resipiscentia, et post acceptum damnum et cognitum errorem, intelligentia sui mali, quod sine mutatione affectus et amoris fieri est impossibile. Quae omnia Paulinae theologiae ita respondent apte, ut nihil ferme aptius Paulum illustrare possit, meo saltem judicio. Denique profeci et vidi, μετάνοια non modo a 'post' et 'mentem', sed a 'trans' et 'mentem' posse deduci (sit sane violentum), ut μετάνοια

[17] Cf. *A. H. Dirksen,* The New Testament Concept of Metanoia, Washington, D. C., 1932, p. 220–225.
[18] De Poenitentia, l. 1, c. 7, Opera omnia, t. 3, Mediolani, 1859, p. 596.

transmutationem mentis et affectus significet, quod non modo affectus mutationem sed et modum mutandi, id est, gratiam Dei videbatur spirare. Nam transitus ille mentis, id est, verissima poenitentia, celeberrimus est in sacris litteris, ut quem phase illud vetustum, olim significavit. Christus exhibuit, et longe ante Abraham quoque figuravit, quando transitor, id est, Ebraeus, vocari coepit, trajectus scilicet in Mesopotamiam, ut Burgensis docte docet. Huic et titulus ille Psalmi concinit, ubi Idithum, id est transiliens, cantator inducitur. His inhaerens ausus sum putare, eos falsos esse, qui operibus poenitentiae tantum tribuerunt, ut poenitentiae vix reliquum nobis fecerint praeter frigidas quasdam satisfactiones et laboriosissimam confessionem Latino scilicet vocabulo abducti: quod poenitentiam agere, actionem magis sonet, quam mutationem affectus, et Graeco illi μετάνοια nullo modo satisfacit."[19]

In *Serm. 2 de Poenitentia* ait nihil amarum in poenitentia inveniri sed omnia lenia et grata, eamque definit his verbis damnatis a Leone X: "Verissimum est proverbium et omnium doctrina de contritionibus huc usque praestantius: de cetero non facere, summa poenitentia: optima poenitentia, nova vita" (Denz. 747).

CALVINUS, Instit. christ., c. 9, n. 4: "Poenitentiae nomen Hebraeis a conversione, Graecis a mentis consiliique mutatione deductum est. Nec utrique etymologiae res ipsa male respondit; cujus summa est, ut a nobis demigrantes ad Deum convertamur, et deposita pristina mente novam induamus. Quamobrem non male meo quidem judicio, sic poenitentia definiri poterit; esse veram ad Deum vitae nostrae conversionem, a sincero serioque Dei timore profectam, quae carnis nostrae veterisque hominis mortificatione et spiritus vivificatione constet."[20]

In Comm. in Act. Apost., 2, 38: "'Poenitentiam agite'. Major verbo graeco subest emphasis; nam conversionem mentis sonat, ut totus homo innovetur et alius fiat. Quod diligenter notandum est: quia misere corrupta fuit haec doctrina sub papatu. Nam poenitentiae nomen fere ad externos nescio quos ritus transtulerunt. Balbutiunt quidem nonnihil de ficta contritione cordis, sed eam partem quasi defunctorie attingunt. Praecipue autem insistunt in externa corporis exercitia, quae, etiamsi nihil inesset vitii, parum momenti haberent. Atqui, nihil propemodum inculcant praeter commentitias nugas, quibus inutiliter homines fatigantur. Quare sciamus hanc esse veram poenitentiam, dum spiritu mentis suae innovatur homo, quemadmodum Paulus docet duodecimo ad Romanos (v. 2)."[21]

Attamen inaniter Novatores ad etymologicas cavillationes recurrunt, tum quia etymologia, etiam vocis graecae, implicat saltem indirecte actum detestationis ex quo provenit mutatio consilii et desiderium punitionis, tum praesertim quia sensus alicuius vocis non tam ex etymologia quam ex usu dijudicandus est, ex quo provenit impositio nominis.

Jamvero ex usu tam prophano quam sacro manifeste patet poenitentiae nomen importare utrumque actum detestationis et emendationis.

Inter *usus profani* testimonia, praeter verba *Gellii* et *Tertulliani* supra citata (p. 6 sq.), accipe sequentia: *Ovidius,* Ex Ponto Epist. I, 1, 57–60: "Dii saepe levant poenas, ereptaque lumina reddunt, cum bene peccati paenituisse vident. Paenitet, o, si quid miserorum creditur ulli, paenitet et facto torqueor ipse meo". *Cicero,* Tusc. 4, 37: "Alexandrum regem vidimus, qui cum interemisset Clytum familiarem

[19] *Enders,* Luthers Briefwechsel, v. 1, p. 197.
[20] Corpus Reformatorum, v. 29, Calvini Opera omnia, v. 1, Brunsvigae, 1863, col. 688.
[21] Corpus Reformatorum, v. 48, Calvini Opera omnia, v. 20, Brunsvigae, 1892, col. 51.

suum, vix a se manus abstinuit, tanta vis fuit poenitendi". *Ausonius*, Epigr. 12, Poenitentiam uti deam depingens, inquit: "Sum dea, quae facti, non factique exigo poenas. Nempe ut poeniteat, sic Metanaea vocor."

Inter *usus sacri* testimonia, praeter verba *Auctoris libri de vera et falsa poenitentia* et *Isidori Hisp.* supra citata (p. 5) et textus *Scripturae* infra citandos, ubi de voce graeca *μετάνοια* quae in versione latina redditur voce poenitentiae, accipe sequentia:

Cyprianus, De lapsis, 32 et 35: "Agite poenitentiam plenam, dolentis ac lamentantis animi probate moestitiam. . . Poenitentes ac dolentes peccata vestra perspicite, gravissimum conscientiae crimen agnoscite. . . Quam magna deliquimus, tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens et longa medicina non desit. Poenitentia crimine minor non sit" (M.L. 4, 507).

Lactantius, Div. Instit. 6, 24: "Is enim quem facti sui poenitet, errorem suum pristinum intelligit; ideoque Graeci melius et significantius *μετάνοιαν* dicunt, quam nos latine possimus resipiscentiam dicere. Resipiscit enim, ac mentem suam quasi ab insania recipit, quem errati piget; castigatque seipsum dementiae, et confirmat animum suum ad rectius vivendum: tum illud ipsum maxime cavet, ne rursus in eosdem laqueos inducatur" (M.L. 6, 722 sq.).

Augustinus, Serm. 351, 5, 12: "Non . . . sufficit mores in melius commutare, et a factis malis recedere; nisi etiam de his quae facta sunt, satisfiat Deo per poenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium. . . Non enim dictum est, ut tantum abstineamus a peccatis: 'Sed et de praeteritis', inquit, 'deprecare Dominum, ut tibi dimittantur' (Eccli. xxi, 1). Et Petrus jam erat fidelis, jam in Christo et alios baptizaverat. Intuere ergo Petrum praesumentem accusatum, timentem vulneratum, flentem sanatum" (M.L. 39, 1549).

Gregorius M., Hom. 34 in Evang., 15: "Poenitentiam quippe agere est et perpetrata mala plangere, et plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc poenitentiam agere, aut dissimulat, aut ignorat" (M.L. 76, 1256).

Quoad vocis ΜΕΤΑ'ΝΟΙΑ *etymologiam* (*μετανοέω*: post intelligo, mentem muto, a *μετά*: post vel trans, et *νοῦς*: mens) conveniunt omnes tam catholici quam Protestantes eam prodere immediatum sensum mutationis consilii, cum hac tamen differentia quod Protestantes, ex supradicto suo proposito, nullum vident illi coniunctum sensum detestationis, secus ac catholici, qui dicunt etiam detestationem in obliquo connotari, tamquam causam in suo effectu mutationis consilii.

Ad usum et *nominis impositionem* quod attinet, eam vocem importare tantummodo conceptum mutationis consilii nec ullatenus conceptum detestationis, docent iidem antiquiores *Novatores*, supra citati, et late confirmant omnes moderni, tam orthodoxi quam liberales, quin tamen quoad majorem determinationem illius conceptus clare loquantur aut inter se conveniant.[22] Attamen eam interpretationem, in suo sensu exclusivo, esse voluntariam et falsam apparet tum ex usu tam profano quam sacro illius vocis, tum ex sensu vocis hebraicae נחם (noham) quae in graeca versione Scripturae redditur voce *μετανοεῖν*, tum ex sensu vocis poenitentiae qua haec eadem graeca vox vertitur in Vulgata.[23]

"*Plutarchus* . . . dicit Timoleonem, occiso fratre suo, 'paenitentia et dolore fractum (*μετανοίᾳ καὶ λύπῃ ταπεινωθεὶς*) viginti totos annos tribunalis atque fori se conspectu abstinuisse'.[24] Idem docet dolorem, quo canes et equi castigati corriguntur, vocari *μετάνοιαν*.[25] *Lucianus* profert *τὴν Μετάνοιαν* ut flentem[26] et narrat eam ab Apelle in sua *de Calumnia* tabula depictam esse ut mulierem quae incederet 'habitu admodum lugubri, pullata, lacera; respiciebat enim retrorsum lacrimans et cum pudore omnino intuebatur accedentem Veritatem' (*De calumnia*, 5). Idem (*De saltatione*, 83–84) refert saltatorem qui, oblitus moderationis in sua arte, ad excessum imitatus esset Ajacem furentem, adeo de hoc 'paenituisse' (*μετανοῆσαι ἐφ'οἷς ἐποίησε*) ut ex aegritudine in morbum incideret'."[27]

Patrum Graecorum mentem apte aperit *Lactantius* (supra cit., p. 10), vertens graecam *μετάνοιαν* per latinam resipiscentiam, quae, inquit, in eo habetur qui, cum errati pigeat, mentem suam quasi ab insania recipit.

In *Scriptura N. T.* sensus quoque detestationis illi voci substernitur, quae multoties occurrit, tum *sub forma verbi* (*μετανοεῖν*): Matth. 3, 2; 4, 17; 11, 20. 21; 12, 41; Marc. 1, 15; 6, 12; Luc. 10, 13; 11, 32; 13, 3. 5; 15, 7. 10; 16, 30; 17, 3. 4; Act. 2, 38; 3, 19; 8, 22; 17, 30; 26, 20; 2 Cor. 12, 21; Apoc. 2, 5. 16. 21. 22; 3, 3. 19; 9, 20. 21; 16, 9. 11, tum *sub forma nominis* (*μετάνοια*): Matth. 3, 8. 11; Marc. 1, 4; Luc. 3, 3. 8; 5, 32; 15, 7; 24, 47; Act. 5, 31; 11, 18; 19, 4; 26, 20;

[22] Cf. *A. H. Dirksen*, The New Testament Concept of Metanoia, Washington, D. C., 1932, p. 2–4 et 81 sqq.

[23] De sensu Metanoiae, necnon cognatarum vocum, apud Patres, Scripturam et auctores profanos, longe disserit *Dirksen* in eodem opere; cf. praecipue p. 8–59 (quoad Patres), p. 93–95. 114–129. 148–157. 201–218 (quoad Scripturam), p. 165–196 (quoad auctores profanos). De sensu earundem vocum apud profanos auctores graecos ante a. 100 A.D., peculiariter disserit *Thompson*, Μετανοέω and Μεταμέλει in Greek Literature until 100 A.D. (1908).

[24] Timol. cum Aem. Paul. parall. II. 8.

[25] Moral., De solertia animal. 3, 961 D.

[26] De Merc. cond. 42.

[27] *Galtier*, De Paenitentia, Parisiis, 1931, p. 1 sq.

Rom. 2, 4; 2 Cor. 7, 9. 10; 2 Tim. 2, 25; Hebr. 6, 1. 16; 2 Petr. 3, 9.

Idem observatur in *Scriptura A. T.*, tum in libro Sapientiae graece exarato (11, 24; 12, 10. 19), tum in aliis libris hebraice scriptis, in quibus vox נֹחַם (noham) vel, sub forma verbali נִחַם (niham), quae a Septuaginta vertitur μετανοεῖν (aut cognata voce μεταμέλειν), saepe significat displicentiam vel dolorem de actu praeterito (cf. Exod. 13, 17; Prov. 5, 11; Jerem. 8, 6; 31, 19; Job 42, 6; Jud. 21, 6. 15). Ipsa quoque vox שׁוּב (schub), supra (p. 7) invocata a Beza, quamvis immediate significet conversionem, ac proinde exactius vertatur a Septuaginta vocibus ἐπιστρέφειν et ἀποστρέφειν, tamen ex contexta materia implicat sensum displicentiae, cum agatur de conversione a peccato ad Deum, ac proinde non inepte in Vulgata vertatur expressione "agere poenitentiam" (cf. 2 Par. 6, 24; 7, 14; 3 Reg. 8, 33; Ezech. 18, 21. 30).

Definitio realis.[28]

DEFINITIO METAPHYSICA: Sacramentum spiritualis reparationis (vel spiritualis absolutionis, vel remissionis peccatorum post Baptismum commissorum).

In qua definitione sacramentum est *genus proximum* (seu materia metaphysica), spiritualis vero reparatio est *differentia specifica* (seu forma metaphysica). Pro spirituali reparatione dici posset spiritualis absolutio, vel remissio peccatorum post Baptismum commissorum; imo haec ultima expressio est omnium optima; sed ad vitandam prolixitatem elegimus expressionem "spiritualis reparationis", in qua equivalenter aliae continentur, eo quod reparatio supponat baptismalem generationem.

Definitio aequivalens sed minus propria: Signum rei sacrae, inquantum est spiritualiter reparans hominem.

Descriptio: Signum et causa gratiae reparantis, vel: Signum practicum gratiae reparantis.

DEFINITIO PHYSICA: Confessio dolorosa peccatorum sub forma absolutionis, significans spiritualem reparationem.

In qua definitione confessio dolorosa (in se complectens confessionem, contritionem et satisfactionem) est *materia*, absolutio sacerdotis est *forma*, relatio vero signi ad spiritualem reparationem est *ultima forma* totius artefacti.

Descriptio: Compositum artefactum ex actibus poenitentis (seu confessione, contritione et satisfactione) et absolutione sacerdotis,

[28] Cf. dicta de definitione sacramenti in communi in tractatu De sacr. in gen. (art. 2, Nota 1, p. 68–75, et art. 4, Nota 2, p. 104 sq.) et *Salmanticenses*, De Poenitentia, disp. 1, dub. 3.

convenientibus tanquam materia et forma in unum subjectum relationis signi gratiae spiritualiter reparantis, ab eodem subjecto causatae.

Utraque definitio sic in unum copulari potest: Sacramentum spiritualis reparationis per poenitentiam, in verbo.

Copulata vero descriptio sic effertur: Sacramentum N.L. quo, per absolutionem sacerdotis, homini poenitenti, seu confesso, contrito et satisfacienti, confertur spiritualis reparatio seu remissio peccatorum post Baptismum commissorum.

II. PRINCIPIA TRACTATUS

1. Scriptura.

Imperfectum illud *sacramentum poenitentiae quod fuit in antiqua lege* est praestantissima *figura* hujus sacramenti, quemadmodum Circumcisio est figura Baptismi et Agnus paschalis Eucharistiae. Nam, ut dictum est in tractatu De sacr. in gen. (art. 40, Concl. 2 et 3, p. 502 sq.), "in veteri lege et in lege naturae erat aliqualiter sacramentum poenitentiae" (q. 86, a. 6, ad rationem Sed contra; cf. q. 84, a. 7, ad 2; In 4 Sent., dist. 1, q. 1, a. 2, q. 3, ad 2), consistens praecipue in variis purificationibus illius legis (1–2, q. 102, a. 5, ad 3), quod tamen carebat potestate clavium seu potestate judiciali remittendi peccata; haec enim, cum sit aliquid derivatum ex passione Christi seu instrumentum ipsius potestatis Christi ad applicanda merita passionis ejus, est proprium charisma temporis messianici (q. 84, a. 7, ad 2); quo sensu intelligenda sunt verba *Conc. Trid.* "Ante adventum Christi poenitentiam non fuisse sacramentum" (sess. 14, cap. 1, Denz. 894).[29]

Baptismus quoque Joannis (de quo dictum est in tractatu De Baptismo, art. 19, p. 238–248), cum esset ritus poenitentiae, fuit figura hujus sacramenti quantum ad effectum, sicut fuit figura sacramenti Baptismi quantum ad materiam (ut dictum est in Introductione ejusdem tractatus, p. 10 sq.).

In pluribus locis N.T. variae inveniuntur, juxta Patres et theologos, suggestiones et allusiones ad hoc sacramentum; ita:

Luc. 19, 1–10: Conversio *Zachaei*.

Joan. 11, 33–44: Resurrectio *Lazari*. V. 44: "Solvite eum, et sinite abire."[30]

Matth. 9, 1–8: Absolutio *paralytici*. V. 2: "Confide, fili; remit-

[29] Cf. *Salmanticenses*, De Poenitentia, disp. 4, dub. 2, n. 43.

[30] Cf. *Catechismum Conc. Trid.*, p. 2, c. 5, q. 40; *Origenem*, In Joan. Tom. 28, 5 sq.; *Ambrosium*, De paenit. 2, 7, 56. sq.; *Augustinum*, In Joan., tract. 22, 7; 50, 24; Serm. 67, 2, 3; Serm. 98, 6 sq.; Serm. 295, 3; Serm. 352, 3; In Psal. 101, 2 pars, 3; *Gregorium M.*, Hom. 26 in Evang., 6. Cf. infra in art. 36, ubi de necessitate confessionis.

tuntur tibi peccata tua." V. 6: "Ut autem sciatis quia Filius hominis *habet potestatem in terra* dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge . . ." V. 8: "Videntes autem turbae timuerunt, et glorificaverunt Deum, qui *dedit potestatem talem hominibus.*"

Luc. 17, 12–19: Mundatio decem *leprosorum*. V. 14: "Ite, *ostendite vos sacerdotibus.*"[31]

Joan. 8, 1–11: Absolutio *mulieris adulterae*. V. 11: "Nec ego te condemnabo; vade, et jam amplius noli peccare".

Luc. 7, 37–50: Absolutio *mulieris peccatricis*. V. 47–50: "Propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum . . . Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata . . . Fides tua te salvam fecit; vade in pace."

Luc. 15: Parabola *filii prodigi*.

Joan. 13, 8–10: Lotio pedum Apostolorum in ultima coena (cf. tractatum De Baptismo, art. 8, p. 98).

Apoc. 20, 4: "Et vidi sedes, et sederunt super eas, et *judicium datum est illis*". Haec verba intelligenda esse de judiciaria Ecclesiae potestate docet *Augustinus*, De civ. Dei, 20, 9, 2, infra cit., p. 119 sq.

Praecipui loci, qui certo et directe ad institutionem huius sacramenti referuntur, sunt: *Matth. 16, 17–19* (v. 19: "Quodcumque ligaveris . . ."), *Matth. 18, 15–18* (v. 18: "Quaecumque alligaveritis . . ."), in quibus agitur de *promissione*, et *Joan. 20, 19–23* (v. 23: "Quorum remiseritis peccata . . ."), in quo agitur de ipsa *institutione* (cf. Matth. 28, 18 collatum cum Joan. 20, 21, et Luc. 24, 47, collatum cum Joan. 20, 23).

Horum locorum vis expendetur infra in art. 1 (p. 71 sqq.).

In *epistolis paulinis* ostenditur *exercitium* huius potestatis clavium a Christo collatae: *1 Cor. 5, 3–5*, exercetur iudicium, seu potestas ligandi, in corinthium incestuosum; *1 Tim. 1, 19 sq.*, exercetur idem judicium contra Hymenaeum et Alexandrum (cf. 2 Cor. 13, 2 sq.); *2 Cor. 2, 6–11*, exercetur potestas solvendi.

Omnes praefati textus referuntur directius ad hujus sacramenti *institutionem et generalem indolem*. Textus vero qui respiciunt particularia capita doctrinae de Poenitentia dabuntur pedetemptim in variis articulis ac simul colligentur in Indice Exegetico ad finem uniuscujusque tomi.

2. Patres et theologi.

PATRES Poenitentiam uti verum sacramentum considerant, eam

[31] *Cf. Catechismus Conc. Trid.*, l. c.

connumerantes et comparantes Baptismo tanquam alterum baptismum et secundam tabulam salutis (cf. supra, p. 3 sq.), quamvis non communiter utantur sacramenti (vel mysterii) appellatione, nec directe inquirant de ipsa eius indole sacramentali aut de theologica ratione partium ipsius, absolutionis nempe, confessionis, contritionis et satisfactionis. Praecipua quaestio, quae ab ortis haeresibus explicite et instanter eorum considerationi imponitur, est quaestio de ratione, seu pressius de extensione, potestatis clavium in Ecclesia.

Saec. 2 pauca et obiter prolata inveniuntur testimonia, si unus excipiatur *Pastor Hermae* qui est praecipuum documentum doctrinae poenitentialis illius temporis. Cuius ratio est tum *paucitas documentorum* quae ex ea aetate supersunt, tum ipsa *conditio Ecclesiae*, nam ex una parte priores Patres toti erant in explicandis ac defendendis fundamentalibus fidei veritatibus et ex alia parte nulla ratio eos impellebat ad peculiariter disserendum de sacramento Poenitentiae, cum nulla adhuc haeresis de ipso extaret, rarior esset eius usus propter consuetudinem multorum Baptismum ad tardiorem aetatem differendi et propter ferventiorem vitam primorum christianorum, et proinde nondum haberetur in administratione hujus sacramenti organizata quaedam disciplina, quemadmodum in administratione Baptismi et Eucharistiae.

Jam *ab ineunte saec. 3* explicita et directa testimonia progressive multiplicantur, sive in libris liturgicis et canonicis (Constit. Ecclesiae Aegyptiacae, Didascal. Apostolorum, Testamento D.N.J.C., epistolis canonicis Basilii et Nysseni, Constit. Apostolorum) sive in operibus theologicis et polemicis (uti Tertulliani, Cypriani, Ambrosii, Paciani et Augustini). Cujus ratio fuit tum crescens numerus publicorum peccatorum et apostatarum, signanter in periculis persecutionum, tum correlativa organizatio disciplinae poenitentialis, tum peculiariter ortus haeresum seu agitatio triplicis controversiae de extensione potestatis clavium, scilicet controversiae cum *Montanistis* (saec. 3) circa absolutionem majorum criminum apostasiae, homicidii et impudicitiae (in qua eminent nomina Callisti P. et Tertulliani), controversiae de *Lapsis seu Libellaticis* (saec. 3) circa absolutionem lapsorum in apostasiam durante Decii persecutione (in qua eminet Cyprianus) et controversiae cum *Novatianis* (saec. 3–4) de absolutione majorum peccatorum (in qua eminent Ambrosius et Pacianus).

Praecipua Patrum opera de Poenitentia sunt:[32]

Hermas, Pastor (medio saec. 2). Funk, Patres Apostolici, Tubingae, 1901.

[32] Diffusum Indicem bibliographicum tradit *Migne*, M.L. 218, 1264–1267; 219, 883–898; 221, 1057 sq. 1244 sq. Expositionem praecipuorum operum affert *E. Amann*, in Dict. Théol. Cath., art. Pénitence, col. 757–795.

Tertullianus († post a. 222), De Poenitentia (opus catholicum; a. 200–206); De Pudicitia (opus montanisticum; a. 217–222). M.L. 1 et 2.

Cyprianus († 258), De lapsis; Epistolae passim (cf. v.g. Epist. 10 et 17, de libellaticis; Epist. 52, de Novatianis; Epist. 62, de lapsis virginibus). M.L. 4.

Gregorius Taumaturgus († circa 270), Epist. canonica. M.G. 10.

Petrus Alexandrinus († 311), Epist. canonica. M.G. 18.

Didascalia Apostolorum (La Didascalie des Apôtres, trad. du syriaque, par F. Nau, Paris, 1912).

Didascalia et Constitutiones Apostolorum. Editio F. X. Funk, 2 voll., Paderbornae, 1905.

Testamentum D.N.I.C. (syriace et latine). Editio I. E. Rahmani, Moguntiae, 1899.

Aphraates († medio saec. 4), De Poenitentibus Demonstr., 5. Patrologia Syriaca (Graffin-Nau), 1.

Ephrem († 373), Ad Paenitentes Paraeneses 76 (Opera Syr.-Lat., t. 3, Romae, 1743); De Paenitentia (Opera Graec.-Lat., t. 3, Romae, 1746).

Basilius († 379), Tres Epistulae canonicae, ad Amphilochium (i.e. epp. 188, 199 et 217). M.G. 32.

Gregorius Nazianzenus († 389–390), Orationes 25 et 39. M.G. 35 et 36.

Gregorius Nyssenus († circa 394), Epistula canonica. M.G. 45.

Pacianus († circa 390), Ad Sympronianum Epistulae tres; Paraenesis ad Paenitentiam. M.L. 13.

Ambrosius († 397), De Poenitentia; Epist. 25 et 51; In obitu Theodosii Oratio. M.L. 16.

Augustinus, De peccatorum meritis et remissione (M.L. 44); Serm. 71 (ibid., 38); Serm. 351 (ibid., 39); Serm. 352 (ibid., 39).

Faustus Reiensis († circa 500), Sermo ad monachos de poenitentia. M.L. 58.

Fulgentius Ruspensis († 533), De remissione peccatorum ad Euthymium. M.L. 65.

Pseudo-Ambrosius (forte Victor Cartennensis, ad finem saec. 5), Liber de Poenitentia. M.L. 17.

Pseudo-Augustinus, De vera et falsa poenitentia (Opus incertae aetatis, referens disciplinam poenitentialem Augustino multo posteriorem, qualis observabatur circa a. 1100). M.L. 40.

Inter tria antiqua Sacramentaria Romana (Leonianum nempe, Gelasianum et Gregorianum) solum *Gelasianum* (cap. 38) loquitur de ipso ritu Poenitentiae. M.L. 74, 1095 sqq.

Inter finem aetatis Patristicae et initium aetatis theologorum prodeunt sic dicti *libri poenitentiales*. Inter alios doctores notentur *Egbertus* († 766; Poenitentiale, M.L. 89), *Cummianus* (saec. 7; Liber de mensura poenitentiarum, M.L. 87), *Alcuinus* († 804; De confessione peccatorum, ad pueros S. Martini, M.L. 101), *Halitgarius* († 831; De vitiis et virtutibus et de ordine poenitentium, M.L. 105), *Rabanus Maurus* († 856; Poenitentium liber, M.L. 112).

THEOLOGI MEDII AEVI mentem suam convertunt ad ipsam indolem sacramentalem ritus Poenitentiae.

Saec. 12 praecipue apud *Petrum Lombardum* (Sent., lib. 4, dist. 14–22) colligitur aliqua synthesis scientifica eorum quae ad hoc sacramentum referuntur.

Magister Poenitentiam vocat sacramentum eique tribuit quartum locum in suo catalogo septenario (dist. 2); distinguit in ea sacramentum tantum, rem et sacramentum, rem tantum (dist. 22); disputat de poenitentia ut virtute (dist. 14); de objecto poenitentiae, seu quod nequeat quis poenitere de uno peccato nisi de omnibus poeniteat (dist. 15), item quod in purgatorio quaedam peccata venialia dimittantur (dist. 21), item quod peccata iam remissa non reviviscant (dist. 22); de tribus actibus Poenitentiae, seu confessione, dolore et satisfactione (dist. 16); de necessitate confessionis (dist. 17); de absolutione seu potestate clavium in sacerdote (dist. 18); de ministro (dist. 19); de subjecto (dist. 20).

Ut patet ex expositione Magistri, *tres praecipuae quaestiones* controvertuntur ab auctoribus illius aetatis, scilicet: 1. *de vi absolutionis*, an nempe sacerdos vere remittat peccata, cui respondet ipse Magister solum Deum proprie interius absolvere, sacerdotem autem absolutum declarare (dist. 18); 2. *de validitate absolutionis sacerdotis indigni*, cui cum quibusdam respondet affirmative, cum quadam tamen cautela, inquiens: "Aliis autem videtur, quod et mihi placere fateor . . ." (dist. 19); 3. *de reviviscentia peccatorum*, an nempe peccata antea remissa iterum imputentur ei qui incidit in aliquod novum peccatum, cui respondet negative, caute tamen quaestionem his verbis introducens: "Cujus quaestionis solutio obscura est et perplexa" (dist. 22).

Id quod a Petro Lombardo aliisque doctoribus in sacramento Poenitentiae praecipue consideratur, est *elementum, ut ita dicatur, subjectivum, seu ipsa contritio*, ita tamen ut hoc indebite cedat in detrimentum efficacitatis elementi objectivi seu ipsius sensibilis sacramenti. Et in hoc jacet *defectus* theologiae poenitentialis illorum doctorum, quos ipsi Protestantes, inepte quidem, tamquam suae doctrinae praecursores invocarunt. Videntur enim docere ad sacramentum Poenitentiae requiri contritionem perfectam, illam nempe quae ex se sola jam

ante ipsum sacramentum justificare valet; ex quo sequitur ipsum sacramentum sensibile non esse causam justificationis, sed confessionem et satisfactionem esse meras conditiones posterius adimplendas, absolutionem vero meram declarationem anteactae remissionis peccatorum.

Saec. 13, praecipue apud *S. THOMAM,* perficitur synthesis theologica hujus sacramenti.

S. Doctor, morte praereptus, tractatum de Poenitentia in *Summa Theologica* absolvere non potuit. Ex his tamen quae ibidem scripsit (q. 84–90) vel scribere intendebat (cf. prologum q. 84) et ex alibi ab eo disputatis, scilicet in *Comm. super Sententias* (Supplemento Summae Theol., q. 1–28), C. Gent. 4, 70–72, Opusculo *De Articulis fidei et Sacramentis Ecclesiae,* Opusculo *De forma absolutionis, Comm. in Joan.* 11, lect. 6, n. 6; 20, lect. 4, n. 5, haec patent:

1. Quaestiones de Poenitentia ordinat modo logico secundum rationem sacramenti et juxta generales lineas quibus alia sacramenta pertractantur, ita nempe quod prius agat generaliter de sacramento (q. 84), cui adnectit et postponit (aliter ac Petrus Lombardus) quaestionem de virtute poenitentiae (q. 85); secundo de eius effectu (q. 86–89); tertio de eius partibus seu materia (q. 90–Suppl., q. 1–15); quarto de eius subiecto et ministro (Suppl., q. 16–27); quinto de eius ritu seu solemnitate (Suppl., q. 28).

2. Componit synthesim utriusque elementi subjectivi et objectivi in unam rationem veri sacramenti (seu signi et causae gratiae), in qua actus poenitentis sint materia, absolutio sit forma (q. 90, a. 1, ad 1; a. 3; Suppl., q. 10, a. 1).

3. Docet consequenter ipsum sacerdotem, utpote ponentem formam sacramenti, esse causam, quamvis instrumentalem, totius sacramenti effectus, reiciens distinctionem illorum qui soli Deo remissionem culpae, sacerdoti vero absolutionem a poena tribuebant (Suppl., q. 18, a. 1; In Joan. 11, lect. 6, n. 6; 20, lect. 4, n. 5).

4. Docet consequenter, contra communem sententiam Petri Lombardi aliorumque antiquorum, absolutionem sacerdotis habere vim non tantum declarativam sed etiam effectivam (q. 84, a. 3, ad 3 et 5; q. 86, a. 6; De forma absolutionis, c. 1–3).

5. Docet in hoc sacramento non necessario requiri perfectam contritionem sed sufficere imperfectam, quae nunc peculiariter attritio nuncupatur (Suppl., q. 18, a. 1; In Joan. 11, lect. 6, n. 6).

APUD THEOLOGOS POSTERIORES quatuor praecipue agitantur ac evolvuntur *quaestiones speculativae:*

1. De actibus poenitentis in genere: an sint de essentia sacramenti.

2. De contritione: an etiam in gradu remisso justificet extra sacramentum.

3. De attritione: quaenam attritio sit sufficiens ad validitatem et efficacitatem sacramenti, an nempe debeat includere aliquem Dei amorem, et an aliqua attritio possit esse sufficiens ad validitatem, quin ideo sit sufficiens ad efficacitatem sacramenti, ita ut dari possit sacramentum Poenitentiae validum et informe.

4. De effectu, seu de modo reviviscentiae meritorum: an merita per peccatum mortificata restituantur immediate et totaliter cum recuperatur justificatio per Poenitentiam.

Apud *theologos postridentinos,* ratione haeresis Protestanticae impugnantis ipsam existentiam sacramenti, evolvitur *theologia positiva,* inaugurata praecipue a *Petavio* († 1652), *Morin* († 1659) et *Thomassino* († 1695), quae tandem aspectum pure *criticum et historicum,* potiusquam polemicum, assumpsit apud moderniores doctores, uti Boudinhon, Vacandard, Batiffol, Tixeront, D'Alès, Galtier, Funk, Kirsch, Rauschen, Pignataro.

BIBLIOGRAPHIA THEOLOGORUM.

Praeter generaliora opera et commentaria de sacramentis, conferantur sequentes libri, quorum ceterum elenchus complebitur in decursu tractatus, ubi de particularibus quibusdam quaestionibus:

Adam (*K.*), Das sogenannte Bussedikt des Papstes Kallistus, München, 1917. Die kirchliche Sündenvergebung nach dem hl. Augustin, Paderborn, 1917. Die geheime Kirchenbusse nach dem hl. Augustin, Kempten, 1921. Die abendländische Kirchenbusse im Ausgang des christlichen Altertums, in Theol. Quartalschrift, 1929, p. 1 sqq.

Alanus ab Insulis († 1203), Liber poenitentialis (M.L. 110, 281 ss.).

Albaspinaeus (Gabriel de l'Aubépine), De veteribus Ecclesiae ritibus, Parisiis, 1623.

Alès (*D'*), La théologie de Tertullien, Paris, 1905. La théologie de S. Hippolyte, Paris, 1906. L'édit de Calliste (Étude sur les Origines de la Pénitence chrétienne), Paris, 1914. Zéphyrin, Calliste ou Agrippinus, in Rech. de science relig., 1920, p. 212 sqq. La théologie de S. Cyprien, Paris, 1922. Novatien, Paris, 1925. De sacramento Poenitentiae, Paris, 1926. Art. Pénitence (1re partie, Institution), in Dict. Apologétique de la Foi Catholique.

Alexander Natalis († 1724), Historia Ecclesiastica, Parisiis, 1699. Dissertatio polemica de confessione sacramentali adversus libros IV Joannis Dallaei calvinistae institutionem et usum in Ecclesia perpetuum impugnantis, Parisiis, 1678.

Allen (*G.*), A treatise made in defense of the lawful power and authoritie of priesthode to remitte sinnes, Lovanii, 1567.

Amédée de Zedelghem, Doctrine d'Alexandre d'Alès au sujet du sacrement de pénitence, in Études Francisc., 1925, p. 328 sqq.

Anonymus De poenitentia et tentationibus religiosorum (saec. 12) (M.L. 213, 865 sq.).

Anselmo da Mosna, La potestà delle chiavi nell'insegnamento di S. Bonaventura, San Paolo, 1938.

Antoninus (*S.*) († 1459), Summa confessionalis (aliter Summula confessorum), Parisiis, 1516.

Arnauld (A.) (jansenista; † 1694), La tradition de l'Église sur le sujet de la Pénitence et de la Communion, Parisiis, 1644.

Bainvel (F. V.), Note sur la confession sacramentelle dans les premiers siècles, in Recherches de Science Religieuse, 1920.

Bardy (G.), L'édit d'Agrippinus, in Rech. de science relig., 1924, p. 1 sqq.

Bartholomaeus de Pisa († 1347), Summa Pisana (vel Summa de casibus conscientiae), Lugduni, 1519.

Batiffol (P.), Les prêtres pénitenciers romains au V siècle, in Compte rendu du troisième Congrès scientifique international des catholiques, Bruxelles, 1894. Hermas et le problème morale au second siècle, in Revue biblique, 1901. La Missa poenitentium en Occident, in Bulletin de littérature ecclésiastique, 1902. Études d'histoire et de théologie positive, 1re série, Paris, 1904 (ed. 3) et 1926 (ed. 8). L'édit de Calliste d'après une controverse récente, in Bulletin de littérature ecclésiastique, 1906.

Baumgarten (M.), Die Werke von Henry Charles Lea und verwandte Werke, Münster, 1908.

Becamel (J. B.), Tractatus de virtute et sacramento Poenitentiae, Parisiis, 1887.

Bellarminus († 1621), De sacramento Poenitentiae, Opera omnia, Mediolani, 1859, t. 3. Responsio ad librum cui titulus "Triplex cuneus" [Edita sub nomine Matthaei Torti], Coloniae, 1610. Apologia pro responsione ad librum inscriptum "Triplici nodo . . ." [Edita sub proprio nomine], Coloniae, 1610.

Benaglio (G.), Dell'attritione quasi materia e parte del sacramento della penitenza secondo la dottrina del Concilio di Trento, 2 voll., Milano, 1846.

Besson, Lettres à un jeune paroissien sur le sacrement de Pénitence, Lausanne, 1918.

Bickel, Die Bussdisziplin, in Zeitschr. für kath. Theol., a. 1877.

Binterim (A. J.), Die vorzüglichsten Denkwürdigkeiten der christkatholischen kirche, t. 5, Moguntiae, 1829.

Blötzer, Die geheimen Sünden in der altchristlichen Bussdisziplin, in Zeitschrift für katholische Theologie, 1887.

Boeckler (H.), Der rechtl. Begriff des Beichtgeheimnisses, sein Verhältnis zur Zeugnispflicht und zu § 139 des Reichs-Strafgesetzbuches, Grifswald, 1917.

Boileau (J.), Historia confessionis auricularis ex antiquis Scripturae, Patrum, pontificum et conciliorum monumentis contra Dallaeum, Parisiis, 1683.

Boudinhon (F.), Sur l'histoire de la Pénitence, à propos d'un livre récent, in Revue d'histoire et de littérature religieuse, 1897.

Boyer (C.), De Paenitentia et de Extrema Unctione, Romae, 1942.

Brewer (H.), Die kirchliche Privatbusse im christlichen Altertum, in Zeitschr. für kath. Theol., 1921, p. 1 sqq.

Brucker, Une nouvelle theorie sur les origines de la pénitence sacramentelle, in Études, t. 73 (1897).

Buchberger (M.), Die Wirkungen des Busssakramentes nach der Lehre des hl. Thomas von Aquin, Freiburg, 1901.

Bürgin, De secreta singulorum peccatorum confessione, Altorf, 1762.

Cajetanus, Comm. in 3 p., q. 84–90. Summula de peccatis. Varia Opuscula (Ex his in editione Leonina Operum S. Thomae, t. 12, p. 341 sqq., referuntur Quaestiones de Contritione, Confessione, Satisfactione, Ministro, Indulgentiis).

Cambier (O. F.), De divina institutione confessionis sacramentalis, Lovanii, 1884.

Cano (M.) († 1560), Relectio de Poenitentia, Opera, Bassani, 1776.

Capelle (B.), Le cas du pape Zéphyrin, in Revue Bénéd., 1926, p. 321 sqq.

Casey (H.), Notes on a history of auricular confession, Philadelphia, 1899.

Cavallera (F.), Le décret du Concile de Trente sur la pénitence, in Bull. de littérature eccl., 1923, p. 277 sqq.; 1924, p. 56 sqq.; 1932, p. 73 sqq., 144 sqq. 224 sqq.; 1933, p. 62 sqq. La doctrine de la pénitence au III siècle, Ibidem, 1930, p. 19 sqq. 49 sqq.

Chardon († 1771), Histoire des sacrements, Paris, 1745 (invenitur in Migne, Theol. Curs., t. 20).

Chartier (C.), L'excommunication ecclésiastique d'après les écrits de Tertullien, in Antonianum, 1935. La discipline pénitentielle d'après les écrits de S. Cyprien, in Antonianum, 1939.

Chrétien (P.), De Poenitentia, Metis, 1935.

Collet (P.), Tractatus de Poenitentia (invenitur apud Migne, Theol. Curs., t. 22).

Denis de Sainte-Marthe, Traité de la confession auriculaire contre les erreurs calvinistes, Paris, 1685.

De Santis (L.), La confessione, Firenze, 1925.

Dictionnaire Apologétique de la Foi Catholique, art. Pénitence (*D'Alès, Galtier*).

Dictionnaire de Théologie Catholique, art. Pénitence (*Amann, Michel, Jugie*); art. Absolution (*Polt, Vacandard, Vacant, Bainvel, Michel*, etc.); art. Attrition (*Beugnet*); art. Confession (*Mangenot, Vacandard, Bernard, Morel*, etc.); art. Contrition (*Bernard, Ortolan*); art. Satisfaction (*Galtier*).

Di Dario, Il sacramento della penitenza nei primi secoli, Napoli, 1908.

Dinkelspühl (N. von), Tractatus de Poenitentia, Argentorati, 1516.

Dirksen (A. H.), The New Testament concept of Metanoia, Washington, D. C., 1932.

Dohl (M.), Étude sur M. Lea, in Revue critique d'histoire et de littérature, 1898.

Drey, Dissertatio historico-theologica originem et vicissitudinem exomologeseos in Ecclesia catholica ex documentis ecclesiasticis illustrans, Ellwangen, 1815.

Drou (Le), De contritione et attritione, Romae, 1707.

Eberharter, Sünde und Busse im Alten Testament, Münster, 1924.

Eck (J.) († 1543), De poenitentia et confessione secreta. De sacramentis. De satisfactione. De initio poenitentiae (Romae, 1523).

Endres (J.), Das Busssakrament in der kath. Kirche, Aachen, 1850.

Ermoni, La Pénitence dans l'histoire à propos d'un ouvrage récent, in Revue des questions hist., 1900, p. 5–55.

Esser (G.), Die Bussscheiften Tertullians und das Indulgenzedikt des Pabstes Kallistus, Bonn, 1905. Der Adressat der De Pudicitia und der Verfasser des römischen Bussedikts, Bonn, 1914.

Fabri (Ph.), Disp. theol. de paenitentia, de peccato, de suffragiis, Venetiis, 1623.

Feder (A. L.), Justin d. M. und die altchristliche Bussdisziplin, in Theol. Quartalschrift, 1905, p. 758 sqq.

Frank (Fr.), Die Bussdisziplin der Kirche von der Apostelzeiten bis zum VII Jahrhundert, Mainz, 1867.

Funk (F. X.), Kirchengeschichtliche Abhandlungen und Untersuchungen, 3 voll., Paderborn, 1897. 1899. 1907. Art. Bussdisziplin, in Kirchenlexikon, II, Freiburg, 1883.

Galtier (P.), De Paenitentia, tractatus dogmatico-historicus, Parisiis, 1935. Le péché et la pénitence (Bibliothèque de Sciences religieuses) (1929). L'Église et la rémission des péchés aux premiers siècles (Bibliothèque de théologie positive), Paris, 1932. Art. Pénitence (deuxième partie, Confession), in Dict. Apologétique de la Foi Catholique. Praeterea scripsit varios articulos in periodicis, quos in proprio loco citabimus.

Gandert, Das Buss- und Beichtwesen gegen die Mitte des 13. Jahrhunderts, Halle, 1894.

Garrigou-Lagrange (R.), De Eucharistia — Accedunt De Paenitentia quaestiones dogmaticae, Torino-Paris (1943).

Gartmeier, Die Beichtpflich historisch-dogmatisch dargestellt, 1910.

Giachari (V.), De necessitate confessionis vocalis omnium peccatorum, Venetiis, 1569.

Goldacker (M.), Das Beichtgeheimnis des evangelischen Geistlichen, Leipzig, 1902.

Göller (*E.*), Analekten zur Bussgeschichte des 4. Jahrh., in Römische Quartalschrift, 1928, p. 235 sqq. Das spanisch-westgotische Busswesen vom 6.-8. Jahrh., ibid., 1929, p. 253 sqq. Papsttum und Bussgewalt in spätrömischer und frühmittelalterlicher Zeit, ibid., 1931, p. 71 sqq.; 1932, p. 219 sqq. Studien über das gallische Busswesen, Mainz, 1929. Das Sündenbekenntnis bei Gregor d. Gr., in Oberrheinisches Pastoralblatt, 1928.

Göttler (*J.*), Der hl. Thomas von Aquin und die vortridentinischen Thomisten über die Wirkungen des Busssakramentes, Freiburg, 1904.

Gougnard (*A.*), De Poenitentia, Mechlen, 1936.

Grandcolas (*J.*), L'ancienne discipline de L'Église sur la confession et les pratiques les plus importantes de la pénitence, Paris, 1697. L'ancien pénitentiel de l'Église, Paris, 1698.

Gromer (*G.*), Die Laienbeichte im Mittelalter, München, 1909.

Guadagnini (*J. B.*), De confessione auriculari, Brescia, 1798.

Guilelmus Parisiensis, De sacramento Poenitentiae.

Guillois (*A.*), Le dogme de la confession, Paris, 1850.

Harent varios scripsit articulos in Études, 1899–1901, impugnans Vacandard, quorum primus titulum habet: "La confession, Nouvelles attaques et nouvelle defense".

Haslehurst (*R. S. T.*), Some account of the penitential discipline of the early Church in the first four centuries, London, 1921.

Hilgers, Die kath. Lehre des Ablässe (1914).

Hogan (*J.*), Penitential discipline in the early Church, in The American Quarterly Review, July, 1900.

Hoh (*J.*), Die kirchliche Busse im 2. Jahrh., Breslau, 1932.

Honoré (*L.*), Le secret de la confession, Étude historico-canonique (in Museum Lessianum), Bruges, 1924.

Huarte (*G.*), De sacramento Paenitentiae, Romae, 1930.

Hugueny (*É.*), Critique et Catholique, II, deuxième partie, V la Pénitence, Paris, 1924.

Hullinghoff (*F.*), Antiquitas confessionis privatae ex vetustissimis cum latinorum tum graecorum Patrum scriptis utriusque Ecclesiae praxi, euchologiis atque conciliis, contra Eybelium aliosque ejusdem impugnatoribus, Münster, 1789.

Hünermann (*F.*), Die Busslehre des hl. Augustinus, Paderborn, 1914.

Joannes de Friburgo († 1314), Summa confessorum, Lugduni, 1518.

Kattenbusch, Lehrbuch der vergleichenden Confessionskunde, Freiburg, 1892.

Kinkel (*F. J. A.*), Die Beichte in den ersten christlichen Jahrhunderten, Mainz, 1867.

Kirsch (*A.*), Zur Geschichte der kath. Beichte, Würzburg, 1902.

Klein (*J.*), Zur Busslehre des seligen Joh. Duns Skotus, in Franziskanische Studien, 1940, p. 104 sqq.

Klee (*H.*), Die Beicht, eine historisch-kritische Untersuchung, Francofurti, 1828.

Koch (*H.*) (dum adhuc esset catholicus), Die Busserentlassung in der alten abendländischen kirche, in Theol. Quartalschrift, 1900.

Kopler (*L.*), Busssakrament und Ablass., Linz, 1931.

Krautwig (*N.*), Die Grundlagen der Busslehre des J. Duns Skotus, Freiburg, 1938.

Kuik (*I.*), Abhandlung über die älteste sich vorfindende Urkunde von der Beicht, Vindobonae, 1818.

Kurtscheid (*B.*), Das Beichtsiegel in seiner geschichtlichen Entwicklung, Freiburg i. B., 1912 (Anglica trans.: A History of the Seal of Confession, Saint Louis, Mo., 1927).

Lahousse (*H.*), De sacramento Poenitentiae, Brugis, 1894.

Landgraf (*A.*), Grundlagen für ein Verständnis der Busslehre der Früh- und Hochscholastik, in Zeitschrift für kath. Theol., 1927, p. 161 sqq.

Latomus (*J. Masson*) († 1596), De confessione secreta, Antwerpiae, 1525.

Launoy (*J. de*), De mente concilii Tridentini circa contritionem et attritionem in sacramento paenitentiae . . ., Parisiis, 1653. De frequenti confessionis et eucharisticae communionis usu atque utilitate liber, Parisiis, 1653. De mente concilii Tridentini circa satisfactionem in sacramento paenitentiae dissertatio, Parisiis, 1644.

Laurain, De l'intervention des laiques, des diacres et des abbesses dans l'administration de la pénitence, Paris, 1897.

Lizet (*P.*), De auriculari confessione, Parisiis, 1551.

Lupus (*C.*), De contritione et attritione, Lovanii, 1666.

Mac Neill (*J.*), Celtic Penitentials and their Influence, Paris, 1929. Medieval Handbooks of Penance, New York, 1938.

Malnory (*A.*), Saint Césaire, évêque d'Arles, Paris, 1894. Quid Luxovienses monachi . . . ad regulam monasteriorum atque ad communem profectum contulerint, Parisiis, 1894.

Manzoni (*C.*), De natura peccati deque eius remissione, S. Angeli Laudensis, 1890.

Merlin, Traité historique et dogmatique sur les paroles ou les formes des sept sacrements de l'Eglise (apud Migne, Theol. Curs., t. 21).

Meyer (*F.*), Back to God. A Treatise on Confession or the Sacrament of Penance, Cincinnati, 1928.

Morinus (*Joannes*) († 1659), Commentarius historicus de disciplina in administratione Sacramenti Paenitentiae XIII primis saeculis in Ecclesia occidentali et usque nunc in orientali observata, Parisiis, 1651.

Mortimer (*A. G.*), Confession and Absolution. Investigation of teaching of Bible and Prayer book, London, 1906.

Muzzarelli (*A.*), Confessione auricolare, Ferrara, 1776.

Odoardi (*G.*), La dottrina della Penitenza in S. Ambrogio, Roma, 1941.

O'Donnell (*M. J.*), Penance in the early Church, Dublin, 1907.

Orsi (*Card. I. A.*) († 1761), Dissertatio historica qua ostenditur catholicam Ecclesiam tribus prioribus saeculis capitalium criminum reis pacem et absolutionem neutiquam denegasse, Mediolani, 1730.

Palmieri (*Dom.*), Tractatus de Poenitentia, Romae, 1879.

Pastè (*R.*), Del sacramento della Penitenza. Appunti storico-critici, in Scuola cattolica, 1923, p. 36 sqq. 112 sqq. 211 sqq. 432 sqq. 550 sqq. 611 sqq.

Pellé (*P.*), Le tribunal de la Pénitence devant la théologie et l'histoire, Poitiers, 1903.

Pelletier (*C.*), Traité dogmatique et moral de la Pénitence, Paris, 1728.

Perez (*M.*), De virtute et sacramento Poenitentiae, Lugduni, 1656.

Perinelle (*J.*), L'attrition d'après le concile de Trente et d'après S. Thomas, Kain, 1927.

Pernet (*A.*), Études historiques sur le célibat ecclésiastique et sur la confession sacramentelle, Lugduni, 1874.

Petazzoni (*R.*), La confessione dei peccati, Bologna, 1929.

Petavius († 1652), De Poenitentiae vetere in Ecclesia ratione, Diatriba ex Epiphanianis animadversionibus, Parisiis, 1622. De Poenitentiae ritu veteri in Ecclesia, adversus Mathurinum Simonium, 1624. De Poenitentia et reconciliatione veteris Ecclesiae moribus recepta, Diatriba ex notis in Synesium, 1633. De Poenitentia publica et praeparatione ad Communionem libri VIII, 1643–1645.

Petrus Blesensis (saec. 12), Liber de confessione sacramentali (M.L. 207, 1077).

Petrus Lombardus. Cf. supra, p. 17 sq.

Pignataro (*F. I. G.*), De disciplina poenitentiali priorum Ecclesiae saeculorum, Romae, 1904.

Pollock Oakley (*Th.*), English Penitential Discipline and Anglo-Saxon Law in their Joint Influence, New York, 1923.

Poschmann (*B.*), Die Sündenvergebung bei Origenes, Braunsberg, 1912. Zur

Bussfrage in der cyprianischen Zeit, in Zeitschrift für kath. Theol., 1913, p. 25 sqq. 244 sqq. Hat Augustinus die Privatbusse eingeführt?, Braunsberg, 1920. Die kirchliche Vermittung der Sündenvergebung nach Augustinus, in Zeitschrift für kath. Theol., 1921, 208 sqq. 408 sqq. 497 sqq. Kirchenbusse und correptio secreta bei Augustinus, Braunsberg, 1923. Die abendländische Kirchenbusse im Ausgang des christlichen Altertums, München, 1928. Die Kirchenbusse im frühen Mittelalter Breslau, 1930. Das christliche Altertum und die kirchliche Privatbusse, in Zeitschrift für kath. Theol., 1930, p. 214 sqq. Poenitentia secunda, Die Kirchliche Busse im ältesten Christentum bis Cyprian und Origenes, Bonn, 1940.

Preysing (*K.*), Existenz und Inhalt des Bussediktes Kallists, in Zeitschrift für kath. Theol., 1919, p. 358 sqq.

Probst (*F.*), Sakramente und Sakramentalien in den drei ersten christlichen Jahrhunderten, Tübingen, 1872.

Rager (*J.*), Die Sünden- und Busslehre des Origenes, Freiburg, 1922.

Ram (*E.*), De confessione sacramentali jure divino necessaria, Würzburg, 1757.

Ranza (*G. A.*), Esame della confessione auricolare, Milano, 1797.

Rauschen (*G.*), Eucharistie und Busssakrament in den sechs ersten Jahrh., Freiburg, 1910 (transl. anglica: Eucharist and Penance in the first six centuries of the Church, Saint Louis, Mo., 1913).

Ravarra, Theses de sacramento Poenitentiae, Friburgi, 1627.

Raymundus de Peñafort († 1275), Summa de poenitentia et matrimonio, Lovanii, 1480.

Renaudot (*E.*) († 1720), Perpétuité de la foy de l'Église catholique sur les Sacrements, t. 5, Parisiis, 1713.

Ricciotti (*G.*), La testimonianza di Afraate Siro sulla penitenza, in Scuola cattolica, 1924, p. 48 sqq.

Rossignolus (*G.*), Tractatus de sacramento poenitentiae et extremae unctionis, Mediolani, 1706.

Rus (*G.*), De munere sacramenti poenitentiae in aedificando Corpore Christi Mystico, Romae, 1944.

Rütten, Studien zur mittelalterlichen Busslehre, Münster, 1902.

San (*De*), Tractatus de Paenitentia, Brugis, 1901.

Sayrus, Summa sacram. Poenitentiae, Venetiis, 1615.

Schanz (*P.*), Die Lehre von den hl. Sakramenten der katholischen Kirche, Freiburg, 1893. Die Lehre des hl. Augustinus über das hl. Sakrament der Busse, in Theol. Quartalschrift, 1893, p. 448 sqq. Die Absolutionsgewalt in der alten Kirche, ibid., 1897, p. 27 sqq.

Schauerte (*H.*), Die Busslehre des Johannes Eck, Münster, 1919.

Schieler (*K. E.*), Die Verwaltung des Busssakramentes, Paderborn, 1894.

Schmitz (*H. J.*), Die Bussbücher und die Bussdisziplin der Kirche, t. 1, Mainz, 1883, t. 2, Düsseldorf, 1898.

Schmoll (*P.*), Die Busslehre der Frühscholastik, Münster, 1909.

Schneidenbach (*B.*), De ratione solvendi ac ligandi in sacramento Poenitentiae, Salzburg, 1774.

Schultes, Reue und Busssakrament nach dem hl. Thomas, Paderborn, 1907.

Schwartz (*E.*), Bussstufen und katechumenastsklassen, in Schriften der wiss. Gesells. in Strassburg, fasc. 7 (1911).

Seraphinus a Conceptione, De Poenitentia, virtute ac sacramento, Romae, 1674.

Siemers (*C.*), Die sakramentalische Beichte, Münster, 1844.

Sirmundus (*J.*), Historia poenitentiae publicae, Parisiis, 1651.

Spitzig (*J. A.*), Sacramental Penance in the Twelfth and Thirteenth Centuries, Washington, D. C., 1947.

Straka (*P.*), De sacramento Poenitentiae, Pragae, 1758.

Stufler (*J.*), plures scripsit articulos in Zeitschrift für. kath. Theol.: 1907, p. 193 sqq. 373 sqq. 433 sqq. 577 sqq.; 1908, p. 1 sqq. 488 sqq. 542 sqq.; 1909, p. 232 sqq.; 1914, p. 384 sqq.

Tappehorn (*A.*), Anleitung zur Verwaltung des heil. Busssakramentes, Dülmen, 1893.

Teetaert (*A.*), La confession aux laïques dans l'Église latine depuis le VIII siècle jusqu'au XIV siècle, Paris, 1926. Doctrine d'Alexandre d'Alès au sujet du sacrement de Pénitence, in Études Francisc., 1925. La doctrine pénitentielle de S. Raymond de Penyafort, in Analecta sacra Tarracon., 1928, p. 121 sqq.

Thomas Aquinas. Cf. supra, p. 18.

Thomassinus († 1695), Ancienne et nouvelle discipline de l'Église (p. 2, l. 2, c. 11 sq.), Bar-le-Duc, 1864.

Tixeront (*J.*), Le sacrement de Pénitence dans l'antiquité chrétienne, Paris, 1914. La confession est-elle une institution du moyen âge?, L'Université Cath., LXXII, Lyon, 1913. Comment se confessaient les chrétiens des premiers siècles, ibid., p. 221–248. La doctrine pénitentielle de S. Grégoire le grand, Mélanges de Patrologie et d'Histoire des Dogmes, Paris, 1921.

Umberg, Absolutionspflicht und altchristliche Bussdisziplin, in Scholastik, 1927, p. 321 sqq.

Vacandard (*E.*), La Pénitence publique dans l'Église primitive, Paris, 1902. La confession sacramentelle dans la primitive Église, Paris, 1903. Essais de critique et d'histoire religieuse, 2me série, Paris, 1908. Art. Absolution et art. Confession (partim) in Dict. Théol. Cath. Varii articuli in Revue du clergé français, a. 1898–1900 et a. 1909 (in quibus praecipue agitat suam controversiam cum Harent, occasione operis H. Ch. Lea).

Victorius (*V.*), De sacramento confessionis seu poenitentiae historia et de antiquis poenitentiis, Romae, 1562.

Villien (*A.*), Les Sacrements, Histoire et liturgie (chap. 4 La Pénitence), Paris, 1931.

Vita (*T.*), De justificatione, de confessionis vetustate deque eucharistia contra haereses, Venetiis, 1548.

Weiss (*C.*), S. Thomae Aquinatis de satisfactione et indulgentia doctrina, Graecii, 1896.

Weiss (*F. A.*), Die Sündenvergebung in der Didache, in Theol. Quartalschrift, 1915, p. 113 sqq.

Weisweiler (*H.*), Die Busslehre Simons von Tournai, in Zeitschrift für kath. Theol., 1932, p. 190 sqq.

Xiberta (*B.*), Clavis Ecclesiae, Romae, 1922.

Zeil (*Thomas Villanova a*), Tractatus de satisfactione sacramentali, Oeniponte, 1926.

3. Documenta Ecclesiae.

Multiplices quae in hac materia prodierunt decisiones, ad tres classes commode reduci possunt, juxta tres distinctas aetates, circa tria insigniora documenta, relate ad tres praecipuas haereses, juxta tres fundamentaliores veritates.

Prima classis extenditur a *primis saeculis* ad medium aevum; dominatur a *decreto Callisti* (saec. 3); agit contra haereses *Montanistarum* et succedentium *Novatianorum* ac *Donatistarum;* defendit *extensionem potestatis clavium.* Praeter decretum Callisti, eminent decisiones Conc. Nicaeni I, Innocentii I et Leonis M.

Secunda classis currit *a medio aevo* ad Conc. Tridentinum; domina-

tur a *Conc. Lateranensi IV* (a. 1215); impugnat *Catharismum* cognatasque sectas Albigensium, Waldensium, Wicleffitarum et Hussitarum, praecursorum Protestantismi; defendit directius ipsam *existentiam potestatis clavium*. Praeter Conc. Later. IV, eminent Conc. Lugd. II, Conc. Constant. et Conc. Florentinum, cujus documentum est veluti summula subsequentium decisionum Tridentinarum. In hac aetate damnantur quoque peculiares errores quorumdam doctorum, nempe Joannis de Polliaco, Armenorum, Petri de Osma et praecipue Lutheri, fundamenta Protestantismi praeformantis.

Tertia classis procedit *a tempore Reformationis* ad hodiernum aevum; dominatur a *Conc. Tridentino* (a. 1545–1563); impugnat *Protestantismum* ejusque duplicem progeniem, Jansenismum et Modernismum; defendit extensionem et existentiam potestatis clavium ac determinat *ejus sacramentalem essentiam et proprietates* secundum omnia elementa quae ad hoc sacramentum referuntur. Praeter ipsum Conc. Trid., eminent documenta Pii V et Pii VI, contra errores Baianorum ac Jansenistarum, et Decretum "Lamentabili" Pii X contra Modernistas. Minora documenta respiciunt vel rigorismum jansenisticum (Alexander VIII contra Jansenistas, Clemens XI contra Quesnel, Benedictus XIV) vel reactionem laxistam quorumdam theologorum in re morali (Clemens VIII, Alexander VII, Innocentius XI).

Juverit singula documenta breviter percurrere:

Sic dictum *DECRETUM CALLISTI* († 222) relatum a Tertulliano (De Pudicitia, 1) veniam concedit peccatis moechiae et fornicationis (Denz. 43).

CONC. ROMANUM (a. 251) damnavit Novatianum.

CONC. ELIBERITANUM (circa a. 300) in Occidente (Elvirae in Hispania) decernit quibusdam peccatoribus, praecipue in homicidium, idololatriam et moechiam lapsis, etiam in fine vitae denegandam esse communionem (can. 1. 2. 3. 8. 17. 63; cf. tamen 9. 20. 31. 32. 55. 79; Kirch, Enchir. hist. eccles., 330–344).

CONC. ANCYRANUM (a. 314) in Oriente (Ancyrae in Galatia) mitius cum praedictis peccatoribus agens, decernit de modo et duratione poenitentiae cui ipsi subici debent ut ad perfectam communicationem cum Ecclesia restituantur (can. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 22. 23, Kirch, Enchir. hist. eccles., 375–385).

CONC. ARELATENSE I (a. 314) in Occidente (Arles in Gallia) majorem ostendit severitatem (can. 14 et 22, Mansi, Concil., t. 2, col. 471–474).

CONC. NICAENUM I (a. 325), can. 13, jubet quibuslibet moribundis concedendam communionem (Denz. 57); can. 8 admittit Novatianos ad reconciliationem dummodo ipsi consentiant communicare cum lapsis ab Ecclesia reconciliatis (Denz. 55).

CONC. LAODICENUM (inter a. 343 et a. 381) omnes peccatores ad reconciliationem admittit, peracta poenitentia (Mansi, Concil., t. 2, col. 563; cf. Denz. 924, in nota).

SYRICIUS R. P. († 399), Epist. 1, ad Himerium episc. tarraconensem, 2 febr. 385, decernit de modo reconciliandi relapsos in carnales voluptates (Kirch, Enchir. hist. eccles., 657).

INNOCENTIUS I († 417), Epist. "Etsi tibi", ad Victricium episc. rotomagensem, 15 febr. 404, decernit de Novatianis et Montanistis per solam manuum impositionem reconciliandis (Denz. 94).

Idem, Epist. "Consulenti tibi", ad Exuperium episc. tolosanum, 20 febr. 405, jubet in articulo mortis peccatoribus petentibus concedendam non solum poenitentiam sed etiam plenam communionem seu viaticum; reprobat *duritiem Novatianorum* utramque denegantium; jubet derogandum pristinae consuetudini Ecclesiae concedendi praedictis peccatoribus solam poenitentiae reconciliationem et excludendi eos a communione seu viatico (Denz. 95).

Idem, Epist. 25, ad Decentium episc. eugubinum, a. 416, decernit de reconciliandis lapsis in feria V in Coena Domini et absque dilatione in periculo mortis; item de *satisfactione* facienda et *per judicium sacerdotis* imponenda (Kirch, Enchir. hist. eccles., 727).

COELESTINUS I († 432), Epist. "Cuperemus quidem", ad episcopos provinciarum Viennensis et Narbonensis, 26 julii 428, arguit magnae impietatis denegantes poenitentiam moribundis, jubens eam *quovis tempore* non esse postulantibus denegandam (Denz. 111).

LEO M. († 461), Epist. "Magna indign.", ad universos episcopos Campaniae etc., 6 martii 459, jubet non obligandos fideles ad publicam confessionem, cum *confessio secreta*, quae fit soli sacerdoti, sit sufficiens et de facto magis expediat ad provocandos peccatores ad poenitentiam (Denz. 145).

Idem, Epist. "Sollicitudinis quidem tuae", ad Theodorum episc. foroiuliensem, 11 junii 452, docet tum *potestatem Ecclesiae* remittendi peccata tum conditiones requisitas ad ejus exercitium, scilicet ex parte sacerdotis *absolutionem* ("supplicationibus sacerdotum") et ex parte poenitentis contritionem ("proprio se iudicio condemnantes"), *confessionem* ("confitentibus") et *satisfactionem* ("salubri satisfactione") (Denz. 146). Praeterea improbat dilationem poenitentiae; jubet sacramentum in periculo mortis administrari non solum illis qui, amisso vocis usu, aliis signis illud postulant, sed etiam sensibus destitutis si tamen constat de voto sacramenti prius habito (Denz. 147).

GELASIUS I († 496), Tomus "Ne forte", de anathematis vinculo, circa 495, explicans verba Scripturae de irremissibilitate *peccati contra Spiritum S.* (Matth. 12, 32) et *peccati ad mortem* (1 Joan. 5, 16 sq.), docet tale esse solum peccatum obdurationis in malo seu nolentium poenitere; poenitentibus vero nullum esse peccatum quod remitti non possit *per Ecclesiae potestatem* et absolutionem ("oret Ecclesia", "possit absolvere", "poenitentibus relaxare"), fundatam in verbis Christi apud Matth. 18, 18 (Denz. 167).

CONC. SENONENSE (a. 1140) damnavit propositionem *Abaelardi* docentis potestatem clavium datam esse Apostolis tantum, non vero eorum successoribus (Denz. 379).

CONC. VERONENSE (a. 1184) sub Lucio III († 1185) anathematizat *Albigenses* pessime sentientes "de baptismate, seu de *peccatorum confessione*, matrimonio vel reliquis *ecclesiasticis sacramentis*" (Denz. 402).

INNOCENTIUS III († 1216), Professio fidei *Waldensibus* praescripta a. 1208, inter septem ritus Ecclesiae, quos sub nomine *Sacramenti* enumerat et quorum efficacitati docet *malitiam ministri* non obstare, citat Poenitentiam, qua venia a Deo conceditur (Denz. 424).

CONC. LATERANENSE IV (a. 1215, sub Innocentio III), *cap. 1* contra *Albigenses* aliosque haereticos, loquens de mediis salutis quae sunt in *Ecclesia*

("extra quam nullus omnino salvatur") citat sub nomine Sacramenti Eucharistiam et Baptismum, eisque adnumerat ordinem, coniugium et poenitentiam, docens per hanc "*posse semper*" reparari eum qui post Baptismum prolapsus fuerit in peccatum (Denz. 430).

In *cap. 21* agit de praecepto *annuae confessionis*, de obligatione *satisfactionis*, de restrictione *jurisdictionis* quoad exercitium sacramenti (i.e. de necessitate confitendi proprio sacerdoti vel ab illo licentiam habenti), de modo quo sacerdos gerere se debeat in *causa inquirenda* et judicio ac remedio ferendo, de *sigillo sacramentali* (Denz. 437 sq.).

INNOCENTIUS IV († 1254), Epist. "Sub catholicae" ad episc. tusculanum, Ap. Sedis Legatum apud Graecos, 6 martii 1254, docet ex verbis *Matth. 12, 32* (de peccato in Spiritum S.) sequi quasdam culpas in hoc saeculo, quasdam in futuro relaxari, ac proinde existere Purgatorium (Denz. 3047).

CONC. LUGDUNENSE II (a. 1274, sub Gregorio X, † 1276), Professio fidei Michaelis Palaeologi, commemorat Poenitentiam inter "septem . . . *ecclesiastica sacramenta*" et docet lapsos post Baptismum non esse rebaptizandos sed per veram poenitentiam consequi peccatorum veniam (Denz. 464 sq.).

JOANNES XXII († 1334), Constit. "Vas electionis", 21 julii 1321, docet jurisdictionem poenitentialem subici potestati Ecclesiae, damnans errorem *Joannis de Polliaco* dicentis omnem fidelem ex ipsa rei natura ita teneri ad proprio sacerdoti seu parocho confitendum ut talis obligatio nequeat auferri ab ipso Romano Pontifici (concedenti alteri generalem facultatem confessiones audiendi), imo nec ab ipso Deo, cum id implicet contradictionem (Denz. 491–493).

Idem, Constit. "In agro dominico", 27 martii 1329, damnavit duos errores *Ekardi* de natura seu obiecto actus poenitentiae, docentis veram poenitentiam consistere in conformanda propria voluntate voluntati divinae permittenti peccatum, adeoque in nolendo se non peccasse (Denz. 514 sq.).

BENEDICTUS XII († 1342), Libellus "Iam dudum", ad Armenos transmissus a. 1341, reprehendit inter errores Armenorum opinionem dicentium per confessionem remitti *omnes poenas*, ita ut non detur Purgatorium; item dicentium sacerdotes non habere potestatem remittendi peccata sed tantum loquendi et declarandi (Denz. 535, 538).

CONC. CONSTANTIENSE (a. 1414–1418, sub Martino V, † 1431), sess. 8 (4 martii 1415), damnavit propositionem 7 *Wicleffi* negantis *necessitatem confessionis* (Denz. 587). Item in Bulla "Inter cunctas", 22 febr. 1418, art. 20–22, inter interrogationes *Wicleffitis et Hussitis* proponendas, sequentes veritates exhibet: confessionem esse necessariam; *sacerdotibus non vero laicis* esse confitendum; sacerdotes habere veram *potestatem absolvendi*; efficacitatem huius potestatis non pendere a *probitate ministri*; Poenitentiam importare quatuor actus i.e. *confessionem, contritionem, satisfactionem et absolutionem* (Denz. 670–672).

CONC. FLORENTINUM (a. 1438–1445), *Decr. pro Armenis*, effert *brevem synthesim de sacramento Poenitentiae*, proponens *nomen* (Sacramentum); *ordinem* (quartum); *materiam* seu quasi materiam, i.e. cordis contritionem (dolorem et propositum), oris confessionem (integram expositionem peccatorum) et satisfactionem; *formam* (verba absolutionis: Ego te absolvo, etc.); *ministrum* (habentem jurisdictionem ordinariam vel extraordinariam); *effectum* (absolutionem a peccatis) (Denz. 699).

SIXTUS IV († 1484), Bulla "Licet ea", 9 aug. 1479, damnavit 6 propositiones *Petri de Osma* circa huius sacramenti institutionem, necessitatem et naturam, scilicet: Poenitentiam esse sacramentum naturae, non vero positivae institutionis; hoc sacramentum non esse necessarium ad delenda mortalia, sed contritionem sufficere; confessionem peccatorum in specie esse de solo jure ecclesiastico; pravas

cogitationes confitendas non esse, sed sola displicentia deleri; confessionem esse secretam adeoque de solis peccatis secretis; satisfactionem exequendam esse ante absolutionem (Denz. 724–732).

LEO X († 1521), Bulla "Exurge Domine", 15 junii 1520, damnavit *decem propositiones Lutheri* de indole Poenitentiae eiusque effectu, quarum summa haec est: Poenitentiam habere tres partes, i.e. confessionem, contritionem et satisfactionem, est absque fundamento in Scriptura et Traditione; contritio seu actus poenitentiae importat tantum mutationem consilii seu propositum novae vitae; neque absolutio neque ipsa contritio remittit peccatum sed sola fiducia in Christum qua quis credit sibi peccatum remitti, adeoque etiam si desit contritio vel si sacerdos jocose absolvat, dummodo talis fides adsit, peccatum remittitur; integra confessio, etiam peccatorum mortalium, est contra consuetudinem antiquae Ecclesiae confitendi sola peccata manifesta et sapit quamdam praesumptionem, quasi nihil misericordiae divinae velimus ignoscendum relinquere; relate ad huius sacramenti administrationem omnes christiani (etiam mulier et puer) habent aequalem potestatem nec plus competit sacerdoti quam laico, aut episcopo et Papae quam simplici sacerdoti (Denz. 745–754).

CONCILIUM TRIDENTINUM (a. 1545–1563) totam Ecclesiae doctrinam de hoc sacramento complectitur *praecipue in sess. 14* (25 nov. 1551).

In *sess. 6* (de justificatione), *cap. 14* (de lapsis et eorum reparatione), praemittit completam quamdam summulam huius sacramenti (institutionem, necessitatem, partes, effectum; Denz. 807). *Can. 29*, definit hominem post Baptismum posse iterum justificari nec aliter quam per sacramentum Poenitentiae (Denz. 839). *Can. 30*, definit post justificationem acceptam per Poenitentiam adhuc manere poenam temporalem exolvendam in hoc saeculo vel in Purgatorio (Denz. 840).

In *sess. 7* (de sacr. in genere, Baptismo et Confirmatione) in septenario catalogo sacramentorum citat Poenitentiam quarto loco (*can. 1* de sacr. in gen., Denz. 844); definit hominem post Baptismum posse amittere gratiam nec tantum per peccatum contra fidem (*can. 6* de Bapt., Denz. 862); item peccata post Baptismum commissa non deleri ex sola recordatione et fide suscepti Baptismi (*can. 10* de Bapt., Denz. 866).

In *sess. 13* (de Eucharistia), *cap. 7 et can. 11*, jubet praemittendam sacramentalem poenitentiam peccati mortalis ante susceptionem Eucharistiae (Denz. 880 et 893).

Sess. 14, de sacramento Poenitentiae (cui adnectitur sacramentum Extremae Unctionis ut "poenitentiae . . . consummativum"), dividitur in *9 capita* et *15 canones* (Denz. 894–925):

Cap. 1 et can. 1 et 3: de necessitate et *institutione huius sacramenti:* de existentia potestatis remittendi peccata in Ecclesia; de sensu verborum Joan. 20, 22 sq.

Cap. 2 et can. 2: de *differentia inter Poenitentiam et Baptismum.*

Cap. 3 et can. 4: de partibus, seu de *forma* (absolutione) et *quasi materia* (contritione, confessione et satisfactione); de *fructu* seu effectu.

Cap. 4 et can. 5: de *contritione* in particulari, seu de eius natura, proprietatibus, divisione in perfectam et imperfectam, relatione ad sacramentum.

Cap. 5 et can. 6. 7. 8: de *confessione,* seu de eius necessitate, divina institutione, obiecto, integritate, utilitate, secreta ratione.

Cap. 6 et can. 9. 10: de *ministro et absolutione,* seu de solis sacerdotibus ministris sacramenti, de sensu verborum Matth. 18, 18 et Joan. 20, 23, de independentia potestatis clavium a probitate ministri, de indole judiciali huius potestatis.

Cap. 7 et can. 11: de *casuum reservatione.*

Cap. 8–9 et can. 12–15: de *satisfactione* et operibus satisfactoriis.

CATECHISMUS CONC. TRID., p. 2, c. 5, eadem doctrinae capita eodem fere ordine diffusius et theologice explicat per *79 quaestiones*. Notandae sunt sequentes additiones vel potius amplificationes:

Q. 1: Exhortatio de frequenti exhibitione doctrinae huius sacramenti.
Q. 2: De significatione nominis Poenitentiae.
Q. 3–9: De Poenitentia ut virtute (de qua Concilium transeunter tantum loquitur).
Q. 10: De convenientia institutionis huius sacramenti.
Q. 11: De modo quo in ipso verificatur generalis definitio sacramenti.
Q. 12: De eius iterabilitate.
Q. 17 et 42: De ritu seu modo accedendi ad hoc sacramentum.
Q. 19: Quo sensu quaedam peccata dicantur irremissibilia.
Q. 24–26: De voce contritionis et aliis vocabulis quibus dolor nominatur.
Q. 27–28: Quare et quo sensu contritio maxima esse debeat.
Q. 36. 37. 53: Convenientia institutionis confessionis eiusque utilitas.
Q. 44: Qua aetate vel anni tempore confitendum sit.
Q. 45: Quoties hoc sacramento utendum sit.
Q. 48: Confessio voluntarie incompleta non est sacramentum sed sacrilegium.
Q. 52: Confessio per internuncium aut litteras fieri nequit.
Q. 54: De duplici potestate ordinis et jurisdictionis.
Q. 56: De dotibus in ministro requisitis.
Q. 57: De sigillo sacramentali.
Q. 58–61: De modo agendi cum poenitentibus.
Q. 62–63: De sensu et variis generibus satisfactionis.
Q. 66–79: De variis convenientiis et proprietatibus satisfactionis.

PIUS V († 1572), Bulla "Ex omnibus afflictionibus", 1 oct. 1567, sequentes *Michaelis Baii* errores damnavit: Solum Deum interius vivificare, sacerdotem vero per suum ministerium tantummodo a reatu poenae absolvere (prop. 56–58); hominem per opera satisfactoria nullo modo directe concurrere ad satisfactionem seu liberationem a poena (prop. 59); perfectam charitatem et peccatum mortale posse simul existere in homine (prop. 70); contritionem perfectam regulariter non justificare absque actuali susceptione sacramenti (prop. 71); satisfactiones non valere ad expiandam poenam temporalem restantem post remissionem culpae (prop. 77) (Denz. 1056. 1057. 1058. 1059. 1070. 1071. 1077).

CLEMENS VIII († 1605), Decr. S. Officii, 20 junii 1602, damnavit propositionem docentem liceitatem confitendi vel absolvendi in absentia, per litteras nempe vel internuntium (Denz. 1088 sq.).

ALEXANDER VII († 1667), Decr. 24 sept. 1665, inter alios errores de re morali damnavit sequentes: Peccata, in confessione licite omissa, non oportere in sequenti confessione accusare; per confessionem voluntarie nullam satisfieri praecepto Ecclesiae; poenitentem propria auctoritate posse sibi alium substituere ad adimplendam poenitentiam (Denz. 1111. 1114. 1115).

Idem, Decr. S. Officii, 5 maii 1667, indecisam relinquens quaestionem, a theologis agitatam, an in attritione sacramentali requiratur aliquis Dei amor, prohibuit ne patroni alterutrius sententiae defensores contrariae nota censurae vel contumeliae taxarent (Denz. 1146).

INNOCENTIUS XI († 1689), Decr. S. Officii, 2 martii 1679, sequentes errores morales damnavit: Probabile esse sufficere attritionem naturalem, modo honestam; poenitentem non teneri confessario interroganti manifestare peccati alicuius consuetudinem; licitum esse absolvere dimidiate confessos, ratione magni concursus poenitentium; non esse denegandam aut differendam absolutionem, ubi nulla spes est emendationis, dummodo poenitens ore exprimat dolorem et propositum emendationis; posse aliquando absolvi qui nolit omittere proximam peccati occasionem; proximam peccati occasionem non esse fugiendam, quando aliqua causa utilis aut honesta non fugiendi occurrit; licitum esse quaerere directe occasionem proximam peccati pro bono spirituali nostro vel proximi; absolutione esse capacem hominem

qui ignoret, etiam culpabiliter, fidei mysteria, etiam Trinitatis et Incarnationis (Denz. 1207–1215).

Idem, Decr. S. Officii, 18 nov. 1682, reprobavit speciosam quamdam distinctionem circa sigillum sacramentale, seu usum scientiae ex confessione acquisitae (Denz. 1220).

ALEXANDER VIII († 1691), Decr. S. Officii, 7 dec. 1690, sequentes errores *Jansenistarum* damnavit: Omnis actio quae non sit ex supernaturali charitate est peccatum, adeoque peccata sunt omnes actus infidelium, odium peccati ob meram eius indecentiam vel ob merum desiderium gloriae, timor gehennae, attritio ex timore sine amore Dei concepta. Satisfactio, ex Christi lege et ex ipsa natura rei, praemittenda est absolutioni. Moderna consuetudo administrandi Poenitentiam, quamvis sit diuturna, consideranda est ut abusus. Homo tota vita debet agere poenitentiam pro peccato originali. Pleraeque confessiones apud religiosos factae, sunt sacrilegae vel invalidae (Denz. 1297–1310).

CLEMENS XI († 1721), Constit. "Unigenitus", 8 sept. 1713, damnavit similes propositiones *Paschasii Quesnel:* Actio non informata a charitate, est mala et peccatum, adeoque ipsa oratio et ipsa poenitentia timore animata, est novum peccatum; sapientia et charitas exigit ut poenitentes non statim absolvantur sed eis tempus concedatur sentiendi statum peccati et petendi spiritum poenitentiae ac contritionis (Denz. 1395–1412. 1437 sq.).

BENEDICTUS XIV († 1758), Brevi "Suprema omnium Ecclesiarum sollicitudo", 7 julii 1745, damnat, tanquam famae proximi perniciosam et sacramento injuriosam, praxim vel doctrinam quorumdam confessariorum exquirentium a poenitentibus *nomen complicis* (Denz. 1474).

PIUS VI († 1799), Constit. "Auctorem fidei", 28 aug. 1794, damnans errores *Conc. Pistoriensis* de sacramento Poenitentiae (prop. 34–45), docet: Dignam esse consuetudinem Ecclesiae administrandi hoc sacramentum, omisse antiquo ordine canonicae poenitentiae; poenitentiam impositam a sacerdote, post absolutionem peragendam, esse sacramentalem et satisfactoriam; ut homo absolvatur non requiri specialem fervorem charitatis; ad validam absolutionem requiri in sacerdote potestatem jurisdictionis; reiciendam esse rigoristicam doctrinam Jansenistarum quod expediat relapsis absolutionem denegare eo specioso motivo ut ita homines efficaciter inducantur ad detestationem peccati; confessionem venialium esse frequentandam; Ecclesiae disciplinam circa casuum reservationem esse providam nec immutandam (Denz. 1534–1545).

PIUS X, Decr. S. Officii "Lamentabili", 3 julii 1907, damnavit tres *Modernistarum* propositiones (prop. 43. 46. 47) de sacramento Poenitentiae, scilicet: Sacramentum Poenitentiae inductum esse per evolutionem Baptismi in duo sacramenta; conceptum de peccatore per auctoritatem Ecclesiae reconciliato non fuisse in primitiva Ecclesia, sed paulatim esse efformatum; verba Joan. 20, 22 sq. non referri ad sacramentum Poenitentiae (Denz. 2046 sq.).

PIUS XI, Bulla Jubilaei "Infinita Dei misericordia", 29 maii 1924, docuit per poenitentiam fieri integram *meritorum reviviscentiam* (Denz. 2193).

CODEX J. C. in Titulo IV, qui inscribitur "De Poenitentia", loquitur tum de Poenitentia, can. 870–910 (Cap. I–IV), tum de Indulgentiis, can. 911–936 (Cap. V). *Can. 870*, est veluti prologus in quo traditur definitio sacramenti. *Cap. I:* de sacerdote ut ministro sacramenti; de duplici potestate ordinis et jurisdictionis; de modo quo obtinetur potestas jurisdictionis tum ordinaria tum delegata (can. 871–892). *Cap. II:* de reservatione peccatorum (can. 893–900). *Cap. III:* de subiecto huius sacramenti (can. 901–907). *Cap. IV:* de loco ad confessiones excipiendas (can. 908–910).

4. Errantes.

ANTIQUIORES HAERESES.

Dividi possunt in duas classes:

Prima classis est *Montanistarum, Novatianorum* et *Donatistarum* (a. saec. 3 ad saec. 5), qui errarunt praecipue circa extensionem potestatis clavium, docentes Ecclesiam non posse quaedam gravia peccata absolvere (nominatim sic dicta tria peccata capitalia, i.e. idololatriam, homicidium et adulterium), juxta illud *Tertulliani* montanistae "Delicta . . . alia erunt remissibilia, alia irremissibilia" (De Pudic. 2, M.L. 2, 1036).

Talis rigorismus apud *Montanistas* ortus est ex errata idea eschatologica seu ex persuasione de instanti fine mundi et adventu judicii (unde *majora delicta* judicio Dei relinquenda contendebant); apud *Novatianos,* ex controversiis circa absolutionem lapsorum in persecutione Decii (unde Novatianus ipse directe soli absolutioni *apostasiae* adversabatur); apud *Donatistas,* ex desiderio protegendi suum schisma quodam dealbato pallio puritatis (catharos enim seu puros se jactabant, ac inde *publicos peccatores* a communitate irrevocabiliter excludebant).

Praecipuum opus horum haereticorum est *Tertulliani liber de Pudicitia* (M.L. 2, 1031 sqq.); addi possunt *duae epistolae Novatiani* (nondum aperte haeretici et nomine cleri romani scribentis) ad Cyprianum (inter epp., Cypriani 30 et 31, M.L. 4, 310–323). De his haereticis agitur in scriptis *Cypriani, Ambrosii, Paciani, Augustini* (supra relatis, p. 16) et in documentis *Conc. Romani, Conc. Nicaeni* et *Innocentii I* (relatis in p. 26 sq.).[33]

Secunda classis est sectarum mediaevalium quae Protestantismum praepararunt, scilicet *Catharorum, Albigensium, Waldensium, Wicleffitarum* et *Hussitarum,* ex manichaeistico principio exaggerati spiritualismi negantium magis directe ipsam existentiam sacramenti et potestatis clavium. Quorum doctrina et condemnatio refertur in documentis Ecclesiae supra relatis (p. 27 sq.), scilicet *Conc. Veronensi, Conc. Later. IV* et *Conc. Constantiensi.*

Praeterea ab his haereticis, et signantius a Wicleffo, directe impugnata sunt sequentia capita doctrinae catholicae de Poenitentia: confessionem esse necessariam, potestatem absolvendi non competere laicis, eam esse independentem a probitate ministri.

[33] Inter modernos doctores peculiariter et critice de ea aetate scribit *D'Alès* in operibus supra citatis (p. 19).

SCHISMATICI.[34]

Usque ad saec. 17 nulla habetur inter Schismaticos et catholicos notabilis differentia quoad varia capita doctrinae de Poenitentia, ut etiam ac luculenter apparet ex ipsis tribus responsis quae Protestantibus opposuit *Jeremias II* († 1595), patriarcha constant. Saeculo tamen 17 ipse patriarcha constant. *Cyrillus Lucaris,* calvinistica educatione inquinatus, viam aperuit protestanticis infiltrationibus in theologiam orientalem.

"Hodie, scribit *Jugie,* . . . si unum de compendiis theologiae dogmaticae in seminariis vel academiis ecclesiasticis Graeco-Russorum tritis aperias; si eorumdem *Symbolicas* vel *Theologias polemicas* per-

[34] *Bibliographia.*

Praecipua ac *generalia opera* de sacramentis citavimus ex *M. Jugie* (Theologia . . . Orientalium, t. 3 de sacramentis, Parisiis, 1930, p. 6) in tractatu De sacr. in gen., Introductio, p. 27 sq. Inter alia opera, quae ab eodem Jugie citantur (ibid., c. 5 de Poenitentia, p. 331 sqq.) notentur:

Laurentius Zizanius, Magnus catechismus, Mosquae, 1627.

Gregorius Chiensis, Σύνοψις τῶν θείων καὶ ἱερῶν τῆς Ἐκκλησίας δογμάτων, Venetiis, 1635.

Petrus Moghila, Trebnik, Kioviae, 1646.

Gabriel Petrov (metropolita Petropolis), Τελετουργία ἱερά, Petropoli, 1779.

Nicodemus, Ἐξομολογητάσιον, Venetiis, 1794.

Theophilactus Gerskii, Orientalis Ecclesiae orthodoxa dogmata, ed. Mosquensis, 1831.

Callinicus, Νέον ἐ ἐξομολογητάσιον, Constantinopoli, 1839.

Antonius Moschopulus, Ἐπιτομὴ τῆς δογματικῆς καὶ ἠθικῆς θεολογίας, Cephaloniae, 1851.

Sylvester Lebedinskii, Theologia dogmatica (trad. graeca Valliani), Athenis, 1858.

Anonymus, Examen statutorum ecclesiasticorum de sacramento paenitentiae, in Prav. Sobiesiednik, 1859, t. 1, p. 385.

I. Novogorodov, Bogoslovie oblitchitelnoe, t. 2, Kazanii, 1859, p. 288–304.

Bieliaev, Doctrina romano-catholica de praetensa satisfactione, in Pravoslavnyi Sobiesiednik, 1876.

P. Smirnov, Expositio christianae fidei orthodoxae, Petropoli, 1906.

Andrutsus, Δογματική, Athenis, 1907.

Malinovskii, Summa orthodoxae dogmaticae theologiae (russice), t. 2, Serghief-Possad, 1908.

Inter *opera catholicorum* de orientali theologia notentur:

J. Morinus, Commentarius historicus de disciplina in administratione sacramenti Poenitentiae, Parisiis, 1651.

Goar, Euchologium Graecorum, Venetiis, 1730.

Schelstrate, Acta Ecclesiae Orientalis contra Lutheri Haeresim, Romae, 1739.

H. Denzinger, Ritus Orientalium, 2 voll., Wirceburgi, 1863 sq.

J. Pargoire, L'Église byzantine de 527 à 847, Paris, 1905.

B. Suciu, De natura medicinali et vindicativa epitimiorum in Ecclesia graeca, in Actis II conventus Velehradensis, 1910, p. 95–103.

A. Bukowski, Die Genugtuung für die Sünde nach der Auffassung der russischen Orthodoxie, Paderborn, 1911.

M. Jugie, Theologia . . . Orientalium, t. 3, c. 5, Parisiis, 1930; La peine temporelle due au péchè d'après les théologiens orthodoxes, in Échos d'Orient, t. ix (1906), p. 321–330.

Th. Spacil, Doctrina theologica Orientis separati de sacramento Poenitentiae, Romae, 1926.

P. Matzerath, Busse und hl. ölung in der byzantinischen Kirche, Paderborn, 1940.

Dictionnaire de Théologie Catholique, art. *Absolution* (chez les Grecs, col. 200–205, *Michel;* dans l'Église russe, col. 205, *Tolstoy*); art. *Confession* (dans l'Église Grecque du iv au xiii siècle, col. 867–874; *Vacandard*); art. *Pénitence* (dans l'Église Grecque après le schisme, col. 1127–1138; *M. Jugie.*).

curras, non pauca contra doctrinam catholicam de sacramentali satisfactione necnon de indulgentiis et Ecclesiae thesauro in eis invenies. In *Symbolica*, Ch. Andrutsi, v.g., non minus quam 40 paginae (ex 350) quaestionibus hujusmodi dicantur. Macarius Bulgakov, in sua *Theologia orthodoxa*, per 24 densas paginas doctrinam catholicam de iisdem convellere nititur. Recentior vero theologus russus, nomine Malinovskii, Ecclesiam romanam accusat quod 'in doctrina de sacramento paenitentiae errores tales admiserit, qui spiritum et indolem hujus sacramenti omnino adulterent.'[35]"[36]

Praecipuus dissensus et error polemistarum orientalium est circa doctrinam catholicam *de satisfactione*.

"Huic doctrinae directe adversantur major pars theologorum graeco-russorum nostri aevi; qui docent totam poenam peccato debitam per absolutionem sacerdotalem semper remitti; et ideo epitimia a confessore imposita omni vi satisfactoria destitui et ad solam emendationem, paternam correctionem et in virtute profectum paenitentis ordinari."[37]

Minores dissensus vel errores sunt sequentes:

Quoad ipsum *sacramentum*, fere unicus *Cyrillus Lucaris* cum Protestantibus hoc sacramentum reiecit.

Quoad *necessitatem confessionis*. Eam "videtur negare *Michael Glykas* [saec. 12], dum sua facit verba sequentia, quae Anastasio Sinaitae adscribit: 'Si hominem spiritualem inveneris qui tibi mederi possit, huic confitere peccata tua; si vero talis non adsit, confitere Deo privatim, condemnans teipsum et dicens: Deus, tu scis solus me peccatorem esse et omnis veniae indignum; sed salva me propter solam misericordiam tuam.' Et exempla quaedam affert ad probandum peccata remitti posse per confessionem solo Deo factam."[38]

Quoad *integritatem confessionis* "notandum est dissidentes de eo non multum curare, quanquam ἐξομολογητάρια optima apud eos existunt, in quibus diversa peccata cum suis circumstantiis per singula enumerantur, et epitimia congrua indicantur. Nec inauditae sunt apud Graecos publicae confessiones, praesertim in scholis, per lectionem a patre spirituali factam alicujus elenchi peccatorum; qua persoluta, impertitur absolutio communis super omnes alumnos, qui aliquo signo se peccasse declararunt. Sed hi sunt abusus ab auctoritate ecclesiastica damnati[39]."[40]

---

[35] Summa orthodoxae dogmaticae theologiae (russice), t. 2, Serghief-Possad, 1908, p. 405.
[36] Theologia Orientalium, t. 3, c. 5, Parisiis, 1930, p. 331.
[37] *Jugie*, ibid., p. 345. [38] *Jugie*, ibid., p. 336.
[39] Cf. *C. Korolevskii*, L'administration du sacrement de pénitence dans le rite byzantin, Stoudion, 1925, p. 36–45, 97–110, 129–136. [40] *Jugie*, ibid., p. 336.

Quoad *contritionem*. "Distinctionem inter contritionem et attritionem quidam impugnant, nec admittere volunt peccata per contritionem perfectam cum voto sacramenti ante absolutionem sacerdotalem deleri, quia tunc, inquiunt, sacramentum evaderet superfluum et inutile, vel in simplicem *declarationem* Protestantium incideremus."[41]

Quoad *subiectum*. Moderni Orientales ignorant usum frequentis confessionis nec de peccatis venialibus curant confitendis vel absolvendis.[42]

Quoad *ministrum* observes in Russia "rascolnikos *bezpopovtsos*, qui, sacerdotio privati et antiquum errorem Montanistarum, Valdensium et Wicleffitarum renovantes, pium laicum confessiones audire valideque a peccatis absolvere posse contendunt.[43] Hi pro sua thesi quaedam exempla antiquitatis quosdamque textus veterum scriptorum ecclesiasticorum afferunt, ex quibus apparet in Ecclesia byzantina quondam viguisse abusum confitendi peccata simplicibus monachis, qui sacerdotio insigniti non erant. Ejusmodi abusum etiam ante Ecclesiarum separationem exstitisse, aegre in dubium vocari potest."[44]

Quoad *sigillum sacramentale* gravem innovationem in ecclesiam russicam introduxit a. 1722 imperator *Petrus Magnus*, decernens secretum sacramentale revelandum esse in quibusdam gravioribus casibus publicae utilitatis.[45]

PROTESTANTES.[46]

Novatorum doctrina de sacramento Poenitentiae est logica sequela generalis eorum sententiae de sacramentis et fundamentalis principii de justificatione per fidem. Praecipua capita huius doctrinae, quae ex

---

[41] *Jugie*, ibid., p. 337.
[42] Confer quae ex *Goar* (Rituale Graecorum, ed. Venet., p. 504–541) recitat *Jugie*, ibid., p. 338 sq.
[43] Cf. *K. Plotnikov*, Manuale confutationis russici schismatis, Petropoli, 1897, p. 227–233.
[44] *Jugie*, Theologia Orientalium, t. 3, Parisiis, 1930, p. 362 sq.
[45] Cf. *Jugie*, ibid., p. 368 sq.
[46] *Bibliographia.*
Lutherus, Theses adversus indulgentias (a. 1517; Luthers Werke, ed. Weimar, t. 1, p. 233).
Resolutiones disputationum de indulgentiarum virtute (quas a. 1518 habuit Lutherus cum catholicis theologis Tetzel et Eck; Werke, t. 1, p. 239–246; 281–316; 350–374).
Sermo de poenitentia (a. 1518; Werke, t. 1, p. 317–324; in quo sermone continentur fere omnes propositiones damnatae a Leone X in Bulla "Exurge Domine").
(Sequitur Apologia Lutheri in favorem suae doctrinae apud Leonem X post condemnationem Bullae "Exurge Domine"; Werke, t. 1, p. 532 sqq.).
Assertio omnium articulorum M. Lutheri per bullam Leonis X novissimam damnatorum (a. 1520; Werke, t. 7, p. 91 sq. 117. 119).
Adversus execrabilem Antichristi bullam (a. 1520; Werke, t. 6, p. 595 sq.).
Disputatio J. Eccii et M. Lutheri Lipsiae habita de poenitentia (Werke, t. 2, p. 359 sq.).
Contra malignum J. Eccii judicium M. Lutheri defensio (a. 7; Werke, t. 2, p. 645).
Confitendi ratio (n. 7–9; Werke, t. 6, p. 161–164).
De captivitate Babylonica (de sacramento poenitentiae) (Werke, t. 6, p. 545).

ipsis Ecclesiae documentis (Conc. Trid. et Bulla Leonis X) colligi possunt, ad haec reducuntur:

1. Pervertunt imprimis ipsam rationem *virtutis poenitentiae*, qua hoc sacramentum vivificatur, dicentes veram poenitentiam consistere non in dolore de commissis et in proposito satisfactionis, sed tantum in proposito novae vitae (cf. supra, p. 5–9 sqq.).

2. Negant Poenitentiam esse *sacramentum*, etiam in sensu quem huic voci ipsi tribuunt. Duo enim retinent sacramenta, i.e. Baptismum et Coenam, ac docent Poenitentiam reducendam et confundendam esse cum Baptismo et esse veluti memoriam seu recordationem ipsius Baptismi, quatenus in proposito novae vitae, a peccatore elicito, rememoratur et confirmatur actus fiduciae in Christo, ratione cuius Baptismus remisit omnia peccata etiam futura (cf. Conc. Trid., sess. 14, can. 1 et 2).

Soli Anglicani Ritualistae concedunt Poenitentiae aliquam rationem sacramenti, distinguentes inter sacramenta majora seu proprie dicta (Baptismum et Coenam) et sacramenta minora (cetera quinque).

3. Consequenter docent *essentiam* seu partes Poenitentiae non esse contritionem, confessionem et satisfactionem, sed tantum terrorem incussum conscientiae, agnito peccato, et fidem seu fiduciam conceptam ex Evangelio vel absolutione, qua quis credit sibi per Christum remitti peccata (cf. Conc. Trid., can. 4).

Articuli Smalkaldici, part. 3, a. 3, n. 3. 10. 11. 18. 20 (J. T. Müller, Die symbolischen
Bücher der evangelisch-lutherischen Kirche, Gütersloh, 1898, p. 312–315. 321).
Melanchthonius, Confessio Augustana, art. 11. 12. 25. 28; Apologia Confessionis
Augustanae, art. 11. 12. 25. 28 (J. T. Müller, l. c., p. 41. 53. 63. 164. 168. 169. 170. 172);
Loci communes, de poenitentia (Corpus Reformatorum, t. 21. col. 215–220. 490–495.
877); Examen ordinandorum (ibid., t. 23, col. 46–48. 54 sq.).
Chemnitius, Examen decretorum concilii Tridentini, De contritione, a. 9; item De
satisfactione, n. 5. 6. 16.
Calvinus, Inst. christ., l. 3, c. 3 et 4; l. 4, c. 8 et 19 (Corpus Reformatorum, t. 32,
col. 67 sqq.).
Zwinglius, De vera et falsa religione, De clavibus (Opera, t. 3, Zurich, 1832). Jam in
thesibus ab eo defensis a. 1523 plures errores de poenitentia exponebat (cf. apud E. F. K.
Müller, Die Bekenntnisschriften der reformierten Kirche, Leipzig, 1903, p. 6).
Articuli 39 ecclesiae anglicanae, art. 12. 16. 22.
Dallaeus, De sacramentali seu auriculari Latinorum Confessione, Genevae, 1661 (Huius
libri confutationem fecit Denis de Sainte-Marthe, Traité de la confession contre les
erreurs des calvinistes, Lyon, 1685).
Gottlieb Spitzel (Theophilus Spizelius), Selecta doctorum veterum scriptorumque
ecclesiasticorum de vera sinceraque ad Deum conversione monumenta et documenta,
Augsburg, 1685.
J. Halès, A tract concerning the power of the keys and auricular confession, 1709.
Pusey, Entire absolution of the penitent, Oxford, 1846.
Maskell, An inquiry upon the doctrine of the Church of England upon absolution,
London, 1849.
Ackermann, Die Beichte, Hamburg et Gotha, 1853.
Steitz, Das römische Busssakrament nach seinem biblischen Grunde und seiner geschicht-
lichen Entwicklung, Frankfurt, 1854. Die Bussdisziplin der morgenländischen Kirche in
der ersten Jahrhunderten, in Jahrbücher für deutsche Theologie, 1863, fasc. 1.

4. Exinde docent *contritionem*, in sensu catholico acceptam pro peccati detestatione, non esse verum actum poenitentiae, cum genuina poenitentia consistat in solo proposito novae vitae, eam vero contritionem quae oritur ex consideratione amissae beatitudinis et timore damnationis (attritionem nempe) non esse verum et utilem dolorem nec ad gratiam praeparare, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem (cf. Conc. Trid., can. 5).

5. Negant *confessionem* esse necessariam et ex jure divino, ac docent eam ortam esse ex humana institutione et consuetudine, ac proinde liberi usus, quamvis sit utilis (ita praecipue Anglicani) ad excitandam fidem justificantem ex memoria suscepti Baptismi. Negant consequenter necessitatem integritatis confessionis, imo addunt non licere peccata venialia confiteri et inconveniens esse omnia peccata etiam gravia accusare, quasi nihil relinquere velimus divinae misericordiae ignoscendum (cf. Conc. Trid., can. 6. 7. 8).

6. *Peculiariter impugnant sacramentalem satisfactionem*, tum quia docent satisfactionem non pertinere ad conceptum poenitentiae quae in solo proposito novae vitae consistit, tum quia volunt totam poenam

Pfisterer, Luthers Lehre von der Beichte, Stuttgart, 1857.
L. Hahn, Die Lehre von den Sakramenten in ihrer geschichtlichen Entwickelung, Breslau, 1864.
Boyd, Confession, Absolution and the Real Presence, London, 1867.
Blunt, The sacraments, London, 1868.
Löning, Gesch. des deutschen kirchenrechts, t. 2, 1878.
Dieckoff, Des Ablasstreit, Gotha, 1886.
Harnack, Lehrbuch der Dogmengeschichte, Friburgi in Br., 1888, t. 1, p. 367 sq. 439–444; t. 3, p. 15 sqq. 593 sq.
Preusschen, Tertullians Schriften De Paenitentia und De Pudicitia mit Rücksicht auf die Bussdisziplin untersucht, Giessen, 1890.
Sohm, Kirchenrecht, Leipzig, 1892.
Lipsius, Luthers Lehre von der Busse, Brunswick, 1892.
Morgan Dix, The sacramental system, New York, 1893 (p. 82–104).
K. Müller, Die Bussinstitution in Karthago unter Cyprian, in Zeitschrift für Kirchengeschichte, 1895, p. 1 sqq. 187 sqq.
A. Ritschl, Die christliche Lehre von der Reue und Versöhnung, Bonn, 1895–1903.
Sieffert, Die neusten theol. Forschungen über Busse und Glaube, Berlin, 1896.
Götz, Die Busslehre Cyprians, Königsberg, 1895. Studien zur Geschichte des Busssakraments, in Zeitschrift für Kirchengeschichte, 1895 et 1896.
H. Ch. Lea, A History of auricular Confession and Indulgences in the latin Church, 3 voll., Philadelphiae, 1896 (Hunc librum impugnarunt *F. Boudinhon*, *M. Dohl*, *E. Vacandard*, *P. H. Casey* [Americanus] et *P. M. Baumgarten*, in operibus supra cit., p. 20 sqq.).
K. Holl, Enthusiasmus und Bussgewalt beim griechischen Mönchtum, Leipzig, 1898.
Herzog, Die obligatorische römische ohrenbeichte, eine menschliche Ergindung, 1901.
E. Fisher, Zur Geschichte der evangelischen Beichte, 2 voll., Leipzig, 1902–1903.
H. B. Swete, Penitential discipline in the three first centuries, in Journal of Theological Studies, t. 4 (1903), p. 321–327.
Loofs, Leitfaden zum Studium der Dogmengeschichte.
O. Watkins, A History of Penance, 2 voll., London, 1920.
R. Seeberg, Christliche Dogmatic, t. 2, 1925, § 45, n. 11–12, p. 494–500; § 46, n. 18, p. 584. Lehrbuch der Dogmengeschichte.
St. Horst, Glaubenslehre, 1927, § 16, 19, 1.

simul cum culpa remitti semper a Deo, tum quia sustinent potestatem clavium esse datam a Christo ad solvendum non vero ad ligandum per poenarum impositionem, tum quia inepte incusant mentem Ecclesiae catholicae esse ut propriis meritis et operibus homo sit causa suae justificationis (cf. Conc. Trid., can. 12–15).

7. *Maxime tandem repugnant catholico conceptui absolutionis consistentis in vera potestate judiciali remittendi et retinendi peccata.* Dicunt illum oriri ex falsa interpretatione verborum Scripturae (Quaecumque alligaveritis et solveritis) et adulteratione intentionis Christi, qui noluit conferre potestatem jurisdictionis sed solius ministerii. Hoc ministerium consistit in ipsa praedicatione Evangelii et evangelicae doctrinae de remissione peccatorum per fidem in Christum, ex qua praedicatione homo certus fit suam justificationem ratam haberi in coelis. Unde absolutio sacerdotis non habet valorem judicialem seu remissivum, sed tantum declarativum remissionis jam operatae ex ipsa fide subiecti. Ex quo etiam sequitur *non solos sacerdotes esse ministros* absolutionis seu potestatis declarativae, sed omnes et singulos fideles, sicut omnibus universaliter commissum est ministerium verbi (cf. Conc. Trid., can. 9 et 10).

Jansenistae doctrinam Protestantium de *contritione, satisfactione* et *absolutione* sub mitiori expressione docuerunt, ut patet ex supra citatis (p. 30 sq.) documentis Pii V contra Baium, Alexandri VIII contra Jansenistas, Clementis XI contra Quesnel et Pii VI contra Pistorienses. Praeterea *rigorismum* antiquorum Montanistarum et Novatianorum aliquatenus renovarunt, ut patet ex eisdem documentis.

H. Koch, Cyprianische Untersuchungen, 1929. Cathedra Petri, 1930.
Realencyklopädie für protest. Theol.: R. Seeberg, Bekehrung, t. 2, p. 541; *Caspari*,
Beichte, p. 533; *J. Köstlin*, Busse, p. 584; *O. Kirn*, Versöhnung, t. 20, p. 552; *Karl*
Burger, Reue, t. 16, p. 688.
Encyclopaedia of religion and ethics, Edimburg, 1917, art. Penance, t. 9, p. 715.
J. Turmel, apostata a fide catholica, scripsit, sub pseudonimis *A. Vanbeck* et *A.*
Lagarde, sequentia opera critica et historica, radicaliter anticatholica: La discipline
pénitentielle dans les écrits de saint Paul, in Rev. d'hist. et litt. rel., 1910. La pénitence
dans les écrits des premières générations chrétiennes, Ibid., 1910. La pénitence dans le
Pasteur d'Hermas, Ibid., 1911. La pénitence dans Tertullien, Ibid., 1912. La pénitence
dans Origène, Ibid., 1912. La pénitence dans saint Cyprien, Ibid., 1913. La discipline
pénitentielle en Orient de Denys de Corinthe à Athanase, Ibid., 1920. La pénitence dans
saint Basile, Ibid., 1922. Les origines de la confession, Ibid., 1922. Saint Jean Chrysostome
a-t-il connu la confession?, Ibid., 1913 et 1914. La pénitence dans les Églises d'Italie au
cours du IV et V siècles, in Revue de l'histoire des religions, 1925. Saint Augustin a-t-il
connu la confession?, in Rev. d'hist. et litt. rel., 1913. La doctrine pénitentielle de Saint
Augustin, Ibid., 1921. Le pape saint Grégoire a-t-il connu la confession?, Ibid., 1912. La
doctrine pénitentielle du pape Grégoire, Ibid., 1922. Praeterea confer ejusdem Turmel
"Histoire des dogmes", v. 6.

Inter catholicos doctrinas Protestantium exposuerunt varii *doctores praecipue polemici*,
supra relati (p. 19 sqq.). Praeterea confer *Dictionnaire de Théologie Catholique*, art.
Pénitence (col. 1050–1073); art. *Absolution* (col. 214–240); *Confession* (col. 930–942);
item generalia opera *Moehler, Schanz* et *Trésal*, citata in tractatu De sacr. in gen., p. 23.

Moderni Protestantes liberales et Modernistae Novatorum doctrinas historicis inquisitionibus et criticis commentis fulcire conati sunt. Praecipue contendunt Ecclesiam primitivam *non habuisse conscientiam potestatis remittendi peccata* (nonnisi proinde in foro externo peccatores a se excommunicatos absolvisse), sed eam conscientiam paulatim acquisivisse (cf. Decretum "Lamentabili" supra cit., p. 31). Conceptus *satisfactionis*, aiunt plures cum *Harnack*, inductus est a Tertulliano ex quo originem habent conceptus juridici qui exinde in Ecclesia praevalere coeperunt; conceptus vero *attritionis*, qui est infra ordinem moralitatis et dignitatis humane, multo recentius introductus est, a schola Scotistica.

III. DIVISIO TRACTATUS

Sicut in Eucharistia, quae est Christi cibus et altare, tria mysteria conserta proponuntur, scilicet praesentia realis, sacramentum et sacrificium, ita in Poenitentia, quae est Dei medicina et tribunal, triplex veritas reseratur, scilicet poenitentiae *VIRTUS, SACRAMENTUM* et *CLAVIUM POTESTAS*, quae intimius quam mysteria eucharistica ita in unicam rationem sacramentalem coalescunt, ut actus virtutis poenitentiae sit ipsa materia, potestas vero judicialis sit quodammodo ipsa forma sacramenti.

Et sicut in ipso sacramento Eucharistiae aliquid omnino peculiare continetur, a quo totum sacramentum veluti dominatur, realis nempe praesentia corporis Christi, ita in sacramento Poenitentiae aliquid prorsus novi observatur a quo totus ritus quodammodo vivificatur, ipsa nempe virtus poenitentiae, a qua procedunt actus, materiam sacramenti constituentes eiusque formam indirecte determinantes.

Hinc provenit duplex classica consideratio, inde a *Petro Lombardo* apud theologos usitata, Poenitentiae nempe *ut virtutis* et Poenitentiae *ut sacramenti*, cui a quibusdam, post *S. Thomam*, adnectitur tertia distincta consideratio de *potestate clavium*. Quoad modum autem duplicem praedictam considerationem disponendi ac praesentem tractatum dividendi, *alii aliter procedunt*.

Quidam, ut *Collet, Perrone, Gihr, Einig, Lercher, Galtier, Tanquerey, Hervé*, sequentes viam inauguratam a *Suaresio* et *Lugo*, tractatum dividunt in duas partes, quarum prima (brevior quidem et ad modum introductionis), est de virtute poenitentiae, altera vero (cui quidam adnectunt seiunctam quaestionem de potestate clavium) est de ipso sacramento, quemadmodum tractatus de Eucharistia a quibusdam dividitur in sectionem de praesentia reali et sectionem de sacramento (cui quidam addunt separatam partem de sacrificio).

Hujusmodi quidem divisioni suffragari videtur tum ipsa rerum indoles, cum virtus sit, absolute loquendo, natura prior sacramento quod est positivae institutionis, tum auctoritas *Petri Lombardi* et *Catechismi Conc. Trid.*, qui incipiunt a consideratione virtutis, tum practica et speculativa utilitas hujusmodi dispositionis, quae sic proponitur ab eodem Catechismo: "Primum quidem de ipsa [poenitentia], ut virtutis parte, agendum est; non solum quia fidelis populus ad omne virtutis genus a Pastoribus institui debet, sed etiam quia hujus virtutis actiones tamquam materiam praebent, in qua poenitentiae sacramentum versetur; ac nisi prius quae sit poenitentiae virtus, recte intelligatur, sacramenti etiam vim ignorari necesse est."[47]

Ad rem *Lugo:* "Doctrina quae ad Poenitentiam spectat, duas habet partes principales; altera est de poenitentiae virtute, altera de sacramento poenitentiae: Et quidem S. Th. III part. cum non ageret de virtutibus, sed de sacramentis, neque aliter de virtute poenitentiae disputaret, nisi quatenus erat pars sacramenti poenitentiae, merito praemisit aliquid de sacramento, quaest. lxxxiv, ut postea qu. lxxxv, ageret de virtute usque ad qu. lxxxix; quaestione vero xc, iterum rediit ad sacramentum, ubi felici morte occupatus disputationem imperfectam reliquit. Ceterum si ad claritatem doctrinae attendamus, longe commodior videtur methodus Francisci Suarez, et aliorum qui prius de virtute poenitentiae, postea de sacramento disputant. Illa enim prior pars omnino praescindit a posteriori, et habet se sicut actio superior, cum possit reperiri virtus poenitentiae sine sacramento, et non e contra: Ordo autem doctrinae postulat, ut prius ab universalioribus incipiamus."[48]

Attamen tres praedictae rationes non tanti sunt ponderis ut inde cogamur recedere a logica divisione, ab aliis doctoribus, ut *Salmanticensibus, Billuart, Pesch, Hugon, Billot, Diekamp, D'Alès,* post *S. Thomam* amplexa, juxta quam consideratio virtutis poenitentiae subordinatur et interpolatur formali et totali considerationi ipsius sacramenti, ex parte nempe elementi materialis quod a virtute poenitentiae veluti informatur,[49] quemadmodum in tractatu De Eucharistia considerationem praesentiae realis considerationi ipsius sacramenti logice subordinavimus et contexuimus.

Et ratio praecipua hujus ordinis est quia, ut notavimus in Introductione tractatus De Eucharistia (p. 32 sq.), cum hic sermo sit de sacramento, oportet ut quidquid de eo disputetur, disponatur sub

[47] P. 2, c. 5, q. 3.

[48] Disp. Schol., t. 4, De Poenitentia (Prologus), Parisiis, 1892, p. 362.

[49] Cf. *Salmanticenses*, De Poenitentia, Prooemium; *Billuart*, De Poenitentia, circa initium; *Pesch*, De Poenitentia, Praenotanda; *Hugon*, Prologus quaestionis primae de Poenitentia.

ratione et formalitate ipsius sacramenti secundum causas ejus intrinsecas et extrinsecas.

Ceterum, tres rationes quae alteram dispositionem commendare videntur, cedunt tribus sequentibus. Primo nempe, ratio sacramenti, de facto et in ordine instituto, praecedit rationem virtutis in linea causae justificantis, eo quod virtus non valeat justificare nisi ut pars sacramenti aut ex ejus voto; et propterea S. Thomas, agens de virtutibus in secunda parte Summae, omisit tractationem virtutis poenitentiae eamque remisit ad tertiam partem, ubi de ipso sacramento. Secundo, si qua vera diversitas esset, auctoritas Petri Lombardi et Catechismi Conc. Trid. cederet, respective, auctoritati S. Thomae et ipsius Concilii Tridentini (cf. sess. 14, cap. 3 et 4). Tertio, invocata utilitas prius disserendi de virtute quam de sacramento, non respicit scientificam et theologicam tractationem hujus sacramenti, ut innuitur in ipsis citatis verbis et patet ex ipsa indole ejusdem Catechismi Conc. Trid. qui est ad parochos, pro fidelium instructione.

Quod autem attinet ad clavium potestatem, ejus consideratio posset quidem a consideratione sacramenti aliquatenus seiungi, ut fit quoad rationem sacrificii in tractatu De Eucharistia, maxime si, cum S. Thoma, clavium potestas latius accipiatur, prout extenditur etiam ad inflictionem Excommunicationis et concessionem Indulgentiarum. Attamen, de facto contrariam methodum suadet tum moderna indoles et exigentia hujus tractatus, prout inde a suo initio suscipit defendendum, contra Protestantes et Rationalistas, proprium characterem potestativum et judicialem hujus sacramenti, tum ipsa interna ratio materiae, nam potestas clavium eiusque exercitium imbibitur necessario in variis quaestionibus de institutione, de forma absolutionis, de effectu sacramenti et de ministro, a quibus nequit convenienter separari nisi sub periculo plura ad satietatem repetendi. Ceterum, de generaliori ratione potestatis clavium, prout extenditur etiam ad Excommunicationem et Indulgentias, convenienter fit sermo ad calcem tractatus, cum ipsa pertineat ad sacramentum poenitentiae tantummodo per quandam cognationem et connexionem, quemadmodum sacramentalia connectuntur cum sacramentis.

S. THOMAS sequentem generalem divisionem tradit, quam, morte praeventus, nonnisi partialiter executioni mandare potuit:

"Consequenter considerandum est de sacramento poenitentiae; circa quod primo considerandum est de ipsa poenitentia; secundo de effectu ipsius; tertio de partibus ejus; quarto de suscipientibus hoc sacramentum; quinto de potestate ministrorum, quae ad claves pertinet; sexto de solemnitate hujus sacramenti. Circa primum duo consideranda

sunt: primo de poenitentia, secundum quod est sacramentum; secundo de poenitentia, secundum quod est virtus" (Prologus q. 84).

"Deinde considerandum est de effectu poenitentiae; et primo quantum ad remissionem peccatorum mortalium; secundo quantum ad remissionem peccatorum venialium; tertio quantum ad reditum peccatorum dimissorum; quarto quantum ad restitutionem virtutum" (Prologus q. 86).

"Deinde considerandum est de partibus poenitentiae, et primo in generali; secundo in speciali de singulis" (Prologus q. 90, quae fuit ultima a S. Thoma exarata).

S. Doctor igitur *in Summa Theologica,* quam incompletam reliquit, sic procedit: *Primo,* agit de ipsa poenitentia (q. 84–85), et quidem prius ut est *sacramentum,* in sua generalitate (q. 84: de indole sacramentali; de institutione; de materia remota, proximam enim materiam, seu actus poenitentis, nonnisi transeunter tangit, cum de ea instituat particularem quaestionem inferius; de forma; de proprietatibus, seu duratione et iterabilitate), subinde ac immediate, ut est *virtus* (q. 85; sic S. Thomas complet tractatum moralem de virtutibus habitum in secunda parte Summae, ubi silet de virtute poenitentiae). *Secundo,* agit de *effectu* utriusque (q. 86–89), et quidem ad modum unius (ut constat v.g. ex q. 86, a. 6) et in genere tantum (nam in Suppl., q. 5 et 10 agitur specialiter de effectu contritionis et confessionis, quod quidem verisimiliter S. Doctor fecisset etiam in Summa). *Tertio,* agit de *partibus,* seu materia proxima, in genere (q. 90). Hic sistit Summa Theologica. Ut autem apparet ex nuper relatis prologis, propositum S. Doctoris erat complendi hanc tertiam quaestionem per tractationem partium in particulari, et subinde agendi: quarto de subjecto, quinto de ministro et potestate clavium, sexto de solemni ritu publicae poenitentiae. Quae quidem omnia verisimiliter pertractasset juxta ordinem et modum quo disponuntur in Supplemento.

In Supplemento praedictis tribus quaestionibus, pertractatis in Summa, additur: de partibus Poenitentiae in speciali (q. 1–15), scilicet contritione (q. 1–5), confessione (q. 6–9) et satisfactione (q. 10–15); *quarto,* de *subjecto* sacramenti (q. 16); *quinto,* de *potestate clavium* ejusque *ministro,* effectu et subjecto, itemque de excommunicatione et indulgentiis, uti quadam extensione potestatis clavium (q. 17–27); *sexto,* de *caeremoniis,* seu de ritu publicae poenitentiae (q. 28).

Sequentes igitur generales lineas processus S. Thomae, juxta logicum ordinem existentiae, essentiae et variarum causarum, hunc tractatum distribuimus per 12 Capita, quae, ob molem materiae, in quatuor tomos colligentur:

Existentia	CAPUT I. DE INSTITUTIONE SACRAMENTI	
Essentia		
Causae intrinsecae	CAPUT II. DE MATERIA ET FORMA IN COMMUNI	*Tom. I De Sacramento et virtute*
	CAPUT III. DE VIRTUTE POENITENTIAE	
Materia	CAPUT IV. DE CONTRITIONE	*Tom. II De contritione et confessione*
	CAPUT V. DE CONFESSIONE	
	CAPUT VI. DE SATISFACTIONE	*Tom. III De satisfactione et absolutione*
Forma	CAPUT VII. DE ABSOLUTIONE	
Causae extrinsecae		
Causa finalis	CAPUT VIII. DE EFFECTU ET PROPRIETATIBUS	*Tom. IV De causis extrinsecis*
Causa dispositiva et efficiens	CAPUT IX. DE SUBJECTO ET MINISTRO	
Connexa cum Sacramento	CAPUT X. DE GENERALI POTESTATE CLAVIUM	
	CAPUT XI. DE INDULGENTIIS	
	CAPUT XII. DE CAEREMONIIS	

CAPUT I

DE INSTITUTIONE SACRAMENTI POENITENTIAE

Agitur de *EXISTENTIA* ritus Poenitentiae et consequenter de eius indole sacramentali; utrumque enim involvitur in quaestione de ipsius institutione (art. 1); cui quaestioni adiungitur sermo de *tempore institutionis* (art. 2).

Momentum huius capitis, praecipue sub aspectu positivo, apparet ex hoc quod hic persolvendam suscipimus primam ex *quinque quaestionibus in quibus moderni theologi praesertim insistunt contra Protestantismum et Liberalismum theologicum*, scilicet: existentia verae et judicialis potestatis remittendi peccata; eius extensione ad omnia peccata; necessitate se subiciendi illi potestati; antiqua disciplina poenitentiali; confessione secreta.

ART. 1. Utrum Poenitentia Sit Verum Sacramentum N. L. A Baptismo Distinctum (q. 84, a. 1 et 6).

STATUS QUAESTIONIS

Ratio sacramenti tria importat: ritum a Christo institutum, sensibilem, collativum gratiae. Quaestio de sacramentali indole Poenitentiae eiusque a Baptismo distinctione facile resolvitur semel admissa potestate Ecclesiae, eaque judiciali, remittendi peccata; huius enim potestatis exercitium palam in se ostendit notam sacramenti et distinctionem a Baptismo.

Inde est quod *S. Thomas* et antiquiores theologi, supposito dogmate potestatis clavium, hanc quaestionem breviter ac leviori tantum manu tetigerint. Protestantica autem et Rationalistica impugnatio fundamentalis illius dogmatis, in quo omnis fere doctrina huius sacramenti resolvitur, *theologos posttridentinos*, praecipueque modernos, ad illud ex fontibus revelationis statuendum ac vindicandum coegit. Quod quidem alii alio ordine et ratione persolvunt, ita ut quaestio de institutione *POTESTATIS CLAVIUM* praeponatur, postponatur vel coniungatur cum quaestione de institutione ritus sacramentalis. Non enim existentia alicujus ritus remissionis peccatorum involvit necessario existentiam seu exercitium alicuius proprie dictae et judicialis

potestatis, ut patet de Baptismo, adeoque res ita logice disponi possent ut prius statuatur existentia ritus eiusque indoles sacramentalis, subinde vero determinetur eius ratio potestativa et judicialis (puta ubi agitur de ministro).

Attamen consultius inde ab initio tractatus binae quaestiones ad modum unius persolvuntur, utpote pariter fundamentales et ad invicem dependentes; eisdem enim argumentis utraque statuitur eisdemque adversariis uno certamine occurritur.

QUATUOR INDE QUAERUNTUR in hoc articulo:

1. An sit in Ecclesia potestas remittendi peccata a Christo Domino concessa.
2. An haec potestas sit proprie judicialis.
3. An sit quoque sacramentalis, ita ut eius exercitium consistat in proprie dicto sacramento N.L.
4. An hoc sacramentum sit adaequate distinctum a Baptismo.

Quibus quaestionibus *quadriformis facies haeresis Protestanticae*, sub speciosiori et magis critica forma a modernis Liberalibus praesentata, singillatim consideratur.

PARS NEGATIVA

Prima explicita ac directa negatio proprie dicti sacramenti Poenitentiae et potestatis clavium facta est a Protestantibus; eam praecesserunt vel praepararunt quaedam aequivalentes vel indirectae negationes, praecipue apud aliquas sectas antiquas et mediaevales, eamque perfecit radicalis et pseudo-critica negatio Liberalium nostri temporis.

Summa erroris est: Christus non concessit Ecclesiae proprie dictam potestatem remittendi peccata, praecipue quae sit ipsi hierarchiae reservata, nec ceterum instituit aliquem ritum ad remissionem peccatorum ordinatum, qui sit ab ipso Baptismo distinctus.

1. *ERRORES PRAECEDENTES PROTESTANTISMUM.*

Hi errores, generatim et sub aliqua saltem ratione, tum hierarchiam tum potestatem clavium in Ecclesia esse agnoverunt, sed utriusque necessarium nexum negarunt. Summa ergo erroris ad hoc reducitur: non est in Ecclesia stricte dicta potestas absolvendi, i.e. determinatum munus potestativum, Ecclesiae commissum; si quae vero potestas absolvendi invenitur, consideranda est ut *speciale charisma, quibusdam sanctis a Spiritu S. concessum.*

MONTANISTAE non solum *extensionem* sed ipsam *existentiam potestatis* remittendi peccata indirecte impetiti sunt, quatenus eam

tribuebant non hierarchiae sed omnibus et solis hominibus spiritualibus, seu considerabant ut quoddam personale charisma Spiritus S. Nec refert quod concederent ipsi hierarchiae facultatem indulgendi leviora peccata, nam, juxta Tertullianum montanistam, id *non proprie ad potestatem* pertinere videtur, sed tantum "ad doctrinam et disciplinam" seu ad generale munus docendi et gubernandi.

Ad rem *Tertullianus,* jam montanista, De Pudicitia, 21: "[Discerne] *inter doctrinam apostolorum et potestatem.* Disciplina hominem gubernat, potestas absignat, seorsum quod potestas, spiritus autem Deus. Quid autem docebat? non communicandum operibus tenebrarum (Ephes. v, 11). Observa quod jubet. Quis autem poterat donare delicta? hoc solius ipsius est. 'Quis enim dimittit delicta, ni solus Deus (Marc. ii, 7)?' et utique *mortalia quae in ipsum fuerint admissa et in templum ejus;* nam tibi quae in te reatum habeant, etiam septuagies septies juberis indulgere in persona Petri (Matth. xviii, 22). Itaque, si et ipsos beatos apostolos tale aliquid indulsisse constaret, cujus venia a Deo, non ab homine, competeret, *non ex disciplina, sed ex potestate fecisse.* Nam et mortuos suscitaverunt, quod Deus solus; et debiles redintegraverunt, quod nemo nisi Christus . . . Exhibe igitur et nunc mihi, apostolice [alloquitur auctorem Decreti Callisti], prophetica exempla, et agnoscam divinitatem, et vindica tibi delictorum ejuscemodi remittendorum potestatem. Quod *si disciplinae solius officia sortitus es, nec imperio praesidere, sed ministerio, quis aut quantus es indulgere? qui neque prophetam, nec apostolum exhibens, cares ea virtute cujus est indulgere?*

"Sed habet, inquis, potestatem Ecclesia delicta donandi. Hoc ego magis et agnosco et dispono, qui ipsum Paracletum in prophetis novis habeo dicentem: Potest Ecclesia donare delictum, sed non faciam, ne et alia delinquant. Quid, si pseudopropheticus spiritus pronuntiavit? Atqui magis eversoris fuisset, et semetipsum de clementia commendare, et caeteros ad delinquentiam temperare. Aut si et hoc secundum spiritum veritatis affectare gestivit, ergo spiritus veritatis potest quidem indulgere fornicatoribus veniam, sed cum plurium malo non vult.

"De tua nunc sententia quaero, unde hoc jus Ecclesiae usurpes. Si, quia dixerit Petro Dominus: 'Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; tibi dedi claves regni coelestis', vel: 'Quaecumque alligaveris vel solveris in terra, erunt alligata vel soluta in coelis' (Matth. xvi, 18, 19); idcirco praesumis et ad te derivasse solvendi et alligandi potestatem, id est ad omnem Ecclesiam Petri propinquam; qualis es evertens atque commutans manifestam Domini intentionem personaliter hoc Petro conferentem: 'Super te', inquit, 'aedificabo

Ecclesiam meam'; et: 'Dabo tibi claves', non Ecclesiae, et: 'Quaecumque solveris vel alligaveris', non quae solverint vel alligaverint. . . Adeo *nihil ad delicta fidelium capitalia potestas solvendi et alligandi Petro emancipata.* Cui si praeceperat Dominus etiam septuagies delinquenti in eum fratri indulgere (Matth. xviii, 22); utique nihil postea alligare, id est retinere mandasset, nisi forte ea quae in Dominum, non in fratrem quis admiserit; praejudicatur enim non dimittenda in Deum delicta, cum in homine admissa donantur.

"Quid nunc et ad Ecclesiam, et quidem tuam, psychice [i.e. catholice]? Secundum enim Petri personam spiritalibus potestas ista conveniet aut apostolo, aut prophetae. Nam et Ecclesia proprie et principaliter ipse est Spiritus. . . *Et ideo Ecclesia quidem delicta donabit; sed Ecclesia Spiritus per spiritalem hominem, non ecclesia numerus episcoporum:* Domini enim, non famuli est jus et arbitrium; Dei ipsius, non sacerdotis" (M.L. 2, 1077–1080).

Hieronymus, Epist. 41, 3 (ad Marcellam), ait de Montanistis: "Illi ad omne pene delictum Ecclesiae obserant fores" (M.L. 22, 476; cf. Adv. Jovinianum, 2, 3).

Ex NOVATIANIS quidam, cum ipso duce Novatiano, omnem potestatem remittendi peccata ab Ecclesia abiecisse videntur (cf. *Conc. Trid.*, sess. 14, cap. 1, Denz. 894), docentes lapsis post Baptismum non esse locum poenitentiae et verba *Joan. 20, 23* "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis" referri ad remissionem baptismalem ac complere sensum verborum *Matth. 28, 19* "Docete omnes gentes, baptizantes eos", verba vero *Matth. 18, 18* "Quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in coelo" referri ad quamdam indulgentiam et correptionem fraternam, de qua agitur ibidem v. 15 "Si . . . peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum."

Ita juxta *Epiphanium,* Haer. 59, 1; *Athanasium,* Ep. 4. ad Serap., n. 13; *Pacianum,* Ep. 3; *Ambrosium,* De paen. 1, 3 (cf. *Augustinum,* De haer. 38; *Hieronymum,* Adv. Jovinianum, 2, 3).

Ambrosius, De paen. 1, 3, 10: "Sed aiunt [Novatiani] se, exceptis gravioribus criminibus, relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem auctor vestri erroris *Novatianus, qui nemini poenitentiam dandam putavit;* ea scilicet contemplatione, ut quod ipse non posset solvere, non ligaret; ne ligando sperari a se faceret solutionem. In eo igitur patrem vestrum propria damnatis sententia, *qui distinctionem peccatorum facitis,* quae solvenda a vobis putetis, et quae sine remedio esse arbitremini: sed Deus distinctionem non facit, qui misericordiam suam promisit omnibus, et relaxandi licentiam sacerdotibus suis sine ulla

exceptione concessit. Sed qui culpam exaggeraverit, exaggeret etiam poenitentiam; majora enim crimina majoribus abluuntur fletibus. Ita nec Novatianus probatur, qui veniam interclusit omnibus: nec vos imitatores ejusdem et condemnatores; quia ibi minuitis studia poenitentiae, ubi augeri oportet; quia graviora peccata majoribus sustentanda fulcris docuit Christi misericordia" (M.L. 16, 489 sq.).

Pacianus, Ep. 3, 1. 11. 12: "[Doctrina] Novatianorum . . . hoc continet: Quod *post baptismum poenitere non liceat;* quod mortale peccatum Ecclesia donare non possit, immo quod ipsa pereat recipiendo peccantes. . .

"Jam quam argute caput illud absolvis, quod ego posui; datam episcopis potestatem, ut quae ligassent in terra, ligata essent et in coelis. *Dicis, hoc non ad fideles, sed ad catechumenos pertinere; ut baptizandis adhuc scilicet populis, solvi liceret crimina, vel teneri.* Duorum denique Evangelistarum capitula coniungis, ut unum esse videantur; et adjicis, quod Matthaeus minus integre prosecutus sit, complesse Joannem: ut quia apud Matthaeum dixerat Dominus: 'Ite et docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti' (Matth. xxviii, 19); apud Joannem impleverit dicens: 'Si cujus dimiseritis peccata, dimittentur illi; cujus retinueritis, et tenebuntur' (Joan. xx, 23): ut hoc dimittere vel ligare ad gentes quae baptizandae erant, pertinuisse videatur, quia prior Evangelista de gentibus praelocutus sit; de solvendo autem et ligando posterior impleverit. Quid ais? Evangelistae duo dimidiatos invicem sensus, et semi integros retulerunt? . . .

"Ais posuisse Matthaeum: 'Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum solus cum solo' (Matth. xviii, 15); ac statim subjunxisse Dominum: 'Quaecumque solveris in terra, soluta erunt et in coelis'; *ut ad fratris offensam pertinere videatur.* Age, non vides quod supra dicit: 'Si in te peccaverit frater tuus'; huic vero addit: 'Amen dico vobis. Quaecumque solveritis in terra', etc. Illud uni jussit, hoc pluribus relaxavit: illud ipse solvit in quem admittitur; hoc vero, Ecclesia; illud, sine sacerdote, sine fratribus; hoc ab omnibus impetratur. 'Quaecumque solveritis', inquit; *omnino nihil excipit. 'Quaecumque', inquit: vel magna, vel modica.* Attende quod ad Petrum dicat inferius id quod peccatur in hominem, septuagies et septies relaxandum; ut ostendat, alias vel semel posse. Tamen qui in Petrum peccat, Dominum laedit: sicut ad Samuel ipse significat: 'Non te nullius momenti fecerunt, sed me' (I Reg. viii, 7). Conceditur ergo vel semel Ecclesiae, quod nobis ipsis totiens imperatur" (M.L. 13, 1063. 1070–1072).

Saec. 12 *ABAELARDUS* († 1142), ad firmandam suam aliorumque doctorum sententiam de extinctione potestatis apud episcopos indignos,

docuit: "Quod . . . Dominus apostolis ait: 'Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis', etc., ad personas eorum, non generaliter ad omnes episcopos referendum videtur, sicut et quod eis alibi ait: 'Vos estis lux mundi; et vos estis sal terrae' (Matth. v, 18), vel pleraque alia de personis eorum specialiter accipienda. Non enim hanc discretionem vel sanctitatem, quam apostolis Dominus dedit, successoribus eorum aequaliter concessit; nec omnibus aeque dixit: . . . 'Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem' (Joan. xvi, 13)" (Ethica, c. 26, M.L. 178, 674).

Hanc Abaelardi doctrinam sic resumpsit ac condemnavit *Conc. Senonense* a. 1140: "Quod potestas ligandi atque solvendi Apostolis tantum data sit, non successoribus" (Denz. 379).

Saec. 14 *WICLEFF* († 1384) docuit absolutionem datam a quolibet sacerdote, etiam sancto, esse abusum potestatis seu usurpationem illius potestatis quae soli Deo competit ad remittenda peccata.[1]

Ceterum, indirecta negatio potestatis clavium, quam vidimus apud Montanistas et Novatianos, invenitur quoque in sententia *Waldensium, Fraticellorum, Wicleffitarum* et *Hussitarum* (cf. Denz. 424. 486. 488. 584. 670. 671. 672), qua docetur eam potestatem esse pendulam a dispositionibus ministri, ac si ipsa non sit proprie munus commissum Ecclesiae sed tantummodo charisma quibusdam concessum. Propterea plures Hussitae explicite docuerunt potestatem absolvendi competere omnibus piis et devotis fidelibus, etiam laicis et feminis (cf. Denz. 670).

Diximus supra (p. 35), *inter Schismaticos orientales,* russos *Rascolnikos Bezpopovtsos* amplexisse placita antiquarum sectarum de potestate piorum laicorum absolvendi peccata.

Ceterum, in Ecclesia orientali, tam post separationem quam etiam antea, per aliquod temporis spatium invaluit *abusus peccata confitendi apud simplices monachos sacerdotio non insignitos,*[2] imo "negari . . . non potest *inter monachos quamdam exstitisse factionem,* quae potestatem remittendi peccata inter charismata spiritualia recenseret, independenter a potestate ordinis vel jurisdictionis. Hujus sententiae patronus illustrior fuit *Symeon Novus Theologus,* illius 'Epistolae de confessione' auctor quae in quibusdam codicibus sub nomine sancti Joannis Damasceni venit.[3]

"Thesis a Symeone propugnata his paucis enuntiari potest: 'Potestatem remittendi peccata a Salvatore acceperunt apostoli; quam suis

[1] Cf. *Thomam Waldensem,* Doctrinale antiquitatum fidei, l. 2, c. 144, Parisiis, 1521.

[2] Cf. *J. Pargoire,* L'Église byzantine de 527 à 847, Paris, 1905, p. 348; *Jugie,* Theologia Orientalium, t. 3, Parisiis, 1930, p. 363 sq., qui apte monet huiusmodi abusus limites non esse ultra modum exaggerandos, ut fit v.g. a protestante *K. Holl* in opere Enthusiasmus und Bussgewalt beim griechischen Mönchtum, Lipsiae, 1898.

[3] Habetur in M.G. 95, 283–304.

successoribus, id est episcopis, et iis solis, transmiserunt. Progrediente vero tempore, cum praesules diversis vitiis se dedissent et in varias haereses delapsi essent, 'divina gratia eos dereliquit, haecque potestas a talibus ablata est', et donum Spiritus ad monachos transivit; non autem ad omnes, sed ad eos solum, qui sanctitate vitae praefulgent, quosque signat fidelibusque manifestat miraculorum donum, ad dignitatem apostolicam eos evehens."[4]

2. *PROTESTANTISMUS.*

Ex duplici fundamentali principio ecclesiologico et sanctificativo processit ad evertendam totam essentiam sacramenti Poenitentiae, quamvis retinuerit quasdam vacuas doctrinas vel formulas poenitentiales. Negata nempe *constitutione hierarchica Ecclesiae,* radicitus evacuavit potestatem clavium, quam reduxit ad nudum ministerium declarandi remissionem peccatorum; statuta vero *justificatione per solam fidem in Christum* expressam in ipso Baptismo, evacuavit indolem sacramentalem ritus Poenitentiae, quem reduxit ad meram ipsius Baptismi recordationem.

Novatorum doctrina ad quatuor propositiones reduci potest, quae sunt veluti quatuor facies unius haeresis:

a. *Non est in Ecclesia proprie dicta potestas remittendi peccata.*
Talis potestas colligi non potest neque ex verbis Christi in *Joan. 20, 21–23,* quippe quae, ex ipsa interpretatione antiquae Ecclesiae, referuntur ad justificationem baptismalem et intelligi debent de potestate praedicandi Evangelium seu remissionem peccatorum per fidem in Christum, neque ex *antiqua disciplina* poenitentiae postbaptismalis, nam haec respiciebat directe emendationem et correptionem in foro externo, et nonnisi indirecte ipsius conscientiae purgationem, quatenus excitaret subiectivas dispositiones fidei justificantis.

Praedicta tamen facultas praedicandi Evangelium et declarandi peccata esse remissa dici potest *improprie dicta potestas* remittendi peccata, ac per se indiscriminatim *convenit omnibus fidelibus* absque distinctione aetatis, sexus alteriusve conditionis.

Octava ex duodecim propositionibus, examini Theologorum Tridentinorum propositis, sic errorem Novatorum resumit: "Sacerdotes non habere potestatem ligandi et solvendi nisi Spiritus sancti gratia et charitate sint praediti; et non eos solos esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis christianis esse dictum: 'Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelis', etc. Quorum verborum virtute

[4] *Jugie,* Theologia Orientalium, t. 3, Parisiis, 1930, p. 364 sq.

absolvere possunt peccata, publica quidem per correctionem, si correctus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem" (Apud A. Theiner, Acta genuina Conc. Tridentini, Zagabriae, 1874, t. 1, p. 531 sq.). Haec propositio excerpta est ex: *Luthero,* Assertio omnium articulorum M. Lutheri per bullam Leonis X novissimam damnatorum, n. 10–14 (cf. Denz. 750–755); De capt. babyl.; *Calvino,* Inst. christ. 3, 4, 21 sq.

Conc. Trid., sess. 14 de Poen., can. 3, sic damnat errorem Protestantium: "Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris: 'Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt' [Io 20, 22 sq.] non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in sacramento poenitentiae, sicut Ecclesia catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem huius sacramenti, ad auctoritatem praedicandi Evangelium: A. S." (Denz. 913).

"*Calvinus* [in sensu excitationis fidei justificantis] agnoscit potestatem clavium, quae exerceatur triplici in casu, nempe, ubi Ecclesia tota, suorum peccatorum conscia, veniam a Deo collective petit; ubi quis, post delictum quod fuerit Ecclesiae scandalo, ab Ecclesiae ministris testimonium habet paenitentiae sufficientis ut possit ad Ecclesiam iterum admitti; ubi quis, animo propter peccata sua depressus, ad ministros Ecclesiae confugit, qui eum solentur et ab animi sui anxietate liberent, revocando ei in memoriam verbum evangelicum de fide in Dei misericordiam habenda (*Instit. chrét.* III. 4, 14). Quo in munere ministri ideo dicuntur 'peccata dimittere animasque solvere' quia sunt 'testes a Deo ordinati qui conscientiis certificent peccati remissionem' (*Ibid.* 12). At sacramentum hoc omnino nequit dici, nam 'promissio clavium . . . est tantum in praedicatione Evangelii, quin ulla sit differentia' sive ad multos fiat sive ad unum singularem (Op. cit. IV. 19, 17)."[5]

b. *Consequenter et a fortiori potestas clavium non est judicialis, sed mere declarativa.*

Septima ex supradictis propositionibus sic se habet: "Absolutionem sacerdotalem non esse actum judicialem sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo credat se esse absolutum, etiamsi non sit contritus, aut sacerdos non serio, sed joco absolvat. Imo etiam sine confessione peccatoris sacerdos eum absolvere posse" (Theiner, l. c.).

Haec propositio excerpta est ex: *Luthero,* Sermo de poenitentia; Assertio . . . , n. 11 sq. (cf. Denz. 751 sq.); *Melanchthonio,* Apologia

[5] *Galtier,* De Paenitentia, n. 119, Parisiis, 1931, p. 81.

Conf. Aug., a. 6, n. 8; a. 12, n. 39. 61. 62; *Calvino*, Inst. christ. 3, 4, 20–23.

Conc. Trid., sess. 14 de Poen., can. 9: "Si quis dixerit, absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum, aut sacerdos non serio, sed ioco absolvat; aut dixerit non requiri confessionem poenitentis, ut sacerdos ipsum absolvere possit: A. S." (Denz. 919).

c. *Poenitentia non est proprie dictum sacramentum*, seu non est ritus institutus ad remissionem peccatorum post Baptismum commissorum, sive remissio accipiatur in sensu catholico justificationis ex opere operato (sic enim nec ipse Baptismus est sacramentum), sive etiam in sensu protestantico justificationis per fidem (quemadmodum Baptismus est sacramentum). Etenim per Baptismum omnia peccata, etiam futura, remittuntur;[6] ceterum Poenitentia caret divina institutione, qua donantur Baptismus et Coena, in quibus absolvitur numerus sacramentorum.

Prima ex supradictis propositionibus legit: "Paenitentiam non esse proprie sacramentum ad reconciliationem pro relapsis post baptismum a Christo institutum; nec recte a Patribus secundam tabulam post naufragium appellari, sed baptismum esse ipsum sacramentum paenitentiae" (Theiner, l. c.).

Haec propositio desumpta est ex: *Luthero*, De capt. babyl.; *Melanchthonio*, Loc. comm. (editio 1522); *Calvino*, Inst. christ. 4, 15, 4; 4, 19, 17; *Zwinglio*, De numero et usu sacramentorum.

Conc. Trid., sess. 14 de Poen., can. 1, eundem errorem sic refert et damnat: "Si quis dixerit, in catholica Ecclesia poenitentiam non esse vere et proprie sacramentum pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum: anathema sit" (Denz. 911).

Notandum est *Melanchthonium* in altera editione operis "Loci communes" et in Apologia Conf. Aug. (in art. 13; cf. verba quae citavimus in tractatu De sacr. in gen., p. 510) recensuisse Poenitentiam inter tria proprie dicta sacramenta (Baptismum, Coenam, Poenitentiam). Imo ipse *Lutherus* initio Libri de captivitate babylonica ait: "Principio neganda sunt mihi septem Sacramenta, et tantum tria pro tempore ponenda: Baptismus, Poenitentia, Panis"; quamvis circa finem eiusdem libri, retractans vel explicans priorem assertionem, addat: "Paenitentiae Sacramentum, quod ego his duobus [i.e. Baptismi et Eucharistiae] accensui, signo visibili et divinitus instituto carere, et aliud non esse dixi quam viam ac reditum ad Baptismum."

[6] Cf. tractatum nostrum De Baptismo, p. 79.

d. *Poenitentia non est sacramentum distinctum a Baptismo*, sed quaedam recordatio Baptismi vel via et reditus ad Baptismum, quatenus ex verbis promissionis Christi in Matth. 16, 17–19; 18, 15–18 et Joan. 20, 19–23, iterum excitatur fides quae in Baptismo hominem justificavit. Hoc autem sensu, i.e. ad modum unius cum Baptismo et ratione Baptismi, Poenitentia dici potest proprie dictum sacramentum.

Cf. *primam ex supradictis propositionibus*, nuper citatam.

Cf. verba *Lutheri* modo citata.

Conc. Trid., sess. 14 de Poen., can. 2, hunc errorem sic refert et damnat: "Si quis sacramenta confundens, ipsum baptismum poenitentiae sacramentum esse dixerit, quasi haec duo sacramenta distincta non sint, atque ideo poenitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari: A. S." (Denz. 912).

Idem, sess. 7, can. 10 de Baptismo: "Si quis dixerit, peccata omnia, quae post baptismum fiunt, sola recordatione et fide suscepti baptismi vel dimitti vel venialia fieri: A. S." (Denz. 866).

3. *LIBERALISMUS MODERNUS.*

Rationalistae, Protestantes Liberales et *Modernistae* negant Christum instituisse sacramentum Poenitentiae, imo primitivam Ecclesiam hunc conceptum habuisse, ac dogma catholicum explicant praecipue per evolutionem quamdam *ecclesiae, ut aiunt, charismaticae in ecclesiam hierarchicam*, huiusque potestatis *ex potestate in foro externo in potestatem in foro interno*, quae incoeperit in prioribus saeculis et completa fuerit in medio aevo a *Conc. Lateranense IV* (a. 1215) decernente obligationem annuae confessionis.

Doctrina Modernistarum resumitur in sequentibus tribus propositionibus damnatis a *Decreto "Lamentabili"*:

Prop. 43: "Usus conferendi baptismum infantibus evolutio fuit disciplinaris, quae una ex causis exstitit, ut sacramentum resolveretur in duo, in baptismum scilicet et poenitentiam" (Denz. 2043).

Prop. 46: "Non adfuit in primitiva Ecclesia conceptus de christiano peccatore auctoritate Ecclesiae reconciliato, sed Ecclesia nonnisi admodum lente huiusmodi conceptui assuevit. Immo etiam postquam poenitentia tanquam Ecclesiae institutio agnita fuit, non appellabatur sacramenti nomine, eo quod haberetur uti sacramentum probrosum" (Denz. 2046).

Prop. 47: "Verba Domini: 'Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt'

[Io 20, 22 23], minime referuntur ad sacramentum poenitentiae, quidquid Patribus Tridentinis asserere placuit" (Denz. 2047).

MAGIS DETERMINATA ET EXPOLITA DOCTRINA HORUM ALIORUMQUE PSEUDO-CRITICORUM[7] *AD SEQUENTIA CAPITA REDUCITUR:*

In *Scriptura* nihil de sacramento clavium continetur; textus enim qui a catholicis adducuntur vel non sunt historici, vel referuntur ad speciale charisma solis Apostolis concessum (ita plures critici, qui antiquorum Protestantium exegesim derelinquunt ac fatentur verba Scripturae potius catholicis favere), vel non referuntur ad sacramentum Poenitentiae (cf. prop. 47 Modernistarum nuper relatam).

Patres loquuntur de variis modis quibus homo remissionem peccatorum consequi potest, ut oratione, eleemosyna, charitate, fide, bonis operibus; de clavium vero potestate silent.

Primitiva Ecclesia non erat *hierarchica* sed *charismatica;* regebatur nempe a solo Spiritu per charismata, seu potius per homines spirituales, pneumaticos et charismaticos. In hac sancta societate peccatum censebatur non esse, vel rarum, eiusque ceteroquin remissio soli Deo reservata; inde poenitentiae locus non erat vel, si aliquando fuit, a solis spiritualibus hominibus sub divino impulsu et per acceptum charisma remissio peccatorum exercita est (cf. argumenta huius opinionis infra, p. 126–130).

Succedente autem ex una parte Ecclesiae evolutione secundum hierarchicam constitutionem diaconorum, sacerdotum et episcoporum (ratione diminutionis charismatum) et augescente ex alia parte numero peccatorum, in medium prodiit *potestas ligandi et solvendi, quamvis in solo foro externo,* scilicet instituta est disciplina poenitentialis ex solo fine excludendi quosdam peccatores ab externa communione fidelium, quosdam vero in ea retinendi sub conditione determinatae poenae luendae.

Paulatim tandem talis potestas evoluta est in proprie dictam *potestatem clavium, seu ligandi et solvendi a peccatis in ipso foro interno,* quatenus pii fideles coeperint vim quamdam sanctificativam tribuere formulis mere deprecativis, in praedicta disciplina poenitentiali ab episcopis adhibitis, ac inde sponte ab eis quaesierint interiorem remissionem secretorum etiam peccatorum. In hanc evolutionem peculiarem influxum habuit praxis monachorum confitendi peccata suo priori seu praeposito communitatis.

[7] Hujus doctrinae applicationes occurrunt inferius in particularibus quaestionibus de hoc sacramento, uti de necessitate confessionis, de lege sigilli, de publica poenitentia, de efficacia potestatis clavium.

Quam praxim cum universalior evaderet, auctoritas ecclesiastica in diversis locis conata est sancire sub forma praecepti confitendi peccata, donec *Conc. Lateranense IV (a. 1215) universale condiderit annuae confessionis decretum.*

Hanc doctrinam, ab *HARNACK* primo inventam et vulgatam in sua Historia Dogmatum, amplexi sunt et evolverunt omnes Protestantes Liberales et Modernistae, praesertim *Sohm, Preuschen, Loofs* et *H. Koch* (apostata) in Germania, *H. Ch. Lea* in America,[8] et *J. Turmel* (apostata) in Gallia. Quorum aliorumque opera dedimus in Introductione tractatus, p. 37 sq.

Ad eandem interpretationem mentis antiquae Ecclesiae accesserunt quidam moderni historici catholici, nominatim *B. Poschmann* et *K. Adam* (in operibus cit. in p. 19. 23 sq.), qui concedunt antiquos Patres, generaliter saltem, non putasse absolutionem esse proprie et directe ordinatam ad remittendum ipsum peccatum (In hoc conveniunt cum criticis acatholicis), quamvis ei concederent quamdam veram indolem et vim sacramentalem (In hoc conantur sufficienter salvare doctrinam catholicam).

Juxta POSCHMANN, proprius et directus effectus absolutionis sacerdotis, in aestimatione antiquorum, nominatim Cypriani (Explicite tamen excipit Augustinum), non est ipsa remissio peccati, sed pax et reconciliatio cum Ecclesia, quae ceterum non est necessario ac de se inductiva pacis cum Deo seu remissionis peccati, cum haec sit effectus ipsius satisfactionis, Deo oblatae ab ipso peccatore vel ab aliis membris Ecclesiae, speciatim a "confessoribus". Attamen, quamvis absolutio non inducat directe remissionem peccati, ponit poenitentem in illis conditionibus in quibus, per suam vel aliorum satisfactionem, potest ipse operari ad salutem seu obtinere directe a Deo ipsam peccatorum remissionem, nam incorporat eum Ecclesiae, in qua tantum satisfieri potest et salus ac remissio obtineri; ac pro tanto absolutio est vere sacramentalis, i.e. ob ejus indirectas consequentias in remissionem peccatorum, quae oriuntur ex eo quod ipsa irrevocabiliter ponat poenitentem in praedictis conditionibus salutis.

Juxta ADAM, proprius ac directus effectus absolutionis, in aestimatione Patrum, et quidem ipsius etiam Augustini (In hoc differt a Poschmann et ab eo directe impugnatur), non est remissio peccati, sed poenae, quatenus per absolutionem Ecclesia declaret sufficientem, satisfactionem praestitam a poenitente; cum tamen ita poenitens obtineat remissionem ipsius debiti divini ac peccati, absolutio habet,

[8] Hunc peculiariter impugnarunt *Boudinhon, Dohl, Vacandard, Casey, Baumgarten, Batiffol, Hogan,* citati in p. 20 sqq.

indirecte et consequenter, effectum remittendi peccatum, estque vere sacramentalis.

Inter theologos dogmaticos *Diekamp* sic exponit et approbat sententiam Poschmann: "Ad hoc ut documenta Ecclesiae primaevae bene intelligantur, magni momenti est sententia optimis rationibus fulcita, quam *B. Poschmann* (Poenitentia secunda. Bonn 1940) proponit, secundum quam *reconciliatio* secundum doctores illius temporis non immediate nec in nomine Dei *peccata delet*. Non est ipsa Ecclesia, quae sententiam peccati remissivam enuntiat. Ipsa immediate non remittit nisi poenas ab ipsa impositas. Attamen reconciliatio ecclesiastica et divina intime connectuntur. Nam primo *reconciliatio ecclesiastica* est *conditio* reconciliationis divinae, quae fundatur in hoc quod Ecclesia secundum Dei voluntatem ad salutem est necessaria (Cyprian. Ep. 57, 1). Secundo *reconciliatio cum Deo certo expectari potest*, si opera poenalia peccatoris, quae Ecclesia exigit et dirigit, una cum virtute supplicationis sacerdotalis sufficit, ad Dei justitiam placandam. Deus tunc sententiam Ecclesiae 'confirmabit' (Cyprian. Ep. 55, 18) atque 'exsequetur' (Dionysius Alex. Ep. ad Cononem). Tertio multae habentur sententiae doctorum Ecclesiae antiquae, quibus eruitur *reconciliationem* habuisse *virtutem sacramentalem*. Tertullianus e.g. asserit Christum in reconciliatione per Ecclesiam orare atque ut exorator Patris veniam obtinere (De poen. 10, 6). Praeterea peccator, ex hoc quod vi reconciliationis ad Ecclesiam iterum pertinet, salutem aeternam obtinere potest. Reconciliatio ecclesiastica pro ipso est 'pignus vitae' (Cyprian. Ep. 55, 13). Qui pacem ecclesiasticam accipit, accipit Spiritum Patris (Ep. 57, 4), 'participationem Spiritus Sancti' (Didascalia II, 41, 2), declaratur 'divinae gratiae particeps' (Dionysius l.c.). Reconciliationi aperte effectus sacramentales attribuuntur."[9]

Supradictam criticorum doctrinam apte exponunt *E. Vacandard*, in Dict. Théol. Cath., art. Absolution, col. 229–240, et *P. GALTIER* in tractatu De Poenitentia, n. 121, et in opere L'Eglise et la rémission des péchés, Paris, 1932, p. 7–19, ubi scribit:

"La doctrine [du pouvoir de remettre les péchés] ainsi précisée, toutefois, *la question se pose de son antiquité ou de son origine*. Cette conception d'une intervention sacerdotale tendant directement à la rémission du péché se trouve-t-elle exprimée assez nette aux premiers siècles pour qu'on la puisse attribuer telle quelle à l'Eglise de cette époque, ou faut-il y voir plutôt une conclusion dont le dégagement progressif n'aurait forcé que tardivement l'adhésion des esprits. . .

"Le problème que nous venons d'énoncer s'impose d'autant plus à l'attention que beaucoup d'historiens le tiennent pour résolu au sens de la seconde hypothèse dont nous avons parlé. D'après eux, *les premiers scholastiques*, lorsqu'ils se refu-

[9] Theol. Dogm. (vers. A. Hoffmann), v. 4, § 52, Parisiis, 1946, p. 354 sq.

saient à attribuer la rémission du péché à l'absolution elle-même, seraient restés ou rentrés très exactement dans la ligne de pensée propre à l'Eglise des premiers siècles. *La pénitence administrée par elle n'aurait eu d'abord et longtemps à ses yeux que la valeur d'une mesure disciplinaire.*

"En réconciliant après coup les pénitents, elle n'aurait nullement songé a leur remettre elle-même leurs péchés; son absolution aurait eu seulement pour but et pour objet de leur *rendre sa "paix"* à elle et de les remettre ainsi en possession des avantages spirituels qu'ils pourraient trouver dans sa communion. S'il était parfois question à ce propos d'une rémission du péché, c'était uniquement au sens d'une remise de la peine dont l'Eglise elle-même l'avait frappé. Le péché, en tant que tel, échappait a son action propre: Dieu seul le pardonnait.

"Cette interprétation du ministère pénitentiel de l'Eglise ne se fonde pas toujours uniquement sur les documents. Chez plusieurs, elle découle avant tout du préjugé de l'Eglise *"société des saints"*. L'idée d'admettre de nouveau à sa communion un fidèle déchu de l'état de "sainteté", où l'avait établi le baptême, lui aurait été d'abord complètement étrangère. C'est seulement en se sécularisant et contrainte par les défaillances de plus en plus nombreuses de ses membres qu'elle se serait résignée à adopter un système de pénalités, au prix desquelles se pût recouvrer l'avantage de lui appartenir. Ainsi aurait pris naissance, au milieu tout au moins du second siècle, *la pratique de la pénitence ecclésiastique.*

"Dès cette époque, sous une forme qu'il est impossible de préciser, les documents attestent l'existence et le fonctionnement de cette pénitence. Ils ne permettent pas, il est vrai, d'en déterminer exactement le but et la portée. Des textes où se révèle au clair la pensée de l'Eglise dans l'exercice de son ministère pénitentiel, les plus anciens qui nous restent sont de l'époque de Tertullien et de saint Cyprien; mais ceux-là paraissent précisément aux historiens dont nous parlons attester une conception de la pénitence pleinement conforme à celle que leur avait fait présager leur propre conception de l'Eglise primitive. Aussi se croient-ils autorisés par eux à la présenter comme solidement établie par l'histoire. Malgré quelques divergences de détail sur les auteurs ou sur le moment précis où semble commencer à se faire jour une autre conception de la pénitence, ils sont unanimes à contester que l'Eglise, au début de cette institution, s'y soit proposé de remettre elle-même le péché. En rendant sa communion aux pénitents, elle entendait bien leur ouvrir de nouveau la voie du salut et leur permettre de participer de nouveau à ses biens spirituels. Mais la portée de son absolution n'allait pas plus loin: *comme elle laissait au pécheur toute la charge et tout le mérite d'obtenir le pardon de ses fautes, elle réservait à Dieu le pouvoir de les lui remettre.*

"Cette thèse est à la base de l'évolution de l'Eglise telle que l'a conçue et vulgarisée *HARNACK dans son Histoire des dogmes*. L'Eglise, renonçant à être la société des saints devient un simple institut de sanctification. Son caractère religieux consiste à être la condition indispensable du salut; elle seule en peut garantir la possibilité. Voilà pourquoi il est indispensable, pour être sauvé, d'être en paix avec elle; de sa part, refuser définitivement sa paix à quelqu'un serait le déclarer forclos du pardon divin; mais recevoir de nouveau à sa communion ne préjuge nullement qu'on se trouve en état de sainteté. 'Quand elle accorde le pardon au pécheur, elle ne le réconcilie au fond qu'avec elle-même, et elle ne supprime (*beseitigt*) ainsi à proprement parler que la certitude [où il était auparavant] de ne pouvoir pas être sauvé'. Tel est le sens où elle sanctifie: institut de morale, elle enseigne le moyen du salut et elle administre les vertus divines au lieu et place du Christ.[10]

"*L'Américain LEA* (Auricular confession and indulgences, t. I) expose la même conception. 'L'Eglise mettait à haut prix le recouvrement de sa communion; mais elle ne promettait nullement que cette réconciliation, quelque chèrement obtenue

[10] *Dogmengeschichte*, t. I, p. 1, l. 2, ch. 3, 4me éd. 1909, p. 445.–Voir, de même: *Die Mission und Ausbreitung des Christentums*, 1 (1924), p. 139 et 235.

qu'elle fût, comprît l'absolution ou le pardon de la part de Dieu' (p. 31). 'L'imposition des mains ainsi administrée ne fait que réadmettre le pécheur dans l'Eglise et n'a rien à faire avec ses rapports avec Dieu' (p. 51; de même, p. 113).

"La même théorie est à la base de la conception de *LOOFS: Leitfaden zur Dogmengeschichte:* § 29, 2b. Le but de l'exomologèse est d'obtenir que la 'communauté reconnaisse de nouveau comme lui appartenant légitimement (*als vollberechtigte Glieder*) les pécheurs, que leur pénitence a réconciliés avec Dieu' (p. 206). . . Aussi *R. SEEBERG* caractérise-t-il l'absolution comme étant la '*pax Ecclesiae*' et dénonce-t-il une innovation dans la prétention des prêtres, à l'époque de saint Cyprien, de contrôler le pardon accordé par les martyrs. . .[11]

"Mais la théorie se trouve surtout fermement énoncée et généralisée chez les auteurs — parfois précédemment catholiques — qui se complaisent à montrer l'opposition de la doctrine catholique actuelle avec celle qu'ils croient devoir attribuer à l'Eglise de jadis.

"Tel *TURMEL*, qui, sous la signature de Vanbeck, prétendait résumer ainsi la pensée de saint Cyprien sur la réconciliation: 'Elle ne remet pas les péchés. Sur ce point Cyprien est formel. . . L'Eglise ne peut rien pour les péchés commis après le baptême; seule l'expiation, la satisfaction accomplie par la pénitence peut purifier le pécheur chrétien et lui obtenir le pardon de ses fautes. Celui-ci est déjà purifié quand il se présente devant l'évêque pour faire l'exomologèse; en tout cas, il se présente comme tel et il ne demande pas à être purifié par l'évêque, lequel, de son côté, le suppose déjà pur, sans se dissimuler qu'il peut être trompé. Qu'est-ce donc que la réconciliation? ou, ce qui revient au même, que fait l'imposition de la main? Une levée d'excommunication. L'évêque avait exclut le pécheur de la société des fidèles, il l'y réincorpore; il lui avait retiré le droit à la communion, il le lui rend. Dans le premier cas, il agissait en vertu du pouvoir de lier; dans le second cas, il agit en vertu du pouvoir de délier.' (*La pénitence dans saint Cyprien*, dans *Rev. d'hist. et de litt. rel.*, 1913, p. 435.). . .

"*HUGO KOCH*, de son côté, s'est plu à lui faire écho en Allemagne. Lui également est aussi radical que possible dans cette exclusion d'une réelle absolution du péché par l'Eglise aux premiers siècles. Partant du fait, qu'il croit avéré, de la rémission du péché causée par l'expiation personnelle du pécheur, il en conclut qu'on ne saurait parler d'un sacrement de pénitence au sens où on l'entend aujourd'hui: 'La rémission de la faute étant méritée par l'expiation de la peine (*durch die Abbüssung der Strafe*), la réconciliation avec l'Eglise n'est point une absolution au sens dogmatique de plus tard, mais uniquement la conclusion (*die Beendigung*) de la peine ecclésiastique, Dieu, comme on le suppose, ayant lui-même remis le péché.' (*Cyprianische Untersuchungen* [1926], p. 282 et pp. 249–252.) Conclusion maintenue par lui en 1928 dans sa recension de l'ouvrage de Poschmann à citer tout à l'heure (*Theolog. Litteraturzeitung*, 1928, p. 496) et qu'il opposait à ce dernier comme se déduisant, quoi qu'il en ait, des principes et des faits acceptés par lui.

"*Cette conception de la pénitence ecclésiastique s'est imposée, en effet, jusqu'à des savants catholiques.* Sauf à essayer d'en sauvegarder quand même la valeur sacramentelle, ils ont cru devoir admettre que l'absolution, dans la pensée tout au moins de la plupart des docteurs anciens, n'avait point pour but de remettre le péché.

"Dès 1913, le prétendu Vanbeck (*loc. cit.*, p. 435, note) se plaisait à noter qu' 'Adam (*Theol. Revue*, 1909, p. 183) et Poschmann (*Zeitsch. f. kath. Theol.*, 1913, p. 253), malgré leurs préoccupations apologétiques, font sur ce point des aveux complets'. H. Koch (*Cyprian. Untersuch.*, p. 249, note) souligne de même l'accord sur le fait fondamental entre lui Adam, Poschmann et Vanbeck.

"L'accord, il est vrai, n'est point complet, et, pour ce qui est de *KARL ADAM*

[11] *Dogmengeschichte;* t. 1, p. 500 et 501.

ou de *BERNARD POSCHMANN*, il ne s'étend pas à toute l'antiquité chrétienne. Cependant, eux aussi contestent que l'Eglise ait dès l'abord attribué à son absolution la rémission du péché lui-même.

"Poschmann avait d'abord cru devoir l'admettre en 1908 dans sa *Sichtbarkeit der Kirche nach der Lehre des hl. Cyprian*, p. 154 sqq.; mais les observations, qui lui furent faites à ce sujet par K. Adam dans la *Theologische Revue* de 1909, p. 182 sqq., l'amenèrent à modifier ses vues premières. Des 1913, dans un article de la *Zeitschrift f. kath. Theol.* p. 245, il donnait raison à son contradicteur pour ce qui concerne l'effet propre et direct de l'absolution sacerdotale. Dans la pensée de saint Cyprien, elle ne produit jamais le pardon du péché. Même accordée régulièrement et validement, la paix de l'Eglise n'entraine pas à proprement parler la rémission du péché par Dieu. Celle-ci n'est jamais que l'effet de l'expiation ou de la satisfaction offerte par le pécheur lui-même ou par ceux, membres de l'Eglise en général, 'confesseurs' en particulier, qui lui accordent le secours de leurs oeuvres ou de leurs prières.

"C'est la déclaration ainsi faite d'avoir abandonné sa première opinion qui valut à Poschmann d'être cité par Vanbeck et H. Koch comme se ralliant à leur conception fondamentale. Dès lors cependant il tenait à affirmer que saint Cyprien conservait quand même à l'absolution *une valeur réellement sacramentelle.* Bien qu'elle ne remette pas le péché, elle incorpore néanmoins au corps vivant de l'Eglise, elle rend participant de l'Esprit divin et elle sépare de ceux qui sont exclus du salut; de ce chef donc, elle est à mettre en parallèle avec le baptême. De plus, et c'est en quoi elle apparait sacramentelle, elle produit ces effets par elle-même, car, une fois accordée, si elle l'a été par qui avait le pouvoir de la donner, elle est irrévocable (*ibid.*, p. 261–262). . .

"La conception ainsi attribué a *saint Cyprien*, M. Poschmann la considère comme étant celle de l'Eglise ancienne en général. Seul *saint Augustin* lui paraît l'avoir enrichie et précisée au sens d'une réelle action de l'Eglise dans la rémission du péché. Sur ce point, il a dès l'abord et toujours contesté les conclusions admises alors par M. *K. Adam*.

"Celui-ci avait cru devoir affirmer qu'aux yeux de l'évêque d'Hippone, l'Eglise, en réconciliant le pénitent, ne faisait que déclarer officiellement suffisante la satisfaction accomplie. L'absolution, d'après lui, n'aurait porté directement que sur l'obligation de faire pénitence. Indirectement seulement et par voie de conséquence, elle aurait procuré aussi une remise de la dette contractée envers Dieu et donc par là même du péché. En fait donc ce dont l'Eglise aurait absous se ramènerait à ce que l'Ecole devait appeler plus tard le *reatus poenae*.

"On reconnaît la théorie de Seeberg. Pour saint Augustin, M. Poschmann la juge absolument insuffisante. Elle lui paraît méconnaître l'efficacité réelle attribuée par lui à la réconciliation du pécheur. Sa conception est, au contraire, que l'Eglise, en rendant sa communion au pécheur, le délie elle-même des liens du péché. L'évêque d'Hippone ne conçoit point qu'on fasse remise de la dette sans remettre aussi ou d'abord la faute. Pour lui, la paix de l'Eglise n'est point seulement la condition, elle est également la cause de la rémission du péché. De ce point de vue, saint Augustin anticipe plutôt la doctrine sacramentelle destinée à prévaloir plus tard dans l'Eglise. Mais il est le seul, parmi les docteurs anciens, à s'être avancé si loin, et la place à part que M. Poschmann lui assigne en cette matière confirme bien qu'il considère la pensée commune de l'antiquité comme étant restée en deça.

"Et, de fait, sa conclusion dernière est qu'en Occident on ne vit longtemps dans l'absolution accordée au pécheur que la rémission de l'excommunication ou de la pénitence infligée par l'Eglise. Ce n'est point qu'il n'y ait pas lieu de *l'appeler sacramentelle;* au contraire; conditionnée comme aujourd'hui par la confession et la satisfaction, son efficacité ne se limite pas à ce monde; elle compte aussi aux yeux de Dieu, et elle a pour le pécheur les plus heureuses conséquences spirituelles.

En l'incorporant de nouveau au corps vivant du Christ, elle le fait rentrer en participation du Saint-Esprit; de ce chef, on peut dire qu'elle lui procure ce que l'on a appelé depuis la grâce sanctifiante; mais, à considérer, ainsi qu'on le faisait alors, la rémission du péché comme la réconciliation avec Dieu et comme la rémission des peines dues à la faute, on ne saurait dire que l'Eglise prétendit l'accorder elle-même. Cet aspect négatif de la justification à recouvrer après le baptême, on le mettait au compte propre des satisfactions offertes par le pécheur. Les 'supplications' des prêtres y aidaient ou même y étaient requises; mais elles n'y agissaient que comme 'supplications' et leur efficacité n'était point d'un autre ordre que celle des prières offertes par les fidèles eux-mêmes en faveur des pénitents. . .

"[*M. Poschmann*] *s'accorde en somme avec les historiens cités ici en premier lieu pour contester que* . . . [*l'absolution*] *ait été conçue comme ayant aucune prise directe sur le péché*. L'Eglise, en somme, tout en s'attribuant le pouvoir de remettre le péché, n'a point cru, de longtemps, qu'il fût l'objet propre de son absolution.

"Cette théorie, par conséquent, pour apparentée qu'elle soit à celle des anciens scolastiques, est de beaucoup plus radicale que la leur. Eux reconnaissaient à l'absolution la vertu de délier des liens résultant à proprement parler du péché. La peine, ou la portion de peine, dont ils lui attribuaient la rémission directe, était une peine infligée par Dieu. Même en ne lui reconnaissant qu'une vertu déclarative, on lui laissait une certaine emprise sur l'ordre divin: comment autrement expliquer que la parole du prêtre pût garantir le pardon de Dieu? Ici, au contraire, par rapport au péché, sa vertu propre reste toute cantonnée dans l'ordre strictement ecclésiastique: à défaut de la satisfaction personnelle, seule capable d'effacer par elle-même le péché, la réconciliation accordée au pécheur même bien disposé n'aurait été nullement considérée comme le réconciliant avec Dieu. En restreignant l'effet direct de l'absolution à la levée de l'excommunication ou à la remise des liens imposés par l'Eglise, on exclut qu'elle atteigne aucunement elle-même ceux qu'on pourrait dire d'origine divine: le péché, en tant que péché, lui échappe donc complètement.

"Pareil radicalisme rend la théorie difficilement conciliable avec celle que professe actuellement l'Eglise catholique."

PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica.

Res est *de fide* pluries definita, signantius a *Conc. Trid.*, secundum quatuor ejus partes (i.e. veram potestatem remittendi peccata, non vero tantum praedicandi evangelium vel declarandi peccata esse remissa; potestatem judicialem; verum sacramentum; distinctum a Baptismo).

Praeterea, est *de fide* definita potestatem remittendi peccata pertinere ad Ecclesiam ut hierarchicam, non vero ad omnes et singulos fideles, idque contineri in ipsis verbis *Matth. 18, 18* et *Joan. 20, 23* (Conc. Trid., can. 10; non tamen definitur id erui ex ipsis solis verbis abstrahendo a sensu Traditionis); *item*, in *Matth. 18, 18* et *Joan 20, 23* agi de vera potestate remittendi peccata (can. 10; non tamen definitur id erui ex ipsis verbis, neque haec verba referri ad solam remissionem postbaptismalem).

Theologice certum est, praecipue in verbis *Joan. 20, 23* contineri institutionem sacramenti Poenitentiae (id explicite docetur in cap. 1 et aliqua ratione indirecta in ipso can. 3), necnon ex ipsis verbis deduci posse Christum contulisse potestatem remissionis postbaptismalis (cap. 1: "verbis tam perspicuis").

Documenta Ecclesiae.

Poenitentialem potestatem Ecclesiae *supponunt omnia antiquiora documenta* (relata in Introductione, p. 26 sq., et in proprio loco citanda) a decreto Callisti ad Leonem M. († 461), quae decernunt de lapsis ad reconciliationem admittendis; quod autem in his agatur de reconciliatione in ipso foro interno, seu de proprie dicta remissione peccatorum, constat ex dicendis in Conclusione ubi de Traditione, per quam recte dignoscitur sensus ipsorum documentorum Ecclesiae.

In posterioribus documentis explicite exhibentur varia capita doctrinae, quae ad sacramentum Poenitentiae referuntur (cf. supra in Statu Quaest.), scilicet:

Divina institutio: Leo M., Gelasius I, Conc. Senonense, Sixtus IV, Conc. Trid., sess. 7 de sacr. in gen., can. 1; sess. 14, cap. 1 et 6, can. 10.

Sensus Matth. 18, 18: Gelasius I, Conc. Trid., sess. 14, cap. 6 et can. 10; et *Joan. 20, 23:* Conc. Trid., sess. 6, cap. 14; sess. 14, cap. 1 et 6, can. 3 et 10; Pius X.

Potestas ligandi atque solvendi: Leo M., Gelasius I, Conc. Senonense, Innocentius III, Conc. Later. IV, Joannes XXII, Benedictus XII, Conc. Const., Conc. Flor., Leo. X, Conc. Trid., Codex J. C.

Potestas judicialis: Conc. Later. IV, Conc. Const., Leo X, Conc. Trid., sess. 14, cap. 2. 5. 6. 7. 8, can. 9 et 11, Codex J. C.

Appellatio sacramenti: Conc. Veronense, Innocentius III, Conc. Later. IV, Conc. Lugd. II, Conc. Const., Conc. Flor., Conc. Trid., Pius X, Codex J. C.

Distinctio a Baptismo: Leo M., Conc. Veronense, Innocentius III, Conc. Later. IV, Conc. Lugd. II, Conc. Const., Conc. Flor., Conc. Trid., sess. 14, cap. 1 et 2, can. 2, Pius X, Codex J. C.

LEO M., Epist. "Sollicitudinis quidem tuae" ad Theodorum episc. foroiuliensem, 11 junii 452: "Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi gratiam, set etiam per poenitentiae medicinam spes vitae repararetur aeternae, *ut qui regenerationis dona violassent, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum pervenirent:* sic divinae bonitatis praesidiis ordinatis, ut indulgentia Dei *nisi supplicationibus sacerdotum nequeat obtineri*. 'Mediator' enim 'Dei et hominum, homo Christus Iesus' [1 Tim 2, 5]

hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut et confitentibus actionem poenitentiae darent, et eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent" (Denz. 146).

Gelasius I, Tomus "Ne forte", circa 495: "Nullum est quippe peccatum, pro quo aut non *oret Ecclesia remittendo, aut quod, data sibi divinitus potestate, desistentibus ab eodem non possit absolvere, vel poenitentibus relaxare*, cui dicitur: 'Quaecunque dimiseritis super terram. . . [cf. Io 20, 23]; 'quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo' [Mt 18, 18]. In 'quibuscunque' omnia sunt, quantacunque sint, et qualiacunque sint, veraci nihilominus eorum manente sententia, qua nunquam solvendus esse denuntiatur in eorum tenore consistens, non etiam ab hoc eodem post recedens" (Denz. 167).

Conc. Senonense, a. 1140, cit. in Parte Neg., p. 49.

Conc. Veronense, a. 1184, cit. in Introductione tractatus, p. 27.

Innocentius III, Epist. "Eius exemplo" ad archiep. terraconensem, 18 dec. 1208: "*Sacramenta* . . . licet a peccatore sacerdote ministrentur . . . in nullo reprobamus . . . quia non nocet malitia episcopi vel presbyteri *neque ad baptismum* infantis neque ad Eucharistiam consecrandam *nec ad cetera* ecclesiastica officia subditis celebrata. Approbamus ergo baptismum infantium. . . *Peccatoribus vero poenitentibus* veniam concedi a Deo credimus" (Denz. 424).

CONC. LATER. IV, a. 1215, Cap. 1 de fide catholica contra Albigenses, cit. in Introductione tractatus, p. 27 sq.

Idem, *Cap. 21 de confessione facienda:* "Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et *iniunctam sibi poenitentiam* pro viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiae sacramentum, nisi forte de consilio proprii sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum: alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur et moriens christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantiae caecitate velamen excusationis assumat.

"Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ille ipsum non *possit absolvere vel ligare*. Sacerdos autem sit discretus et cautus, ut more periti medici 'superinfundat vinum et oleum' [cf. Lc 10, 34] vulneribus sauciati, *diligenter inquirens* et peccatoris circumstantias et peccati, quibus prudenter intelligat, quale

debeat ei praebere consilium et cuiusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum aegrotum.

"Caveat autem omnino, ne verbo aut signo aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem: sed si prudentiore consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personae caute requirat, quoniam qui peccatum in *poenitentiali iudicio* sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam poenitentiam in arctum monasterium detrudendum" (Denz. 437 sq.).

Conc. Ludg. II, a. 1274, Confessio fidei Michaelis Palaeologi: "[Romana Ecclesia] praedicat, eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram poenitentiam suorum *consequi veniam peccatorum*. . . Tenet et docet . . . septem esse ecclesiastica *sacramenta, unum scilicet baptisma . . . aliud est poenitentia*" (Denz. 464 sq.).

Joannes XXII († 1334), cit. in Introductione tractatus, p. 28.

Benedictus XII, Libellus "Iam dudum" ad Armenos transmissus a. 1341: "Alii vero dicunt, quod episcopi et presbyteri Armenorum *nihil faciunt ad peccatorum remissionem nec principaliter nec ministerialiter*, sed solus Deus peccata remittit: nec episcopi vel presbyteri adhibentur ad faciendam dictam peccatorum remissionem, nisi quia ipsi *acceperunt potestatem* loquendi a Deo et ideo, cum absolvunt, dicunt: 'Deus dimittat tibi peccata tua'; vel: 'Ego dimitto tibi peccata tua in terra et Deus dimittat tibi in coelis' " (Denz. 538).

Conc. Constantiense, Bulla "Inter cunctas", 22 febr. 1418: "Utrum *credat*, quod sacerdos in casibus sibi permissis possit peccatorem confessum et contritum *a peccatis absolvere, et sibi poenitentiam iniungere*. Item, utrum *credat*, quod malus sacerdos cum debita materia et forma et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere conficiat, *vere absolvat*, vere baptizet, *vere conferat alia sacramenta*" (Denz. 671 sq.).

CONC. FLORENTINUM, Decretum pro Armenis: "*Quartum sacramentum est Poenitentia*, cuius *quasi materia* sunt actus poenitentis, qui in tres distinguuntur partes. Quarum prima est cordis contritio; ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Secunda est oris confessio: ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertia est satisfactio pro peccatis *secundum arbitrium sacerdotis*, quae quidem praecipue fit per orationem, ieiunium et eleemosynam. *Forma* huius sacramenti sunt verba

absolutionis, quae sacerdos profert, cum dicit: 'Ego te absolvo' etc., et *minister* huius sacramenti est *sacerdos habens auctoritatem absolvendi* vel ordinariam vel ex commissione superioris. *Effectus* huius sacramenti est absolutio a peccatis" (Denz. 699).

CONC. TRIDENTINUM.

Sessionum ordinem vidimus in Introductione tractatus (p. 29). Ad praesentem materiam haec specialiter referuntur:

Sess. 6, cap. 14 De lapsis et eorum reparatione: "Qui vero ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt, cum excitante Deo per poenitentiae sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim iustificationis modus est lapsi reparatio, quam secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam sancti Patres apte nuncuparunt. Etenim pro iis, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus sacramentum instituit poenitentiae, cum dixit: 'Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt' [Io 20, 22 33].

"Unde docendum est, christiani hominis poenitentiam post lapsum multo aliam esse a baptismali, eaque contineri non modo cessationem a peccatis, et eorum detestationem, aut 'cor contritum et humiliatum' [Ps 50, 19], verum etiam et eorundem sacramentalem confessionem, saltem in voto et suo tempore faciendam, et sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem per ieiunium, eleemosynas, orationes et alia pia spiritualis vitae exercitia, non quidem pro poena aeterna, quae vel sacramento vel sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro poena temporali, quae (ut sacrae litterae docent) non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiae Dei, quam acceperunt, ingrati 'Spiritum Sanctum contristaverunt' [cf. Eph 4, 30] et 'templum Dei violare' [1 Cor 3, 17] non sunt veriti. De qua poenitentia scriptum est: 'Memor esto, unde excideris, age poenitentiam, et prima opera fac' [Apc 2, 5], et iterum: 'Quae secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur' [2 Cor 7, 10], et rursus: 'Poenitentiam agite' [Mt 3, 2; 4, 17], et: 'Facite fructus dignos poenitentiae' [Mt 3, 8]" (Denz. 807).

Ibid., *can. 29:* "Si quis dixerit, eum, qui post baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere; aut posse quidem, sed sola fide, amissam iustitiam recuperare sine sacramento poenitentiae, prout sancta Romana et universalis Ecclesia, a Christo Domino et eius Apostolis edocta, hucusque professa est, servavit et docuit: A. S." (Denz. 839).

Sess. 7, can. 1 de sacr. in gen.: "Si quis dixerit, sacramenta novae legis non fuisse *omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta,* aut esse plura vel pauciora, quam septem, videlicet baptismum, confirmationem, Eucharistiam, *poenitentiam,* extremam unctionem, ordinem et matrimonium, aut etiam *aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum:* anathema sit" (Denz. 844).

Ibid., *can. 10 de Baptismo:* "Si quis dixerit, peccata omnia, quae post baptismum fiunt, sola recordatione et fide suscepti baptismi vel dimitti vel venialia fieri: A. S." (Denz. 866).

Sess. 14, cap. 1 De necessitate et institutione sacramenti poenitentiae: "Si ea in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum esset, ut iustitiam in baptismo ipsius beneficio et gratia susceptam constanter tuerentur, non fuisset opus, aliud ab ipso baptismo sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum. 'Quoniam' autem 'Deus, dives in misericordia [Eph 2, 4], cognovit figmentum nostrum' [Ps 102, 14], illis etiam vitae remedium contulit, qui sese postea in peccati servitutem et daemonis potestatem tradidissent, *sacramentum videlicet poenitentiae,* quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur.

"Fuit quidem poenitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam et iustitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui baptismi sacramento ablui petivissent, ut perversitate abiecta et emendata tantam Dei offensionem cum peccati odio et pio animi dolore detestarentur. . . Porro nec ante adventum Christi poenitentia erat sacramentum, nec est post adventum illius cuiquam ante baptismum. *Dominus autem sacramentum poenitentiae tunc praecipue instituit, cum mortuis excitatus insufflavit in discipulos suos, dicens:* 'Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt' [Io 20, 22 sq].

"Quo tam insigni facto et verbis tam perspicuis *potestatem remittendi et retinendi peccata,* ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos, Apostolis et eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum *Patrum* consensus semper intellexit, et *Novatianos* remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia catholica tanquam haereticos explosit atque condemnavit.

"Quare verissimum hunc illorum verborum Domini sensum sancta haec Synodus probans et recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad potestatem praedicandi verbum Dei et Christi Evangelium annuntiandi contra huiusmodi sacramenti institutionem falso detorquent" (Denz. 894).

Ibid., *cap. 2 De differentia sacramenti poenitentiae et baptismi:* "Ceterum *hoc sacramentum multis rationibus a baptismo differre*

dignoscitur. Nam praeterquam quod materia et forma, quibus sacramenti essentia perficitur, longissime dissidet: constat certe, *baptismi ministrum iudicem esse non oportere*, cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. 'Quid enim mihi', inquit Apostolus, 'de iis, qui foris sunt, iudicare?' [1 Cor 5, 12]. Secus est de domesticis fidei, quos Christus Dominus lavacro 'baptismi' sui 'corporis membra' [1 Cor 12, 13] semel effecit. Nam hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, non iam repetito baptismo ablui, cum id in Ecclesia catholica nulla ratione liceat, sed ante *hoc tribunal* tanquam reos sisti voluit, ut *per sacerdotum sententiam* non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum poenitentes confugerint, possent liberari.

"Alius praeterea est baptismi, et alius poenitentiae fructus. 'Per baptismum' enim 'Christum induentes' [Gal 3, 27] nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam et integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem et integritatem per sacramentum poenitentiae, sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente iustitia, pervenire nequaquam possumus, ut merito *poenitentia laboriosus quidam baptismus* a sanctis Patribus dictus fuerit.

"Est autem hoc sacramentum poenitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse baptismus" (Denz. 895).

Ibid., *cap. 5 De confessione* [*et judiciali potestate*]: "Ex institutione sacramenti poenitentiae iam explicata universa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem [Iac 5, 16; 1 Io 1, 9 (Lc 17, 14)], et omnibus post baptismum lapsis iure divino necessariam exsistere, quia Dominus noster Iesus Christus, e terris ascensurus ad coelos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit [Mt 16, 19; 18, 18; Io 20, 23], *tanquam praesides et iudices*, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quae Christi fideles ceciderint, qui pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum *sententiam pronuntient*. Constat enim, sacerdotes *iudicium hoc incognita causa exercere non potuisse*, neque aequitatem quidem illos in poenis iniungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, et non potius in specie ac singillatim sua ipsi peccata declarassent" (Denz. 899).

Ibid., *cap. 6 De ministro huius sacramenti et absolutione* [*item de judiciali potestate*]: "Circa ministrum autem huius sacramenti declarat sancta Synodus, falsas esse et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quae ad alios quosvis homines *praeter episcopos et sacerdotes* clavium ministerium perniciose extendunt, putantes verba illa Domini: *'Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo'* [Mt 18, 18], et: *'Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt'* [Io 20, 23], ad omnes Christi fideles indifferenter et promiscue contra institutionem huius sacramenti ita fuisse dicta, ut quivis *potestatem* habeat remittendi peccata, publica quidem per correptionem, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem cuicunque factam.

"Docet quoque, etiam sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per *virtutem* Spiritus Sancti in ordinatione collatam tanquam Christi ministros *functionem remittendi peccata exercere*, eosque prave sentire, qui in malis sacerdotibus *hanc potestatem* non esse contendunt.

"Quamvis autem absolutio sacerdotis alieni beneficii sit dispensatio, tamen *non est solum nudum ministerium* vel annuntiandi Evangelium vel declarandi remissa esse peccata: sed *ad instar actus iudicialis, quo ab ipso velut a iudice sententia pronuntiatur*. Atque ideo non debet poenitens adeo sibi de sua ipsius fide blandiri, ut, etiamsi nulla illi adsit contritio, aut sacerdoti animus serio agendi et vere absolvendi desit, putet tamen se propter suam solam fidem vere et coram Deo esse absolutum. Nec enim fides sine poenitentia remissionem ullam peccatorum praestaret, nec is esset nisi salutis suae negligentissimus, qui sacerdotem iocose absolventem cognosceret, et non alium serio agentem sedulo requireret" (Denz. 902).

Ibid., *cap. 7 De casuum reservatione:* "Quoniam igitur *natura et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur*, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit et verissimum esse Synodus haec confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet *iurisdictionem*" (Denz. 903).

Ibid., *cap. 8 De satisfactione:* "Habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam et castigationem: nam *claves sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed et ad ligandum concessas* etiam antiqui Patres et credunt et docent" (Denz. 905).

Canones 1. 2. 3 et 9 citavimus supra ubi de doctrina Protestantium (p. 51–53). Praeterea:

Can. 10: "Si quis dixerit, sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere; aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus

esse dictum: *'Quaecunque ligaveritis super terram erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo'* [Mt 18, 18]; et *'Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt'* [Io 20, 23], quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit, secreta vero per spontaneam confessionem: A. S." (Denz. 920).

Can. 15: "Si quis dixerit, claves Ecclesiae esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt poenas confitentibus, agere contra finem clavium et contra institutionem Christi; et fictionem esse, quod, virtute clavium sublata poena aeterna, poena temporalis plerumque exsolvenda remaneat: A. S." (Denz. 925).

CATECHISMUS CONC. TRID., p. 2, c. 5, q. 10 (*de convenientia institutionis huius sacramenti*): "De externa . . . poenitentia docendum est, eam esse, in qua sacramenti ratio consistit, habereque externas quasdam res sensibus subjectas, quibus declarantur ea, quae interius in anima fiunt. In primis autem explanandum fidelibus videtur, quare factum sit, ut Christus dominus poenitentiam in numerum sacramentorum referri voluerit. Hujus autem rei illa omnino causa fuit, ut nobis de remissione peccatorum, quam Deus pollicitus est, quum ait: 'Si impius egerit poenitentiam' etc., minus dubitare liceret. Vehementer enim pendere animo de intima poenitentia opus esset, quum de suo cuique judicio in iis, quae agit, merito timendum sit. Ut igitur Dominus huic nostrae sollicitudini subveniret, poenitentiae sacramentum instituit, quo per Sacerdotis absolutionem peccata nobis remissa esse confideremus, conscientiaeque nostrae ob fidem, quae sacramentorum virtuti merito habenda est, pacatiores redderentur. Neque enim aliter accipienda est vox Sacerdotis peccata nobis legitime condonantis, quam Christi domini, qui ait Paralytico: 'Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua'.

"Deinde vero, quum nemo salutem, nisi per Christum, ejusque passionis beneficio consequi possit, consentaneum nobisque utilissimum fuit, ejusmodi sacramentum institui, cujus vi et efficientia Christi sanguis ad nos defluens peccata post baptismum admissa elueret: atque ita reconciliationis beneficium illi uni Salvatori nostro acceptum referre profiteremur."

Ibid., *q. 11* (*Quomodo in Poenitentia verificetur generalis definitio sacramenti*): "Quod vero poenitentia sacramentum sit, Pastores ita facile ostendent. Ut enim baptismus sacramentum est, quia peccata omnia, ac praesertim quod origine contractum fuit, delet: eadem

ratione poenitentia, quae peccata omnia post baptismum voluntate, vel actione suscepta tollit, vere et proprie sacramentum dicendum est. Deinde, quod caput est, quum illa, quae extrinsecus tum a poenitente, tum a Sacerdote fiunt, declarent ea, quae interius efficiuntur in anima, quis neget poenitentiam vera et propria sacramenti ratione praeditam esse? Siquidem 'sacramentum sacrae rei signum est': peccator autem, quem poenitet, rerum et verborum notis plane exprimit, se animum a peccati turpitudine abduxisse: itemque ex iis, quae a Sacerdote geruntur et dicuntur, misericordiam Dei peccata ipsa remittentis facile cognoscimus. Quamquam hoc aperte indicant illa Salvatoris verba: 'Tibi dabo claves regni caelorum: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis'. Absolutio enim Sacerdotis verbis enunciata remissionem illam peccatorum signat, quam in anima efficit."

Ibid., *q. 54* (*De potestate absolvendi*): "Jam de ministro hujus sacramenti dicendum est: Eum autem Sacerdotem esse, qui ordinariam, aut delegatam absolvendi potestatem habeat, ex ecclesiasticis sanctionibus satis apparet. Habeat enim oportet non solum ordinis, verum etiam jurisdictionis potestatem, qui hoc munere fungi debet. Illustre vero hujus ministerii testimonium praebent illa Domini verba apud S. Joannem: 'Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt'.

"Neque enim omnibus, sed Apostolis tantum haec dicta fuisse constat, quibus in hac functione Sacerdotes succedunt; idque etiam maxime consentaneum est: nam quum omne gratiae genus, quae hoc sacramento tribuitur, a Christo capite ad membra derivetur, merito debent corpori Christi mystico, id est fidelibus illud administrare, qui soli verum ejusdem corpus conficiendi potestatem habent; quum praesertim fideles hoc ipso poenitentiae sacramento ad sacram Eucharistiam sumendam apti idoneique reddantur. Verum quanta olim religione in antiquissima Ecclesia jus ordinarii Sacerdotis conservatum fuerit, ex veteribus Patrum decretis facile intelligitur, quibus cautum est, ne quis Episcopus, aut Sacerdos in alterius Parochia aliquid gerere auderet sine ipsius auctoritate, qui illi praeesset, aut nisi magna necessitas cogere videretur. Ita vero ab Apostolo sancitum est, quum Tito praecepit, ut in singulis civitatibus Sacerdotes constitueret, qui scilicet doctrinae et sacramentorum caelesti pabulo fideles alerent et educarent."

Pius X, Decretum "Lamentabili", prop. 43. 46. 47, supra cit. (p. 53 sq.), ubi de Modernistis.

Codex J. C., can. 870: "In poenitentiae sacramento, per iudicialem

absolutionem a legitimo ministro impertitam, fideli rite disposito remittuntur peccata post baptismum commissa." *Can. 871:* "Minister huius sacramenti est solus sacerdos." *Can. 872:* "Praeter potestatem ordinis, ad validam peccatorum absolutionem requiritur in ministro potestas iurisdictionis, sive ordinaria sive delegata, in poenitentem."

CONCLUSIO

Conclusio 1. Est in Ecclesia potestas remittendi peccata, a Christo concessa.

Probatur 1. *EX SCRIPTURA.*

Quatuor in Scripturis efferuntur: *insinuatio* concessionis potestatis remittendi peccata; explicita *promissio; institutio; exercitium* seu applicatio.

A. *INSINUATIO CONCESSIONIS HUIUSMODI POTESTATIS* habetur tum in parallelismo qui observatur inter antiquam et novam legem, tum in modo agendi ipsius Christi erga peccatores.

"*Parallelismus*, ait *Galtier*, quem Christus voluit esse novae oeconomiae religiosae ad veterem, insinuat eum voluisse ut dimissio peccati in ea non esset absque ullo ritu; nam - a) ex una parte, in Vet. Lege, solemne erat homines non mundari a peccato sine certo adjuncto ritu: cf. v. gr. sacrificia pro peccato varia: in ordine ad sacerdotum consecrationem (Ex. 29, 1–14; 36); pro singulis peccantibus (Lev. 4–6); pro toto populo in die magno expiationis (Lev. 16); tempore ipsius Christi, baptismus paenitentiae a S. Joanne Baptista collatus; - b) Ex alia vero parte, Christus voluit in Ecclesia sua - *α*) fieri per ritum baptismalem; -*β*) aggregationem populo suo singuli participes essent; - *γ*) populum suum habere mensam cujus apostolis etiam eos qui jam loti fuerint indigere aliqua purificatione (Jo. 13. 8–10). Ergo parallelismus servatus inter duas oeconomias suggerit voluntatem Christi fuisse ut in novo Dei populo, praeter ritum aggregationis, medium etiam aliquod esset quo qui peccassent iterum mundari possent."[12]

Huiusmodi insinuatio roboratur *ex modo agendi ipsius Christi* erga peccatores quibus peccata remittebat. Ex textibus enim citatis in Introductione tractatus (p. 13 sq.) apparet Christum inaugurasse inter homines, modo visibili et verbis asseverantibus, exercitium potestatis remissivae peccatorum, scandalum quidem suscitans apud legis doctores murmurantes: "Quis est hic, qui etiam peccata dimittit",

[12] De Paenitentia, thes. 9, n. 124, Parisiis, 1931, p. 84 sq.

"Hic blasphemat" (Luc. 7, 49; Matth. 9, 3), admirationem vero apud plebem glorificantem Deum *"qui dedit potestatem talem hominibus"* (Matth. 9, 8). Exinde directa suggestio inducitur Christum voluisse talem potestatem in terris exerceri et hominibus communicari, quos mox electurus ac missurus erat ad continuandum suum proprium ministerium, ut vice sua irent et eundem fructum afferrent remissionis et sanctificationis.

B. *PROMISSIO POTESTATIS.*

Haec promissio bis Ecclesiae facta est: primo in persona Petri, secundo in persona omnium simul Apostolorum:

MATTH. 16, 19: "Et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis": [καὶ] δώσω σοι τὰς κλεῖδας τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς, καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς.

MATTH. 18, 18: "Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo": Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅσα ἐὰν δήσετε ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται δεδεμένα ἐν οὐρανῷ, καὶ ὅσα ἐὰν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται λελυμένα ἐν οὐρανῷ.

TEXTUS.

Genuinitas totius loci Matth. 16, 17–19 est certa, cum extet in omnibus codicibus et editionibus. Tria in eo continentur: voluntas constituendi Petrum fundamentum Ecclesiae (v. 18: "Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam"), promissio clavium regni coelorum (v. 19: "Et tibi dabo claves regni coelorum"), promissio potestatis ligandi atque solvendi eiusque confirmationis in coelo.

Tria haec intime connexa apparent, ita ut unum sit successiva declaratio alterius; metaphora petrae seu fundamenti societatis indicat auctoritatem, metaphora clavium conceptum potestatis magis explicite exhibet (cf. Is. 22, 22; Luc. 11, 52; Apoc. 1, 18; 3, 7; 9, 11; 20, 1; ad quos locos implicita allusio fit in praesenti textu), metaphora facultatis ligandi atque solvendi, illam potestatem determinat.

Genuinitas loci Matth. 18, 18 certa est. Eius parallelismus cum Matth. 16, 19 est manifestus. Potestas tamen ligandi atque solvendi non coniungitur cum promissione clavium et cum electione Apostolorum in fundamentum Ecclesiae; ceterum haec duo colliguntur ex Ephes. 2, 19 sq. ("Estis cives sanctorum, et domestici Dei: superaedificati super fundamentum Apostolorum"; cf. Apoc. 21, 14) et ex Matth. 28, 18 sqq. ("Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo. . .").

Totus contextus loci, v. 11–35, est de remissione peccatorum; v. 11, praeponitur finis ipse Incarnationis et ministerii Christi ("Venit... Filius hominis salvare quod perierat"); v. 12–14, sequitur parabola de ove errante ad ovile reducta; v. 15–17, pericope de correptione privata vel delatione ad judicium Ecclesiae; v. 18, verba promissionis; v. 19–20, efficacitas communis orationis Ecclesiae in nomine Christi; v. 21–22, interrogatio Petri: "Domine, quoties peccabit in me frater meus et dimittam ei?"; v. 23–35, parabola de servo, debitum conservo dimittere nolente.

Pericope de correptione, v. 15–17, quae est *immediatus contextus ac praebet Christo occasionem pronunciandi verba promissionis*, sic vertitur a Vulgata: "Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic ecclesiae; si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus."

Notanda est quaedam discrepantia textualis et exegetica.[13] In optimis codicibus v. 15 caret verbis "in te", seu legit: "Si autem peccaverit frater tuus"; hinc plures Patres colligunt officium correptionis fraternae omnibus indiscriminatim convenire (cf. Origenem, In Jesum Nave, hom. 7, 6; Augustinum, De fide et opp. 3, 4; 26, 48; Serm. 82, 8 sqq.). In Vulgata vero et pluribus codicibus, necnon in textu parallelo Luc. 17, 3 sq. legitur "in te", ex quo colligitur officium correptionis respicere eum in quem peccaverit frater. Haec lectio et interpretatio magis congruit tum supra relatae interrogationi Petri tum subsequenti parabolae de servo inclemente.

Ceterum haec discrepantia ad rem nostram non refert; processus contextus hic est, qui noluerit privatae correptioni acquiescere deferendus est ad judicium Ecclesiae eo quod in Ecclesia sit potestas omnia ligandi atque solvendi.

Notandum est hanc potestatis concessionem Apostolis factam non contradicere aut quidquam detrahere eidem potestati in altero textu ipsi Petro concessae, sed istam supponere eique apte consociari, sicut secundaria et dependens principali et independenti. Quae principalitas exprimitur in ipsis verbis: "Super hanc petram aedificabo Ecclesiam" et "Tibi dabo claves regni caelorum"; haec enim soli Petro explicite et simpliciter dicuntur.

---

[13] Cf. *Knabenbauer* et *Lagrange* in h. l.

DOCTRINA.

PRIMO, in his textibus promittitur potestas ipsi Ecclesiae ut hierarchicae, non vero Petro et Apostolis individualiter, ut voluerunt *Tertullianus et haeretici supra enumerati in prima serie, nec omnibus fidelibus indiscriminatim*, ut volunt *Protestantes.*

In *Matth. 16, 19* potestas ligandi atque solvendi promittitur non tantum Petro, sed Ecclesiae, seu Petro non qua personae privatae sed qua capiti, adeoque Ecclesiae *in suo capite* et *in perpetuo;* id patet ex eo quod potestas alligatur Petro ut fundamento perpetuae Ecclesiae (v. 18: "Et portae inferi non praevalebunt adversus eam").

Item, in *Matth. 18, 18* potestas datur Apostolis ut rectoribus Ecclesiae; id patet tum ex parallelismo cum priori textu 16, 19 in quo fit concessio eiusdem potestatis (qui parallelismus roboratur ex eo quod Apostoli, juxta Ephes. 2, 20 et Apoc. 21, 14, sint cum Petro fundamentum seu petra Ecclesiae), tum ex nexu logico inter v. 17 et v. 18 qui sic se habet: si correptio privata inutilis est, offensor deferatur ad Ecclesiam, nam vos (i.e. Ecclesia, vel Ecclesia in vobis, eius praepositis), habetis potestatem ligandi atque solvendi (cf. *Knabenbauer,* In h. l.).

Nec valet obicere quod ex contextu apparet hanc potestatem competere etiam privatis, siquidem dicitur correptio posse similiter fieri a persona privata.

Nam correptio privata importat tantum vim persuasionis, correptio vero Ecclesiae importat proprie potestatem, ut patet tum ex eo quod secus frustra fieret recursus ad eam, tum maxime ex eo quod ratio recursus assignatur in eo quod Ecclesia potest quaecumque alligare vel solvere (quod nempe non potest privatus).

Item non valet obicere quod hanc potestatem fieri omnibus fidelibus indiscriminatim ostenditur ex verbis immediate sequentibus, v. 19 sq.: "Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint fiet illis a Patre meo qui in caelis est."

Nam, imprimis hic non agitur de usu potestatis, sed de efficacia orationis. Ceterum, agitur de oratione publica ipsius Ecclesiae, ac ideo hierarchia non excluditur, imo ex natura rei indirecte includitur, in computanda ipsa efficacitate orationis. Praeterea, ad nexum logicum quod attinet, quidam negant ullum adesse, ac dicunt ea verba fuisse alia occasione dicta (ut suadet formula transitionis "Iterum dico vobis") et hic apposita ab Evangelista propter connexionem inter coelum et terram quae habetur etiam in verbis promissionis (v. 18); alii vero diversimode nexum explicant, quin inde vis v. 18 ullatenus minuatur (cf. apud *Knabenbauer*).

Knabenbauer sequentem nexum eligit: "Melius videt *Alb.* dicens innui *vigorem* sententiae ab iis dictae. Confirmatur enim id quod v. 18 dictum est novo argumento quo, ut *Mald.* bene dicit, a minore ad maius fit: si quidquid duo *petierint,* Deus illis concedit, quanto magis Ecclesiae *iudicium* ratum habebit? ne quis igitur sententiam Ecclesiae spernat, docet Christus quam efficax sit sola iam precatio (*Ians.*); quod enim oratio paucorum tantum apud Deum valet, ex eo ostendit quanta sit potestas in solvendo et ligando (*Lamy*). Huic intime connexum est assignari a Christo aliud remedium quo scandala removeri, fratrum saluti prospici efficaciter possit et quo etiam tum utendum sit si quis sententiam Ecclesiae contumax spreverit."[14]

Ex dictis patet inepte quosdam adversarios asserere in Matth. 18, 18 agi de *mera exhortatione ad jugiter ignoscendum* una cum asseveratione quod id ratum habetur in coelis. Non enim Christus confert potestatem omni homini qui offenditur, sed Apostolis; secus inde sequeretur quod in casu quo offensus nolit remittere offensam, haec neque in coelo remittatur.

SECUNDO, promittitur potestas leges ferendi et judicandi, seu obligationem imponendi vel relaxandi.

Hunc enim sensum habet metaphora verborum ligandi et solvendi, juxta usum rabbinorum et Judaeorum tempore Christi,[15] cui pronum est sese accommodasse S. Matthaeum aramaice scribentem. Apud rabbinos nempe solvere et ligare significabat *imprimis* auctoritative declarare ac decidere quid juxta legem esset licitum (solvere) aut illicitum (ligare); hoc autem importat potestatem obligandi directe quoad interpretationem legis acceptandam, indirecte vero quoad ipsam legem sectandam. Unde ex illis verbis sequitur Ecclesiam habere a Christo potestatem obligandi fideles directe ad suam interpretationem legis divinae acceptandam et indirecte ad ipsam legem sectandam.

Praeterea ac praecipue, ea verba apud rabbinos et Judaeos, tempore Christi ac deinceps, significabant statuere directe praecepta et decreta vel ab eis dispensare in his quae religionem et disciplinam spectabant. Unde in verbis Christi promittitur Ecclesiae potestas directe decernendi in rebus ad religionem Christi pertinentibus, ita ut quae ab ipsa decernantur in coelo rata habeantur.

Confirmatur. Graecis verbis horum textuum λύειν = solvere et δεῖν = ligare) correspondent in hebraica lingua verba אָסַר (ʼāsar = ligare; cf. Jud. 15, 13; Ezech. 3, 25) et התיר (aramaice שׁרא),

[14] Comm. in Matth. (18, 18 sq.), Parisiis, 1903, p. 132.

[15] Cf. *Knabenbauer,* in h. l., qui refert *Morinum,* Comm. hist. de disciplina in administratione sacramenti Poenitentiae, l. 1, c. 8; item *H. L. Strack-P. Billerbeck,* Kommentar zum Neuen Testament, München, 1922, v. 1, p. 738 sqq.

licitum pronuntiare, permittere; jamvero primum (ʼāsar = ligare) quandoque in Scriptura accipitur in sensu obligationis, interdicti nempe seu prohibitionis (Dan. 6, 8. 9. 14. 16) vel voti (Num. 30, 3. 10: ligamen super animam, ligare super animam).[16]

TERTIO, promittitur, et quidem praecipue, potestas remittendi et retinendi ipsa peccata in foro interno.

Id patet imprimis *ex amplitudine* et absoluta ratione qua talis potestas confertur ("Quodcumque – Quaecumque").

Item, ex fine primario ob quem datur, scilicet sanctificatione et salute animarum, quae absque peccati remotione consistere nequit; si enim datur potestas leges ferendi et judicandi in rebus quae ad animarum salutem pertinent, ea praecipue respicit peccata removenda vel, ubi ad salutem indirecte expediat, retinenda.

Item, ex promissa coelesti confirmatione sententiae; in coelo enim attenduntur ea quae sunt fori interni; ad hoc autem forum praecipue pertinent peccata.

Item, ex contextu de correptione fraterna. Agitur enim probabiliter de proprie dicto peccatore (juxta lectionem "Si peccaverit frater tuus"), corripiendo per judicium Ecclesiae quod in coelo seu in foro interno ratum habetur.

Nec valet obicere hanc correptionem, juxta textum, fieri posse etiam a privato adeoque non intelligi effectivam et remissivam in foro interno; nam correptio eiusdem hominis quae, cum fit privatim, est tantum conciliativa in foro externo, est etiam remissiva in foro interno quando fit a potestate Ecclesiae propter verba quae immediate in textu sequuntur: "Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo". Ceterum, sive agatur de proprie dicto peccatore sive de mere externo offensore (ita intelligendo verba "Si peccaverit *in te* frater tuus"), eo ipso quod, delatus ad Ecclesiam et huius judicio non acquiescens, habendus sit ut ethnicus coram Deo donec ab Ecclesia resipiscens absolvatur, jam intelligitur a judicio Ecclesiae peccato ligatus et a peccato solvendus.

"Quare, inquit *Knabenbauer,* explicationi quam supra ex solis verbis petere potuimus, hic ex nexu orationis confirmatio et illustratio additur et exempla proponuntur potestatis legiferae et iudiciariae. Quod igitur 16, 19 de potestate remittendi peccata non satis clare quoad nos et distincte (ut *Palmieri* dicit) asseri potest, id hoc

[16] Cf. *Knabenbauer,* in h. l.; *Lightfoot,* Horae hebraicae, Opera omnia, Rotterdam, 1686, t. 2, p. 336 sqq.; *Buxtorf,* Lexicon chaldaicum, talmuldicum et rabbinicum, Basileae, 1609.

loco tuto affirmare licet; quam potestatem remittendi seu retinendi peccata ex contexta oratione colligi etiam protestantes interpretes, uti *Keil, Weiss,* alii, hoc loco asserunt, quam potestatem coetui fidelium esse commissam [falso] isti opinantur."[17]

Item, ex contextu de potestate clavium, cuius potestas ligandi atque solvendi est determinatio quaedam. Claves enim regni coelorum important potestatem aperiendi vel claudendi regnum coelorum seu permittendi vel prohibendi ingressum in illud regnum, quod quidem fit per peccatorum remissionem aut retentionem.

Nec valet obicere verba Lucae de clave scientiae seu de mera potestate doctrinali et declarativa (11, 52: "Vae vobis legisperitis, quia tulistis clavem scientiae; ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis"). *Nam* in Matthaeo metaphora clavis non coarctatur ad obiectum scientiae sed amplissime refertur ad omnia quae pertinent ad regnum coelorum. Ceterum, potestas absolvendi a peccatis vocari potest clavis scientiae, quatenus "scientia . . . dicitur auctoritas discernendi, et sacerdos quilibet hanc habet ut discernat in absolvendo" (*S. Thomas,* In Matth. 16, 19).

Item, ex verbis parallelis Joan. 20, 23 de quibus infra, quaeque manifeste referuntur ad peccata.

Item, ex Patrum interpretatione.

Patres unanimiter potestatem solvendi intelligunt de potestate remittendi peccata (promiscue provocantes ad utrumque textum Matthaei et ad textum Joan. 20, 23), imo ad hanc solam potestatem quidam eam coarctare videntur, ut *Chrysostomus* (De sacerd. 3, 5 infra cit., p. 118), *Theoph., Beda, S. Thomas* (In Matth. 16, 19: "Quodcumque *solveris,* idest si ministerium *absolutionis* adhibes. . . *Solutum* erit in coelis, idest habebitur tamquam *absolutum* in coelis"), quibus inter modernos consentit *J. Grimm* (Das Leben Jesu, ed. 1887, t. 3, p. 648), adversatur vero *Knabenbauer* (In Matth. 16, 19).

Quoad *Matth. 16, 19* cf. *decretum Callisti* (juxta Tertullianum, De Pudic. 21 supra cit., p. 46 sq.); *Tertullianum* tum in De praescr. 22 et Scorp. 10, tum etiam in De Pudic. 21 (cit. ibid.; ubi, admissa Callisti interpretatione, potestatem tamen absolvendi refert ad solum Petrum tamquam personale charisma); *Origenem,* In Matth., tom. 12, 14; *Cyprianum,* De unitate Ecclesiae, 4; *Firmilianum,* In epp. Cypriani 75, 16; *Pacianum,* Ep. 3, 11; *Hieronymum,* Ep. 14, 8; In Matth. 16, 19; *Ambrosium,* De paenit. 1, 7, 33; *Augustinum,* Serm. 295, 2; De doctr. christ. 1, 18, 17; *Aphraaten, Demonstr.* 7, 11.

[17] Comm. in Matth. (18, 18), Parisiis, 1903, p. 132.

Ambrosius, l. c.: "Non habent [Novatiani] . . . Petri haereditatem, qui Petri sedem non habent, quam impia divisione discerpunt: sed hoc improbe, quod etiam in Ecclesia donari peccata negant posse, cum Petro dictum sit: 'Tibi dabo claves regni caelorum, et quaecumque ligaveris super terram, erunt ligata et in caelo: et quaecunque solveris super terram, erunt soluta et in coelis' (Matth. xvi, 19)" (M.L. 16, 496 sq.).

Augustinus, De doctr. christ. 1, 18, 17: "Has igitur claves dedit Ecclesiae suae, ut quae solveret in terra, soluta essent in caelo; quae ligaret in terra, ligata essent et in caelo (Matth. xvi, 19): scilicet ut quisquis in Ecclesia ejus dimitti sibi peccata non crederet, non ei dimitterentur; quisquis autem crederet, seque ab his correctus averteret, in ejusdem Ecclesiae gremio constitutus, eadem fide atque correctione sanaretur" (M.L. 34, 25).

Aphraates, l. c.: "Audite et vos, qui claves portarum caeli tenetis, et fores aperite paenitentibus" (Patrologia syriaca, Graffin-Nau, 1, 329).

Quoad *Matth. 18, 18* cf. *Origenem,* In Matth., tom. 13, 31; *Hilarium,* In h. l.; *Pacianum,* Ep. 1, 6; Ep. 3, 11 sq. cit. in p. 48; *Hieronymum,* In h. l.; *Augustinum,* Serm. 295, 2; De civ. Dei, 20, 9, 2; *Conc. Trid.,* sess. 14 de Poen., cap. 6 et can. 10.

Pacianus, Epist. 1, 6: "Numquam Deus non poenitenti comminaretur, nisi ignosceret poenitenti. Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum est: sed et quod per sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud quod Apostolis dicit: 'Quae ligaveritis in terris, ligata erunt et in caelis: Et quaecumque solveritis in terris, soluta erunt et in caelis' (Matth. xvi, 19; Joan. xx, 23)? Cur hoc si ligare hominibus ac solvere non licebat? An tantum hoc solis Apostolis licet? Ergo et baptizare solis licet, et Spiritum sanctum dare solis, et solis gentium peccata purgare: quia totum hoc, non aliis quam Apostolis imperatum est. Quod si uno in loco, et resolutio vinculorum et sacramenti potestas datur: aut totum ad nos ex apostolorum forma et potestate deductum est; aut nec illud ex decretis relaxatum est. . . Si ergo et lavacri et chrismatis potestas, majorum et longe charismatum ad episcopos inde descendit; et ligandi quoque jus adfuit atque solvendi. Quod etsi nos ob nostra peccata temerarie vindicamus; Deus tamen illud, ut sanctis et Apostolorum cathedram tenentibus, non negabit; qui episcopis, etiam Unici sui nomen indulsit" (M.L. 13, 1057).

Objectiones adversariorum, eorumque falsae horum textuum interpretationes, eaedem fere sunt quas adducunt ad textum Joannis; de quibus infra.

C. *INSTITUTIO SEU COLLATIO POTESTATIS.*

JOAN. 20, 22–23: "Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt": λάβετε πνεῦμα ἅγιον. ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφέωνται αὐτοῖς. ἄν τινων κρατῆτε, κεκράτηνται

TEXTUS.

Haec immediate praecedunt, 20, 19–22: "Cum ergo sero esset die illo, una sabbatorum, et fores essent clausae ubi erant discipuli congregati, propter metum Judaeorum, venit Jesus, et stetit in medio, et dixit eis: Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus. Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum".

Genuinitas totius loci 20, 19–23 est certa; inepte autem quidam Liberales denegant historicitatem verborum Christi, ut inde arbitrarie explicent processum evolutionis huius potestatis in Ecclesia.

Circumstantiae verborum potestatis collativorum: apparitio Christi discipulis in coenaculo congregatis ipsa die resurrectionis, ostensio manuum et lateris, bina datio pacis ("Pax vobis"), insufflatio in discipulos.

Verba introductoria: "Sicut misit me Pater et ego mitto vos", "Accipite Spiritum sanctum".

Loci paralleli illustrantes textum: quoad v. 21 ("Sicut misit me Pater et ego mitto vos"): Matth. 28, 18–20 ("Euntes ergo . . .") et 2 Cor. 5, 18–20 ("Pro Christo ergo legatione fungimur"); quoad v. 22 ("Accipite Spiritum sanctum"): Joan. 3, 5–8; 16, 7 sqq. ("Spiritus ubi vult spirat", "Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos"); quoad v. 23 ("Quorum remiseritis"): Matth. 9, 2 et 5 (paralyticus); Matth. 6, 12 (oratio Dominica); Matth. 6, 13–15 (exhortatio ad dimittendum); Luc. 7, 47 sq. (mulier peccatrix); Luc. 12, 10 (peccatum in Spiritum S.); Luc. 23, 34 (oratio Christi in cruce); Act. 2, 38; 8, 22; 1 Joan. 1, 9; 2, 12; in quibus locis agitur de peccatorum dimissione seu remissione.

Forma verborum. Ἄν (particula conditionalis: si); ἄν τινων (si quo-
rum); ἀφῆτε (remiseritis; verbum ἀφιέναι: condonare, dimittere, remit-
tere offensam, recurrit in eodem prorsus sensu in Matth. 6, 12. 14;
9, 2. 5. 6; Marc. 2, 5; Luc. 23, 34; Act. 8, 22, etc.); τάς ἁμαρτίας
(peccata, generaliter et absque distinctione, seu qualiacumque et quan-
tacumque); ἀφίενται (forma praesentis, i.e. sunt remissa, non erunt

sed sunt; exprimitur nempe immediatio effectus ac si dicatur ipso facto seu propter hoc remittuntur; quaedam manuscripta habent ἀφίονται, quae est rarior forma praesentis; alia habent ἀφέωνται, forma dorica pro ἀφεῖνται, quae est forma perfecti passivi, "remissa sunt", ac proinde signantius exprimit effectum secutum); κρατῆτε (retinueritis) et κεκράτηνται (retenta sunt), a κρατεῖν (manu prehendere, tenere, retinere, imo potestatem habere, dominari, potiri), correspondent verbis "ligaveritis" et "ligata sunt" in duobus textibus promissionis supra citatis.

DOCTRINA.

PRIMO, in his verbis datur potestas ipsi Ecclesiae ut hierarchicae, non vero ipsis Apostolis individualiter, ut volunt plures adversarii *Liberales, aut singulis fidelibus indiscriminatim*, ut volunt *Protestantes.*

Potestatem conferri non solis Apostolis sed *Ecclesiae*, ita nempe ut sit in ea permansura, patet sive ex parallelismo cum textibus promissionis, sive ex analogia cum aliis potestatibus docendi, baptizandi, consecrandi ("Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi", "Quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat"; cf. verba *Paciani* supra cit., p. 77); sive ex verbis Christi "Sicut misit me Pater, et ego mitto vos", haec enim missio non erat cum morte Apostolorum extinguenda, et "Accipite Spiritum sanctum", Spiritus S. enim promissus erat toti Ecclesiae; sive ex fine huius potestatis seu bono fidelium, sanctificatione animarum, remissione peccatorum, quae manent prosequenda usque ad finem mundi.

Potestatem conferri soli *Ecclesiae hierarchicae*, non vero omnibus et singulis fidelibus, patet sive ex parallelismo cum textibus promissionis; sive ex analogia cum aliis potestatibus; sive ex verbis Christi "Ego mitto vos", non enim singulis fidelibus sed Apostolis mundi evangelizatio commissa est; sive ex natura huius potestatis quae importat proprie dictam auctoritatem seu judicium de peccatis. Nec refert quod apparitioni Christi adfuerint alii discipuli praeter undecim Apostolos, ut constare videtur ex Luc. 24, 33, aut quod unus ex Apostolis, Thomas, non fuerit praesens, nam verba illa ad solos Apostolos directa intelliguntur; ceterum certum non est Lucam et Joannem loqui de eadem apparitione, seu Christum non pluries eadem die discipulis apparuisse.

H. Ch. Lea in opere A History of Auricular Confession . . . , Philadelphia, 1896, v. 1, p. 108, sic conatur probare verba Christi intelligenda esse de peculiari potestate solis Apostolis concessa: "Quocumque sensu accipitur potestas hic concessa, evidens est a primitiva ecclesia

eam consideratam esse ut solis illis sanctis viris datam, quos Christus suos immediatos vicarios elegerat. Illa aetate, qua evangelia scribebantur, apostoli non putabantur habituri successores, quia Christus praedixerat diem iudicii venturum esse, antequam illa generatio praeteriisset, quae praedictio cum in omnibus evangeliis inveniatur, manifestum est, quam universaliter christiani eius impletionem exspectaverint."

Ut observat *Pesch,* in his verbis continetur "specimen methodi sophisticae, immo manifeste absurdae, qua Dr. H. C. Lea [eminens quidem Liberalis in hac materia] . . . studet enervare argumenta pro doctrina catholica proferri solita. . . Haec ille [scribit], qui vult esse historicus. Historia docet apostolos non solum instituisse successores, sed his etiam mandatum dedisse, ut rursum alios successores instituerent. Nullum fere scriptum exstat ex primitiva ecclesia, in quo sermo non est de successoribus apostolorum. Illa aetate, qua scriptum est evangelium S. Ioannis, permulti iam successores apostolorum aderant; nihilominus secundum Dr. Lea illa aetate nemo putabat futuros esse successores apostolorum, et ideo evidenter nemo poterat potestatem apostolis concessam referre ad eorum successores. Itaque quod Dr. Lea miratur, 'quomodo talis praetensio potuerit acceptari ab Europa, etiam tenebrosis illis temporibus medii aevi, res incredibilis, nisi revera facta esset', ostendit magnam eius caecitatem. Sane multo magis mirum est, quomodo pueriles nugae, quibus refertum est opus Dr. Lea, potuerint in fine saeculi XIX pro historia venditari".[18]

SECUNDO, datur potestas remittendi peccata (imo duplicata potestas remittendi et retinendi, i.e. non simpliciter remittendi et non remittendi; ex quo ipsa judicialis indoles utriusque potestatis manifestatur).

Id patet ex ipsis verbis acceptis tum in suo sensu naturali tum in frequenti usu Scripturae, remittere enim peccata est animam a culpa liberare (cf. Matth. 9, 2. 5 aliosque textus supra relatos, p. 78). Sicut igitur cum Christus dixit paralytico (Ἀφέωνταί σου αἱ ἁμαρτίαι), Matth. 9, 2: "Remittuntur tibi peccata tua" recte Scribae haec verba in sensu proprio intellexerunt ac inde scandalum passi sunt, dicentes: "Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?" (Luc. 5, 21; cf. 7, 49), ita cum Christus affirmavit: "Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis", non aliud Apostoli intellexerunt aut nos intelligere debemus.

Confirmatur sive *ex solemnitate actus* (i.e. prima publica apparitione Christi, insufflatione, appellatione Spiritus S.), quae ostendit extraordinariam potestatem a Christo conferri; sive *ex collatione*

[18] De Poenitentia, Prop. 1, n. 14, Friburgi Br., 1920, p. 7, in nota.

Spiritus S. cui sanctificatio et justificatio peculiariter attribuuntur; sive *ex collatione ipsius missionis Christi* ("Sicut misit me Pater, et ego mitto vos"), qui venit "salvare quod perierat" (Matth. 18, 11) ac "tollere peccatum mundi" (Joan. 1, 29); sive *ex intellectione et praxi Apostolorum,* de qua infra; sive *ex sensu et praxi antiquae Ecclesiae,* de qua dicetur in Prob. 2; sive *ex directa Patrum interpretatione* (cf. Origenem, Firmilianum, Pacianum, Ambrosium, Chrysostomum, Augustinum, Cyrillum Alex., Gelasium, Gregorium M., citandos ibidem).

OBICIUNT PROTESTANTES in praefatis verbis non agi de potestate remittendi peccata, sed:

Vel de potestate regulandi exteriorem disciplinam;

Vel de potestate praedicandi remissionem peccatorum, seu exhortandi homines ad reconciliationem cum Deo, ut patet sive ex modo quo *Paulus* interpretatur hoc "ministerium reconciliationis": "[Deus] nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum; et posuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo" (2 Cor. 5, 18–20); sive ex ipso *Luca* qui, narrans eandem Christi apparitionem (24, 36–49), refert Christum commisisse discipulis "praedicari in nomine ejus poenitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes" (v. 47); sive ex verbis parallelis *Matth. 28, 19 sq. et Marc. 16, 15 sq.* de praecepto baptizandi et evangelizandi in salutem;

Vel de potestate declarandi peccatorum remissionem a Deo esse factam;

Vel de potestate remittendi peccata per Baptismum, ut patet ex ipsis Patribus, qui ea verba referunt ad baptismalem remissionem; ita *Cyrillus Alex.,* In Joan. (20, 23), 12, 1; *Augustinus,* De bapt. 3, 18, 23; *Ambrosius,* De Poenit. 1, 8, 36; *Firmilianus,* Inter. epp. Cypriani 75, 16; praesertim *Cyprianus,* Epist. 73, 7 (Ad Jubaianum) et Epist. 76, 11 (ad Magnum) ubi ait: "Cum in baptismo unicuique peccata sua remittantur, probat et declarat in Evangelio suo Dominus per eos solos peccata posse dimitti qui habeant Spiritum sanctum. Post resurrectionem enim discipulos suos mittens loquitur ad eos et dicit: 'Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hoc cum dixisset, insufflavit et ait illis: Accipite Spiritum sanctum. Si cujus remiseritis peccata, remittentur illi; si cujus tenueritis, tenebuntur' (Joan., xx). Quo in loco ostendit eum solum posse baptizare et remissionem peccatorum dare qui habeat Spiritum sanctum" (M.L. 3, 1193 sq.).

RESPONDETUR.

In verbis Joannis agi de potestate regulandi exteriorem disciplinam simpliciter negamus, quemadmodum arbitrarie asseritur ab adversariis contra manifestum sensum verborum "remittere et retinere peccata".

Eadem ratione negatur agi de potestate praedicandi remissionem peccatorum.

S. Paulus in loco obiecto ex 2 Cor. loquitur generaliter de ministerio praedicationis quo multipliciter homo inducitur ad obtinendam remissionem suorum peccatorum, sive nempe per subiectivas dispositiones sive per susceptionem sacramenti, tam Baptismi quam Poenitentiae; non ergo inde excludit Apostolus esse in Ecclesia specialem modum obtinendi remissionem peccatorum per sacramentum, secus ipsam etiam remissionem baptismalem excluderet.

Verba Lucae et verba Joannis non referunt eundem Christi sermonem, etiam si sint dicta in eadem apparitione; prioribus enim verbis Christus explicat modo generali missionem ad quam Apostolos mittit, i.e. praedicationem evangelii poenitentiae et remissionis peccatorum, posterioribus vero (quae Lucas omisit, Joannes vero addidit ut de more compleret aliorum evangelistarum narrationes) explicat peculiarem potestatem remittendi peccata.

Ceterum, juxta plurium exegetarum sententiam, ea verba Lucae probabilius referuntur ad aliam apparitionem, de qua Matth. 28, 16–20 et Marc. 16, 15–18, ac correspondent verbis Marci 16, 15 sq.: "Et dixit eis: Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur." Unde Lucas a v. 36 ad v. 43 narrat eandem apparitionem Christi de qua Joan. 20, 19 sqq., omittens tamen verba de potestate remissiva peccatorum, dein a v. 44 ad finem colligit breviter praecipuas commendationes a Christo discipulis factas in variis apparitionibus.

Ad rem *Knabenbauer*, In Luc. 24, 43 sq.: "Ex modo narrandi neutiquam sequitur ea quae evangelista subdit v. 44 eodem die esse a Christo dicta. Rem nunc breviter absolvit, cum in altera operis sui parte scil. in Act. sibi proposuerit de Iesu cum apostolis per quadraginta dies frequenti commercio et de eius in coelum ascensione accuratius scribere. Neque obstat quod pergit evangelista εἶπεν δέ; nam particula δὲ nullo pacto indicatur semper series quaedam eventuum continua vel non interrupta; ea enim Lucas etiam utitur si ad eventum alium, longiore temporis spatio a priore separatum transit, sicuti ex narrationum evangelicarum comparatione et harmonia patet 6, 1. 12; 9, 46. 51; 13, 23; 18, 15 etc. Quare perperam contendit *Weiss* formula εἶπεν δέ significari id statim sine ulteriore mora esse dictum, id quod merito negant *Schanz, Keil* allegantes 16, 1; 17, 1; 18, 1; 20, 41".[19]

Verba Matthaei et Marci sunt parallela ad invicem et cum verbis Lucae modo relatis, non vero cum verbis Joannis, quia alium referunt specificum sensum et etiam alia occasione sunt dicta. Hoc Protestantium conamen identificandi vel in unum coniungendi textum Matthaei cum textu Joannis jam excogitaverant Novatiani et jam in illis confutaverat *Pacianus*, Epist. 3, 11 (cit. in p. 48).

Non agitur de potestate declarandi peccata esse a Deo remissa.

Verba exprimunt remissionem, non declarationem, nec de cetero unquam in Scriptura verba "remittere peccata" significant tantummodo declarare remissa, sed semper significant directam remissionem factam sive a Deo (cf. Matth. 6, 12; 9, 2. 5; Luc. 7, 47 sq.; 12, 10; 23, 34) sive ab homine (cf. Matth. 6, 12–15; 18, 35; Marc. 11, 25 sq.).

Ceterum, si verbum "remittere" acciperetur pro "declarare" in primo membro assertionis (Quorum remiseritis), deberet eodem sensu accipi in secundo membro (Remittuntur eis), quod fieri nequit tum quia a Deo non declarantur remissa sed remittuntur peccata, tum quia ita expressio meram tautologiam sonaret (Quorum declaraveritis remissa peccata, declarantur remissa).

Praeterea, declaratio remissionis peccatorum, facta alicui homini in particulari, vel est infallibiliter connexa cum effectu remissionis ex parte Dei, et tunc est vera potestas remittendi, quamvis forte non judicialis, vel secus, et tunc est frustranea, imo mendacium implicat quia absolute significat remissa, quae forte ob defectum interioris dispositionis (soli Deo notae) remissa non sunt. Quod si dicatur ea esse potestas declarandi generaliter peccata remitti omnibus qui habent fidem in Christo, id nullam potestatem aut privilegium importat, sed est mera expositio fidei evangelicae, quam quilibet homo tum aliis tum sibimetipsi facere potest.

Non agitur de potestate remittendi peccata per Baptismum.

Nam potestas contenta in verbis Joannis respicit peccata generaliter et indistincte, adeoque attingit saltem etiam baptizatos et pluries exerceri potest; potestas vero baptismalis respicit solos non baptizatos et semel tantum quoad idem subiectum exerceri potest.

Item, ea potestas est judicialis, cum exerceatur non solum remittendo sed etiam retinendo, quod de Baptismi potestate dici nequit, cum exerceatur in non subditos.

Item, potestas retinendi, dicta de Baptismo, convenienter intelligi non potest, tunc quia per potestatem baptizandi nequeunt peccata

[19] Comm. in Luc. (24, 44), Parisiis, 1905, p. 653.

retineri nisi eo improprio et negativo sensu quod Baptismus non applicetur, tum quia Christus dedit discipulis proprium et directum praeceptum baptizandi, non vero directe tulit praeceptum retinendi peccata.

Item, in verbis Joannis nulla allusio continetur ad proprium finem regenerativum et proprium ritum ablutivum Baptismi, quae fit in Scriptura quotiescumque est sermo de hoc sacramento; potestas quoque baptizandi explicite et solemniter a Christo data est Apostolis in alia occasione, i.e. immediate ante Ascensionem, et aliis verbis, i.e. "Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti" (Matth. 28, 19); imo probabiliter ante ipsam passionem, veluti occasionaliter et privatim, Apostoli ad baptizandum baptismo Christi missi sunt, juxta Joan. 3, 22–26; 4, 1 sq. (cf. tractatum De Baptismo, art. 2, p. 28 sq. 32 sq.).

Patres, quorum auctoritas invocatur, non docent in verbis Joannis agi proprie et directe de potestate baptizandi, sed ea verba latiori tantum sensu ad hanc potestatem referunt, propter affinitatem utriusque sive ex parte effectus (remissionis peccatorum) sive ex parte causae principalis (Spiritus S.); idque faciunt praecipue in controversia de Baptismo (Cyprianus, Firmilianus et Augustinus) vel de Poenitentia contra Novatianos (Ambrosius), ut ex communi indole utriusque sacramenti suum propositum probent.

Ita *Cyprianus,* ut probet suam sententiam de invaliditate Baptismi extra Ecclesiam, sic ratiocinatur: in Baptismo fit remissio peccatorum (sicut et in Poenitentia), jamvero solus qui habet Spiritum S. potest remittere peccata, ut patet ex eo quod Christus (cum instituit Poenitentiam) potestatem remittendi peccata coniunxit collationi Spiritus S., cum dixit: "Accipite Spiritum S., quorum remiseritis peccata . . ."; ergo Baptismus nequit administrari extra Ecclesiam seu ab eo qui non habet Spiritum S. Simili fere modo ratiocinatur *Firmilianus.*

Propterea *Ambrosius* (qui ceterum verba Joannis directe non appellat) eodem processu logico, contra Novatianos qui admittebant remissionem baptismalem et negabant poenitentialem, ait: "Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo utique remissio peccatorum omnium est: quid interest, utrum per poenitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum sacerdotes vindicent? Unum in utroque mysterium est" (De Poenit. 1, 8, 36, M.L. 16, 497).

Augustinus vero in textu obiecto verba Joannis refert (fere sicut Cyprianus) generaliter et communiter ad omnem modum remissionis peccatorum qui fit in Ecclesia, sive per Poenitentiam sive per Baptismum, et ait ex verbis Joannis sequi nonnisi in Ecclesia, ubi columba seu Spiritus S. est, remissionem fieri peccatorum:

" 'Sicut misit me', inquit, 'Pater, et ego mitto vos. Hoc cum dixisset, inspiravit, et ait illis: Accipite Spiritum sanctum: si cujus remiseritis peccata, remittentur illi; si cujus tenueritis, tenebuntur' (Joan. xx, 22, 23). Ergo si personam gerebant Ecclesiae, et sic eis hoc dictum est, tanquam ipsi Ecclesiae diceretur; pax Ecclesiae dimittit peccata, et ab Ecclesiae pace alienatio tenet peccata, non secundum arbitrium hominum, sed *secundum arbitrium Dei et orationes sanctorum spiritualium qui omnia judicant, ipsi autem a nemine judicantur* (I Cor ii, 15). Petra enim tenet, petra dimittit: columba tenet, columba dimittit: unitas tenet, unitas dimittit. Pax autem hujus unitatis in solis bonis est, vel jam spiritualibus, vel ad spiritualia concordi obedientia proficientibus: in malis autem non est, sive foris tumultuentur, sive intus cum gemitu tolerentur, et *baptizent et baptizentur.*

"Sicut autem isti qui intus cum gemitu tolerantur, quamvis ad eandem columbae unitatem, et ad illam gloriosam Ecclesiam non habentem maculam aut rugam aut aliquid hujusmodi (Ephes. v, 27), non pertineant; tamen si corrigantur, et se pessimos ad Baptismum accessisse fateantur, non rebaptizantur, sed incipiunt ad columbam pertinere, per cujus gemitus peccata solvuntur, a cujus pace alienatis tenebantur: sic et qui apertius foris sunt, si eadem Sacramenta sumpserunt, cum correcti ad Ecclesiae veniunt unitatem, non iterato Baptismo, sed eadem charitatis lege et unitatis vinculo liberantur" (De bapt. 3, 18, 23, M.L. 43, 150).

Tandem *Cyrillus Alex.* in loco obiecto, occasione verborum Joannis, exponit duos esse distinctos modos obtinendi remissionem peccatorum, Baptismum scilicet et Poenitentiam:

"Quomodo igitur aut qua ratione servator dignitatem, quae soli naturae divinae debetur, suis discipulis attribuit? . . . Existimabat . . . eos, qui divinum ac dominicum iam in se ipsis Spiritum habebant, etiam remittendi peccata dominos esse debere et ea retinendi, quae voluerint, Sancto Spiritu qui in iis inhabitat remittente vel etiam retinente pro suo nutu, quamvis id per homines forte fiat. Remittunt porro peccata vel retinent Spiritu afflati homines, *duobus, ut arbitror, modis:* vel enim dignos ad *baptismum* vocant, vitae nimirum gravitate et constantia fidei iam probatos homines, vel prohibent, et a gratia divina arcent eos, qui nondum digni sunt; vel alio quodam modo peccata remittunt ac retinent, nempe cum filios ecclesiae peccantes corripiunt vel *paenitentibus ignoscunt*" (In Joan. [20, 23], 12, 1, Pusey, 3, 140).

D. *EXERCITIUM SEU APPLICATIO ILLIUS POTESTATIS PER APOSTOLOS.*

Applicatio potestatis remissivae peccatorum in foro interno, seu proprie dicta praxis poenitentialis tempore apostolico, nequit distincte determinari. Cuius ratio est tum indoles occasionalis scriptorum, ministerium apostolicum exhibentium (Actuum et Epistolarum), tum rarior usus sacramenti Poenitentiae ob sanctiorem vitam primorum fidelium, tum indeterminatum seu potius copulatum exercitium potestatis proprie sacramentalis cum aliis facultatibus ad generalem clavium potestatem pertinentibus, corripiendi nempe, poenas imponendi, excommunicandi, ab hisque poenis absolvendi, ex quo provenit ut ex solo textu certe determinari non possit quid tantum ad istas et quid ad sacramentalem etiam potestatem referatur.

Quod in *2 Cor. 5, 18–20* Apostolus proponit ut *ministerium et verbum reconciliationis* ("Dedit nobis ministerium reconciliationis", "Posuit in nobis verbum reconciliationis"), quamvis referatur generaliter ad dispensationem evangelii salutis, peculiariter innuit ac mentem dirigit ad ipsam reconciliationem sacramentalem tum Baptismi tum Poenitentiae, quae in illa dispensatione includitur, juxta potestatem a Christo collatam in Joan. 20, 23.

Generaliter ex Epistolis apparet Ecclesiam hoc reconciliationis ministerium interpretasse ut *jus et officium errantes corrigendi,* etiam per separationem a communitate christiana et a spiritualibus bonis ei commissis, eo fine ut ad salutem reducantur. Tale correptionis officium quandoque proponitur ut quid commune omnibus fidelibus (socialiter consideratis) sub ratione instructionis vel correctionis: *Gal. 6, 1:* "Fratres, et si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis"; *2 Thess. 3, 15:* "Nolite quasi inimicum existimare, sed corripite fratrem" (cf. Jac. 5, 19 sq.); *Jac. 5, 16:* "Confitemini ergo alterutrum peccata vestra"; *Jud. 22 sq.:* "Hos quidem arguite judicatos; illos vero salvate de igne rapientes"; quandoque magis directe ut actus auctoritativus praepositorum: *2 Thess. 3, 6:* "Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, et non secundum traditionem quam acceperunt a nobis"; *1 Tim. 5, 20:* "Peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant"; *2 Joan. 10:* "Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis"; *3 Joan. 10:* "Propter hoc si venero, commonebo ejus opera quae facit".

Peculiariter in quibusdam locis exhibetur magis directe exercitium

potestatis *ligandi* (1 Cor. 5, 3–5; 1 Tim. 1, 19 sq.; 2 Cor. 13, 2 sq.) et *solvendi* (2 Cor. 2, 6–10; 1 Tim. 5, 22).

1 COR. 5, 3–5 a Paulo judicatur seu ligatur incestuosus Corinthii: "Ego quidem, absens corpore, praesens autem spiritu, jam *judicavi ut praesens eum qui sic operatus est*, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, *cum virtute Domini nostri Jesu,* tradere hujusmodi Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi."

Potestas *ligandi* hic exercetur directe per excommunicationem, indirecte per potestatem sacramentalem, quatenus incestuosus ille judicatur indignus absolutione propter contumaciam in malo. "Acatholici ex hoc loco colligunt, ius puniendi et excommunicandi penes totam ecclesiam esse, [sed] non animadvertunt, Paulum de se solo tamquam puniente loqui atque ecclesiam eum solum in finem congregari, ut traditio illa maiore cum sollemnitate fiat. Neque ex eo, quod fideles incestuosum eiicere iubentur, sequitur eos democratico quodam modo hac de re statuere debuisse; uti in multis aliis locis hierarchica ecclesiae constitutio, quae tot certis testimoniis scripturisticis demonstratur, cognita supponitur."[20]

1 TIM. 1, 19 sq.: "Habemus fidem et bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt; ex quibus est Hymeneus et Alexander, quos tradidi Satanae, ut discant non blasphemare" (cf. 2 Tim. 4, 14 sq.).

Eadem *ligandi* potestas exercetur.

2 COR. 13, 2 sq.: "Praedixi, et praedico, ut praesens, et nunc absens, iis qui ante peccaverunt, et ceteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam. An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus".

Hic usum eiusdem potestatis Apostolus repetit *ex commissione Christi.*

2 COR. 2, 6–11: "Sufficit illi qui ejusmodi est objurgatio haec quae fit a pluribus, ita ut e contrario magis donetis, et consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur qui ejusmodi est. Propter quod obsecro vos ut confirmetis in illum charitatem. Ideo enim et scripsi, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis. Cui autem aliquid donastis, et ego; nam et ego quod donavi, si quid *donavi, propter vos in persona Christi,* ut non circumveniamur a Satana."

Hic habetur exercitium potestatis *solvendi,* saltem ab excommunicatione (ac proinde indirecte a peccato), nomine et auctoritate Christi

[20] *Cornely,* Comm. in 1 Cor. (5, 3–5), Parisiis, 1890, p. 124 sq.

("Donavi . . . in persona Christi"); verisimile quoque est agi de ipsa directa remissione peccati in foro interno (quo modo facta, nunc non refert), quamvis ex solo textu id erui non possit; propterea antiqui interpretes latini hunc locum connectunt cum verbis Christi Matth. 18, 18: "Quaecumque solveritis super terram erunt soluta et in caelo".

Estius tamen hunc locum interpretatur de potestate solvendi a poena, seu *concedendi indulgentias:* "Quaeret . . . aliquis, inquit, cur nomine condonationis, de qua agitur hoc loco, non potius intelligenda veniat absolutio, vel ab excommunicationis vinculo, vel a peccatis in sacramento poenitentiae. Siquidem utraque absolutione poenitens ille egebat. Respondeo, tam verba, quam contextum Apostoli plane respuere ejusmodi intellectum. Nam primum relaxatio vinculi excommunicationis neque in Scriptura sacra, neque apud Patres usquam condonatio vel indulgentia vocatur; obstante videlicet ipsarum vocum proprietate. Deinde, quod ait: 'Cui aliquid', hoc est, aliquam partem 'donatis', aeque in absolutione excommunicati locum non habet, ut nec in ea, qua poenitens a culpa absolvitur. Fit autem illud, dum per indulgentiam matris Ecclesiae post aliquantam satisfactionem poenitentibus relaxatur ac remittitur, quod reliquum erat poenae debitae. Quam poenae relaxationem manifestius etiam declarat illud praecedens: 'sufficit illi'; quasi dicat: Satis jam poenarum dedit; reliquum ei condonetur. . . In quem sensum *Chrysostomus* et *Theophylactus* ea Pauli verba diserte sunt interpretati."[21]

Nota quod ex ipso contextu facile deducitur hominem, ab Apostolo hic absolutum, esse eundem incestuosum ab ipso ligatum in 1 Cor. 5, 3–5. Hoc de cetero docent non pauci exegetae et docuerunt omnes Patres (inter alios Origenes, Greg. Naz., Pacianus, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Theodoretus, Gregorius M.), uno excepto *Tertulliano,* qui in De pudicitia, 13, id negat ne cogatur admittere (quod totis viribus impugnat) peccatum inpudicitiae posse absolvi ab Ecclesia.

Inepte moderni *Liberales* docent ex utroque loco (1 Cor. 5 et 2 Cor. 2) ostendi *non fuisse hierarchiam apud Corinthios tempore S. Pauli* vel saltem condemnationem et absolutionem incestuosi factam esse non a hierarchia sed ab ipsis fidelibus.

Nam, quamvis ex ipso textu nihil determinate deduci possit de modo quo praefatum judicium executum fuerit, certum est causam ab ipso Paulo, uti supremo rectore illius communitatis, esse principaliter judicatam. Quod autem Paulus jubeat sententiam exequi per ipsos Corinthios vel hos in judicando sibi consociet, refertur ad ipsam communitatem qua talem, seu ut agentem per suos immediatos et locales rectores.

[21] Comm. in 2 Cor. (2, 6–11), Moguntiae, 1859, p. 37.

Hos autem adfuisse in communitate corinthiana, etsi explicite non nominentur, patet tum generaliter ex more Apostoli constituendi pastores per singulas ecclesias (Act. 14, 23), tum peculiariter ex explicita mentione pastorum apud *Thessalonicenses et Philippenses* (1 Thess. 5, 12–14; Phil. 1, 1), tum ex generali mentione "gubernationum" ecclesiarum in ipsa prima epistola ad Corinthios (12, 28), tum ex epistola *Clementis P.* (circa a. 96–98) ad Corinthios, in qua, admonitis episcopis, sacerdotibus et levitis illius civitatis de proprio cuiusque officio (40, 1), Papa in memoriam Corinthiorum revocat has auctoritates in omnibus regionibus per ipsos Apostolos inde ab initio constitutas esse (42, 4; 44, 2 sq.).

1 TIM. 5, 22: "Manus cito nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis."

Plures doctores hunc textum referunt ad sacramentum Ordinis; probabiliter tamen referendus est ad sacramentum Poenitentiae; secundum quam opinionem habetur in his verbis insigne testimonium praxis *absolvendi* apud Apostolos.

Ad rem *Galtier:* "Re vera, opinio fuit olim communis atque recentiorum jam non paucis iterum probata ritum ibi intellegi reconciliationis peccatorum. Quae si recta sit interpretatio, praxis hujusmodi adeo jam tunc fuerit in usu et praecavenda fuerit nimia in ea concedenda facilitas.

"Jamvero pro illa interpretatione [juxta quam agitur de Poenitentia] rationes dantur:

"A) Auctoritas scriptorum antiquissimorum, qui hunc locum invocant in causa reconciliationis peccatoribus aut haereticis non concedendae, v. gr. *Tertullianus* (*Pud.* XVIII. 9); *S. Pacianus* Barcinon. (*Paraen. ad paenit.* 8 et *epist.* III. 19. M. 13. 1086 et 1076).

"B) Duo facta inter se in ea hypothesi optime quadrantia, nempe: — a) aetate apostolica, impositio manuum est ritus fere universalis, quocum in specie fit oratio super hominem; — b) saeculo autem tertio, statim ac in documentis apparet reconciliatio haereticorum aut peccatorum, constat fieri per impositionem manuum tanquam per ritum suum proprium et traditionalem (cf. v. gr. *S. Cypr. epist.* XV. 1; XVI. 2, etc.).

"C) Contextus suadet hoc loco agi de peccatoribus reconciliandis, et non, ut fert interpretatio jamdiu vulgata, de ordinationibus prudenter faciendis; nam — a) de ordinandis sedulo seligendis jam actum est cap. III; — b) totum caput V econtra est de modo se habendi cum peccantibus; — c) versiculus antecedens (2), de 'peccantibus coram omnibus arguendis', apud Patres unanimiter intellectus est de peccantibus in genere, et non, ut fert recentiorum interpretatio, de

clericis tantum redarguendis. Et, re vera, non absque vi grammaticae et logicae illata hic versiculus dicitur significare: 'Eos presbyteros qui post denuntiationem et probationem deprehendantur re vera peccasse coram omnibus argue'; — d) *'Communicare peccatis alienis'*, aetate apostolica et saeculis sequentibus, intellegebatur consequi ad conservationem aut acceptationem in suo coetu peccatorum, minime vero ad peccata eorum quos quis incaute ordinasset.

"D) Nec obstat 'imponere manus', apud S. Paulum alibi, significare ordinationem; nam notum est in epistolis pastoralibus occurrere verba aut formulas quae non eodem sensu alibi adhibentur; in hac ipsa epistola v. gr., vox προΐστασθαι dicitur cap. 3. 4–5 et 12 de praepositis familiarum et cap. 4. 17 de praepositis in Ecclesia; vox πρεσβύτερος, in cap. 5, usurpatur v. 1 de 'seniore' et v. 17 de 'presbytero'. Probabilitate proinde vera gaudere videtur haec interpretatio, quam latius expositam et vindicatam videas in RSR [Recherches de science religieuse], III (1912), p. 448–460, et art. *Imposition des mains*, apud DTC [Dict. Théol. Cath.], t. VII, col. 1306–1313."[22]

Probatur 2. *EX TRADITIONE.*[23]

Certum est, et ab adversariis etiam Liberalibus conceditur, aliquam externam praxim poenitentialem fuisse inde ab initio Ecclesiae; item, inde saltem a fine saeculi secundi, quamdam determinatam disciplinam exercitam esse qua, solutis statutis poenis, quidam saltem peccatores communioni Ecclesiae restituebantur. Ostendendum autem est, praecipue contra Liberales modernos, mentem Ecclesiae fuisse non tantum praedictos peccatores reconciliare in foro externo sed eis peccata proprie remittere, seu eos *reconciliare in foro interno* et coram Deo, idque *per actum et ministerium ipsius hierarchiae.*

Quod praestabimus *primo*, percurrendo praecipua documenta quinque priorum saeculorum (nam eam fuisse posterioris Ecclesiae mentem facile ab adversariis conceditur); *secundo*, considerando duo praecipua capita ex quibus mens Ecclesiae signanter manifestatur, scilicet comparationem a Patribus institutam inter Baptismum et Poenitentiam et triplicem controversiam Montanistarum, Lapsorum et Novatianorum; *tertio*, ostendendo inanitatem rationum in quibus Liberales suam theoriam fundare conantur.

PRIMO. *DOCUMENTA TRADITIONIS.*

Patrum testimonia commode et logice dividi possunt in *tres classes:*

[22] De Paenitentia, n. 218, Parisiis, 1931, p. 149 sq., in nota 2.

[23] Cf. peculiariter *Petavium, Morinum, Palmieri, Boudinhon, Funk, Rauschen, Vacandard, Tixeront, Galtier, D'Alès*, citatos in p. 19 sqq. Quoad doctrinam Callisti, Hippolyti, Tertulliani et Cypriani, confer praecipue *D'Alès*,

prima est duorum priorum saeculorum, a Didache ad Tertullianum exclusive, ac refert rariora et indeterminatiora documenta, inter quae eminet testimonium *Hermae; altera*, saec. 3–4, respicit praesertim controversias Montanistarum, Lapsorum et Novatianorum, ac refert clariora et notabilia documenta, inter quae eminent saec. 3 testimonia *Tertulliani* (catholici et montanistae), Decreti Callisti, Hippolyti, Origenis, Cypriani (De Lapsis), saec. 4 vero *Paciani* et *Ambrosii* (contra Novatianos); *tertia*, saec. 4–5, est potius dogmatica quam polemica, ac refert insigniora documenta, inter quae eminent verba *Chrysostomi* et *Augustini.*

Praecipue autem quoad documenta prioris classis notandum est *difficultatis determinandi mentem primitivae Ecclesiae* duplicem esse causam: *primo, paucitatem documentorum*, quae provenit tum ex eo quod plura deperdita sunt tempore persecutionum (ut patet de ipso celebri decreto Callisti, cuius notitiam habemus tantummodo incidenter ex relatione Tertulliani, illius impugnatoris), tum ex eo quod rarior generaliter fuit occasio scribendi, rarior quoque fuit usus huius sacramenti sive ob eximiorem sanctitatem priorum fidelium, sive ob nondum propagatam praxim confitendi sola peccata venialia (quae videtur nonnisi saec. 4, et quidem in monasteriis, vulgari coepisse), sive ob inaequalem modum judicandi de gravitate peccatorum et consequenter de necessitate ea potestati clavium subiciendi, sive ob quorumdam abusum poenitentiam publicam differendi eiusque rigores effugiendi; *secundo*, ipsam *indolem documentorum*, quorum quaedam nonnisi occasionaliter tangunt hanc materiam (secus ac documenta posteriora in controversiis Montanistarum et Novatianorum, quae vertunt circa ipsam potestatem clavium), quaedam praeterea ab ea tangenda prohibebantur ex ipso eorum fine apologetico contra paganos (opera Apologetarum saec. 2) quibus doctrina ecclesiasticae poenitentiae occasio scandali vel calumniae offerre potuisset.

Ceterum, rariora quae extant documenta lucem et robur accipiunt tum ex mutua comparatione, tum maxime ex eorum connaturali ligamine cum documentis posterioris classis (argumentum continuationis et praescriptionis). Non enim potuit Ecclesia tempore immediate sequenti connaturaliter et absque controversia mutare suam sententiam, nec controversiae Montanistarum, Lapsorum et Novatianorum ullum praebent indicium huiusmodi mutationis.

DIDACHE (a. 90–100), *4, 14:* "In ecclesia confiteberis [ἐξομολογήσῃ] peccata tua, neque accedes ad orationem tuam in conscientia mala" (In Epist. Jac. 5, 16 dicitur: "Confitemini ergo alterutrum peccata vestra"); *10, 6:* "Si quis sanctus est, accedat [ad Eucharistiam]; si quis non est, paenitentiam agat [μετανοείτω]";

14, 1: "Die dominica autem convenientes frangite panem et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum sacrificium vestrum" (Funk, 1, 15. 25. 33).

Agitur de confessione et poenitentia ordinata ad remissionem peccatorum seu ad expurgandam conscientam, facienda in ecclesia. Contextus mentem dirigit ad ritum poenitentialem (probabiliter publicae confessionis), exequendum apud praepositos Ecclesiae. Jamvero Clemens P. eodem tempore loquitur praecise de poenitentia quae fit apud hos praepositos. Confer infra in art. 36, ubi iterum affertur testimonium Didache.

CLEMENS ROM. Epist. ad Corinthios I (a. 96–98), loquitur de conversione et poenitentia quam Deus volentibus concedit (7, 4); exhortatur ad poenitentiam pro peccatis toto corde agendam (8, 2), auctores seditionis apud Corinthios hortatur ut Deo culpam suam confiteantur (52, 1), addens tandem (57, 1): "Vos igitur, qui seditionis fundamenta iecistis, in oboedientia subditi estote presbyteris et correctionem suscipite in paenitentiam, genua cordium vestrorum flectentes" (Funk, 1, 171–173).

Agitur de vera cordis poenitentia, facienda apud praepositos Ecclesiae.

EPISTOLA BARNABAE (a. 96–98), 19, 12: "Confiteberis peccata tua. Non accedes ad orationem in conscientia mala" (Funk, 1, 95).

Haec verba sunt parallela Didache 4, 14.

IGNATIUS († 107), Ep. ad Philad. 3, 2: "Quotquot enim dei et Iesu Christi sunt, hi sunt cum episcopo; et quoquot paenitentia ducti redierint ad unitatem ecclesiae, et hi dei erunt, ut secundum Iesum Christum vivant" (Funk, 1, 267). 8, 1: "Omnibus igitur paenitentibus remittit deus, si se convertant ad unionem cum deo et ad communionem cum episcopo" (ibid., 1, 271).

Agitur de poenitentia et remissione coram Deo seu in foro interno quae alligatur unioni cum Ecclesia, et quidem ut hierarchicae ("cum episcopo"). Id mentem dirigit ad conceptum potestatis clavium in Ecclesia et ad verba Christi: "Quorum remiseritis. . . Quaecumque solveritis. . ."

POLYCARPUS, Ep. ad Philip. (circa a. 107), 6, 1: "Presbyteri sint ad commiserationem proni, misericordes erga cunctos, . . . non severi nimium in iudicio, scientes, nos omnes debitores esse peccati" (Funk, 1, 303).

Directe ipsum judicium de peccatis et peccatoribus tribuitur hierarchiae; nec proinde agitur de mero judicio speculativo (juxta illud nempe "Nolite judicare et non judicabimini"), quod convenit omnibus fidelibus iudiscriminatim.

HERMAS, liber Pastor (circa a. 140–155).

Hermas, juxta Originem (In Rom. 10, 31) est ille quem sub hoc nomine salutat S. Paulus in Rom. 16, 14; juxta alios vero est coaevus S. Clementis P. (ut suadere videtur Vis. 2, 4, 3); juxta fragmentum tandem Muratorianum (1, 73–80), Catalogum Liberianum et communem ac probabiliorem eruditorum sententiam est frater Pii I (a. 140–155) atque eo regnante scripsit Romae hanc veluti apocalypsim, cui titulus "Pastor"; in qua, quidam (ut Funk) rigorismum ipso Montanismo strictiorem, alii e contrario quemdam disciplinae laxismum vident; ita *Tertullianus* ipse, qui in libro De oratione, 16, adhuc catholicus, Hermae auctoritatem admittit ac sibi conciliare contendit (imo, coniunctim nominando Scripturam, eius opus canonicis libris adiungere videtur), jam Montanista in libro De pudicitia, 10, eius doctrinam, ut amatricem moechorum, reicit.

Hoc opus magnam habuit auctoritatem tum in Occidente tum in Oriente, saltem usque ad saec. 4, ita ut a quibusdam Patribus (ut Irenaeo, Tertulliano, Clemente Alex., Origene) canonicis scripturis accenseri videatur et in antiquis manuscriptis appenderetur libris Novi Testamenti. Magnum certe valorem sibi vindicat ut testimonium antiquae traditionis ac praesertim in materia Poenitentiae, quae est praecipuum thema totius operis, propositum a Pastore seu Angelo Poenitentiae (ὁ Ποιμήν, ὁ ἄγγελος τῆς μετανοίας) per quinque Visiones, duodecim Mandata et decem Similitudines.

Summa doctrinae huius operis ad sequentia capita revocari potest:[24]

Generale obiectum et scopus sic exhibetur in Sim. 8, 11, 3: "Respondens mihi dicit: Quotquot, inquit, ex toto corde suo paenitentiam egerint et se purificaverint ab iniquitatibus suis praedictis neque amplius quidquam adiecerint peccatis suis, remedium peccatorum priorum a domino accipient, si non dubitaverint de mandatis istis, et vivent deo. Quotquot autem, inquit, adiecerint peccatis suis et ambulaverint in desideriis huius saeculi, ad mortem se damnabunt" (Funk, 1, 575).

Subiectum et obiectum poenitentiae est omnis peccator et omne peccatum, ut constat tum generaliter ex textu nuper citato tum peculiariter quoad maiora crimina, sive *adulterii* (Mand. 4, 1, 4–11; Vis. 2, 2, 8; propterea a Tertulliano nuper relato Hermas vocatur amator moechorum), sive etiam *apostasiae* (Sim. 9, 21, 3 sq.; 9, 26,

[24] Hanc doctrinam fusius exponunt *D'Alès,* L'édit de Calliste, Paris, 1914, p. 57–115; De sacramento Poenitentiae, Paris, 1926, p. 17–21; *Galtier,* De Paenitentia, n. 226–233, Parisiis, 1931, p. 155–162; *E. Amann,* in Dict. Théol. Cath., art. Pénitence, col. 259–263.

5 sq.; Vis. 2, 2, 8; 2, 2, 2–4); quod ergo in Sim. 8, 6, 4; 9, 19, 1 et 3, videantur apostatae excludi a remissione peccatorum ita intelligendum est quod apostatae supponantur nolle poenitere et in eis vix ulla sit spes voluntariae resipiscentiae (cf. Sim. 8, 6, 4 et 9, 26, 5).

Poenitentia intelligitur distincta a remissione baptismali. In Mand. 4, 3, 1 Hermas exponit Pastori se audivisse "a quibusdam doctoribus" non esse "aliam poenitentiam" praeter baptismalem; respondet Pastor: "Recte audisti; sic enim res se habet. Debuit enim, qui accepit remissionem peccatorum, non amplius peccare, sed in castitate permanere" (ib. 2, Funk, 1, 479); subinde tamen addit: "Post vocationem illam magnam et sanctam [Baptismum] si quis tentatus a diabolo peccaverit, unam paenitentiam habet. Sin autem subinde peccat et paenitentiam agit, non prodest homini eiusmodi; difficile enim vivet" (ibid. 6, Funk, 1, 481).

His verbis innixi, quidam (ut *Zahn, Funk, Rauschen, Watkins*) putant Hermam esse rigoristam, seu negare modo generali existentiam poenitentiae postbaptismalis, in ultimis tamen verbis citatis praedicare tantum temporaneum quemdam favorem seu peculiare jubilaeum poenitentiae postbaptismalis, ab Angelo annuntiatum ratione multitudinis peccatorum illius temporis, post quod non sit amplius locus remissioni postbaptismali.

Attamen haec interpretatio reicienda videtur. Nam imprimis verba "Post vocationem illam magnam" non significant (ut volunt praedicti interpretes) extraordinariam invitationem ad poenitentiam per praefatum jubilaeum, sed vocationem ad fidem per Baptismum, ut patet tum ex constanti usu vocis "vocatio" non solum in N. T. sed apud ipsum Hermam (ibid. paulo inferius; item Sim. 8, 1, 1; 8, 11, 1; 9, 14, 5; 9, 17, 4), tum ex distinctione quae fit inter vocationem christiani et missionem Pastoris, qui dicitur missus a Deo ad dandam poenitentiam ut in fidelibus servetur "vocatio" a Christo facta (Sim. 8, 11, 1). Praeterea, poenitentia exhibetur non ut aliquid extraordinarium, sed ut remedium institutum a Deo ex praevisione peccatorum quae in "vocatis", seu baptizatis, ex humana fragilitate occurrunt (Mand. 4, 1, 8 et 11; 4, 3, 4 sq.).

Quod autem Pastor in prioribus verbis *neget esse aliam poenitentiam praeter baptismalem*, ita intelligendum est (ne evidenter contradicat subsequenti affirmationi): Post Baptismum non datur alia poenitentia eiusdem generis ac ea quae habetur in Baptismo, scilicet simplex peccatorum remissio (ἄφεσις), quamvis detur alia, seu laboriosa vel simpliciter dicta poenitentia (μετάνοια).[25] Ceterum, per se loquendo non

[25] Haec distinctio inter ἄφεσιν et μετάνοιαν est communis apud Patres. Cf. apud *Galtier,* De Paenitentia, thes. 13, n. 232, Parisiis, 1931, p. 160 sq., in nota. *Augustinus,* Ep. ad

deberet esse ullum genus poenitentiae post poenitentiam baptismalem, quatenus christiani ita vivere deberent ut nova poenitentia (alterius quidem generis) nullatenus indigerent ("Debuit enim qui accepit remissionem peccatorum non amplius peccare").

Idem modus loquendi observatur apud *Clementem Alex.* qui docet poenitentiam praebaptismalem esse primam et solam, et tamen simul addit lapsis praesto esse secundam poenitentiam (Strom. 2, 13).

Quod tandem Pastor asserat *poenitentiam postbaptismalem semel tantum praestari* ("unam poenitentiam habet") provenit ex suo praeiudicio eschatologico (de quo cf. Vis. 2, 2, 7; 3, 5, 5; 3, 9, 5; 4, 1. 2. 3); sensus enim videtur hic esse: ob imminentem finem mundi vel saltem temporis probationis assignati christianis (juxta placita Millenarismi), iis qui post secundam poenitentiam iterum peccant difficile relinquetur locus utilis poenitentiae.

Modus poenitentiae apud Hermam importat contritionem cordis, satisfactionem in tribulatione et mundationem cordis seu mutationem vitae. Simil. 7, 4 sq.: "Oportet paenitentem cruciare animam suam et humiliare fortiter in omni actu suo et affligi in omnibus tribulationibus variis; cumque sustinuerit tribulationes sibi supervenientes, omnino miserebitur qui 'creavit omnia' confirmavitque, et remedium aliquod ei dabit; et hoc certe, si viderit cor paenitentis mundum ab omni malo negotio" (Funk, 1, 555).

Remissio peccatorum per poenitentiam intelligitur proprie et in foro interno, ut patet ex omnibus praecedentibus.

Partes hierarchiae in hac poenitentia non explicite proponuntur, cum scopus libri non sit ritum poenitentialem exponere sed tantum peccatores impellere ad poenitentiam; attamen indirecte et sufficienter affirmantur.

Imprimis enim ipse Pastor seu angelus poenitentiae, qui dicitur esse praepositus poenitentiae et habere munus peccatores poenitentes immittere in muros Ecclesiae, et quidem post accuratam eorum considerationem, est non inverisimiliter episcopus vel presbyter, unus nempe ex illis qui secundum Vis. 2, 4, 3 videntur praesidere peccatoribus poenitentiam agentibus. Ecclesia est quae primo Hermae apparet eumque Pastori instituendum de poenitentia committit (Vis. 1–4). Ecclesia est ipsa turris, a ministris quidem aedificata, in cuius muros peccatores per poenitentiam inseruntur (Vis. 3, 3, 3; Sim. 8, 2, 1. 2. 4). Hermas acceptas revelationes de poenitentia jubetur communicare presbyteris (Vis. 2, 4, 3), quo innuitur hos peccatorum poenitentiae

Rom. inchoata expositio, 19, animadvertit: "Eos . . . qui jam baptizati fuerint, curari melius dicimus per poenitentiam, non renovari; quia renovatio in Baptismo est" (M.L. 35, 2102).

praesidere. Divinum mandatum quo jubetur ut peccatores recipiantur (Mand. 4, 1, 8) nequit respicere nisi praepositos Ecclesiae. Ad Ecclesiam fit accessus per Poenitentiam (Vis. 3, 5, 5; Sim. 8, 6, 6) sicut per Baptismum (Vis. 3, 2, 5); item per Poenitentiam renovatur sigillum Baptismi, fractum per peccatum (Sim. 8, 6, 3); ubi innuitur ministratio Poenitentiae sicut Baptismi, esse sub potestate Ecclesiae.

IRENAEUS, Adv. haer. (circa a. 185), 1, 10, 1: "[Deus] justis . . . quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex paenitentia, vitam donans . . ." (M.G. 7, 549). 1, 13, 7: "Talia autem dicentes et operantes [Gnostici], et in iis quoque quae sunt secundum nos regiones Rhodanenses, multas seduxerunt mulieres, quae, 'cauterizatas conscientias habentes', quaedam quidem etiam in manifesto exomologesim faciunt, quaedam autem reverentes hoc ipsum in silentio sensim semetipsas retrahunt, desperantes, a vita Dei, quaedam quidem in totum abscesserunt, quaedam autem inter utrumque dubitant" (M.G. 7, 592; cf. 1, 6, 3; 1. 13, 5; 3, 4, 2).

Agitur hic de peccatorum remissione distincta a Baptismo ("quibusdam ab initio, quibusdam ex paenitentia"), quae fit in foro interno ("justis vitam donans"), per poenitentiam coram Ecclesia, ("in manifesto exomologesim faciunt"). Ex hoc tempore, seu circa finem saec. 2, explicita testimonia sic dictae exomologesis, seu disciplinae poenitentialis, multiplicari incipiunt. Confer quae de hoc testimonio dicentur infra in art. 36. 43. 45.

Ad hanc primam aetatem pertinent etiam aliqua facta ecclesiasticae poenitentiae, quorum quaedam referuntur a Patribus posterioribus.

Joannes Apostolus, ut refert *Clemens Alex.* (Quis dives salvetur, 42), christianum quemdam, qui latronibus se aggregaverat ac varia delicta commiserat, in Ecclesiam iterum recepit, soluta iniuncta poenitentia.[26]

Plures mulieres, in apostasiam et impudicitiam a Gnosticis adductae, per publicam poenitentiam in Ecclesiam reintegrantur, teste *Irenaeo* nuper citato.

Cerdon haereticus, cum venisset Romae sub Hygino P. († circa a.

[26] "His ille [latro] auditis, primum quidem vultu in terram demisso substitit: deinde projectis armis, acerbe flere coepit. Accedentem vero senem [i.e. Joannem Apost.] complexus, gemitu ac lamentis, quam maxime poterat, crimen diluebat, et lacrymis velut altero quodam baptismo expiabatur, solam dexteram occultans. Tum apostolus spondens dejeransque veniam se illi a Salvatore nactum esse, oransque ac in genua provolutus, ipsam juvenis dexteram, veluti jam poenitentia expiatam, exosculans, ipsum in ecclesiam reduxit. Exinde partim crebris orationibus Deum deprecans, partim continuatis una cum juvene jejuniis simul accertans, variisque denique sermonum illecebris animum ejus demulcens, non prius destitit, ut aiunt, quam illum firma constantia Ecclesiae gremio admovisset; magno verae poenitentiae exemplo exhibito, grandique iteratae generationis documento, et futurae resurrectionis trophaeo. . . Qui enim poenitentiae angelum plane recipit, haud eum tunc ulla poenitudo incedet, cum corpus reliquerit" (M.G. 9, 650 sq.).

140), bis exomologesim fecit, teste *Irenaeo* (Adv. Haer. 3, 4, 3; cf. 1, 27, 1).

S. Dionysius, corinthius episcopus medio saec. 2, juxta *Eusebium,* scripsit epistolam ad ecclesiam Amastris in Ponto, in qua "eos qui ex quocumque lapsu sive delicto, sive etiam ab haeretico errore, convertantur, suscipi jubet" (Hist. eccl. 4, 23, 6, M.G. 20, 386). Agitur de poenitentia ab Ecclesia suscipienda.

Plures haeretici a Polycarpo sub Aniceto P. (a. 157–168) ad Ecclesiam conversi sunt, teste *Irenaeo* (Adv. haer. 3, 3, 4).

De Marcione et Valentino (medio saec. 2) scribit *Tertullianus:* "Constat illos, neque adeo olim fuisse, Antonini fere principatu, et in catholicae primo doctrinam credidisse apud Ecclesiam Romanensem, sub episcopatu Eleutherii benedicti donec ob inquietam semper eorum curiositatem, qua fratres quoque vitabant semel et iterum ejecti, Marcion quidem cum ducentis sestertiis quae Ecclesiae intulerat, novissime in perpetuum discidium relegati, venena doctrinarum suarum disseminaverunt. Postmodum idem Marcion, poenitentiam confessus cum conditioni datae sibi occurrit, ita pacem recepturus, si caeteros quos perditioni erudisset, Ecclesiae restitueret, morte praeventus est" (De praescr. 30, M.L. 2, 48 sq.).

Asseritur potestas ligandi et solvendi, poenitentia in Ecclesia, absolutio vel saltem voluntas absolvendi ab apostasia (imo et ab impudicitia, nam ab Epiphanio, Haer. 42, 1, Marcion dicitur etiam stupri reus).

Quidam *Confessores Lugdunenses* (circa a. 178), cum ob cruciatus a confessione fidei defecissent, in Ecclesiam iterum admissi, martyrium subierunt, teste *Eusebio,* Hist. eccles. 5, 1, 45 sq.

Natalis quidam, jam fidei confessor, subinde circa a. 200 haeresim Theodotianorum amplexus eorumque episcopus creatus, publicam poenitentiam coram Zephyrino P. (a. 198–217) suscepit, ut ad Ecclesiae communionem restitueretur. Ita narrat Anonymus apud *Eusebium,* Hist. eccles, 5, 28, 11 sq.

Saec. 3 explicite asseritur potestas Ecclesiae, imo directe fit quaestio de eius amplitudine et exercitio in controversia de Montanismo et de Lapsis, quae saeculo sequenti extenditur in controversiam de Novatianis.

TERTULLIANUS (natus a. 160, conversus ad fidem circa a. 193–195, haereticus montanista inde ab a. 213, defunctus post a. 222, probabiliter inter a. 240 et a. 250).

Distinguendem est inter doctrinam Tertulliani *catholici,* consignatam praecipue in *Libro de Poenitentia* (a. 200–206) et doctrinam Tertulliani *montanistae,* consignatam praecipue in ultimo quem scripsit *Libro de Pudicitia* (a. 217–222), in quo ipse expresse dicit se retrac-

tare priorem sententiam. In primo opere explicite docet existentiam potestatis hierarchicae eiusque extensionem ad omnia peccata, in altero vero explicite et directe negat hanc extensionem, implicite vero vel aequivalenter videtur negare ipsam existentiam potestatis.

Quamvis hic de sola potestatis existentia directe sit quaestio, juverit utramque doctrinam Tertulliani, ex utroque opere desumptam, simul et semel considerare, ob connexionem materiae et idearum.

Liber de Poenitentia.

Statum quaestionis et summam doctrinae, quae in hoc libro continetur, sic apte aperit *D'Alès:*

"Hunc libellum Tertullianus scripsit catholicus. Agit (1–4) de virtute paenitentiae universim, quam definit 1, 1: 'passionem animi quandam, quae veniat de offensa sententiae peioris'. Tum (5–6) de illa paenitentia quam agi oportet ante Baptismum. Postremo (7–12) de paenitentia quae fit post Baptismum. Haec postrema pars varias passa est interpretationes.

"F. X. Funk, KGAU.,[27] t. 1, p. 166 (1897), asseruit ibi agi de pace cum Deo habenda, nullatenus cum Ecclesia. Contra scripsit G. Esser, *Die Bussschriften Tertullians De Paenitentia und De Pudicitia und das Indulgenzedikt der Papstes Kallistus.* Bonn, 1905. Argumentis Esseri compulsus Funk, TQS.,[28] t. 88, p. 542 sqq. (1906) fassus est etiam de pace cum Ecclesia agi; sed id ita coartavit ut negaret utramque pacem natura sua coniungi. Similia legi possunt apud Batiffol, BLE.,[29] 1906, p. 339 sqq., Vacandard, RCF.,[30] 1er avril 1907, p. 113 sqq. — Nos illam sententiam tuebimur quam et ante Esser statuimus in nostra *Théologie de Tertullien* (Paris, 1905) et post illum in *Édit de Calliste* (1922). Haec est:

"1. Toto libello *Paen.*, agi de peccatis per ministerium Ecclesiae remittendis (contra Funk 1).

"2. Toto libello *Paen.*, agi de pace Ecclesiae, ut natura sua coniuncta cum pace Dei (contra Funk 2, Batiffol, Vacandard)."[31]

1. *Definitio Poenitentiae in genere.*

Cap. 1: "Poenitentiam hoc genus hominum, quod et ipsi retro fuimus, caeci, sine Domini lumine, natura tenus norunt *passionem animi quandam esse quae veniat de offensa sententiae prioris* [aliter: peioris]. Caeterum a ratione ejus tantum absunt, quantum ab ipso rationis auctore: quippe res Dei, ratio. . . Quam autem in poenitentiae actu

[27] Kirchengeschichtliche Abhandlungen und Untersuchungen (3 vol.).
[28] Theologische Quartalschrift (Tübingen).
[29] Bulletin de Littérature ecclésiastique.
[30] Revue du Clergé français.
[31] De Sacramento Paenitentiae, thes. 2, Parisiis, 1926, p. 23.

irrationaliter deversentur, vel uno isto satis erit expedire, cum illam etiam in bonis factis suis adhibent. Poenitet fidei, amoris, simplicitatis, patientiae, misericordiae prout quid in ingratiam cecidit. Semetipsos exsecrantur quia benefecerint, eamque maxime poenitentiae speciem, quae optimis operibus irrogatur, in corde fingunt, meminisse curantes, ne quid boni rursus praestent; contra, poenitentiae malorum levius incubant: denique facilius per eamdem delinquunt, quam per eamdem recte faciunt" (M.L. 1, 1335–1338).

2. *Poenitentiae postbaptismalis existentia.*

Datur secunda spes sed ultima, datur secunda poenitentia sed semel.

Cap. 7: "Piget *secundae, imo jam ultimae spei* subtexere mentionem, ne retractantes de residuo auxilio poenitendi, spatium adhuc delinquendi demonstrare videamur. Absit, ut aliquis ita interpretetur. . . Nemo . . . deterior sit, quia Deus melior est, *totiens delinquendo quotiens ignoscitur. . .*

"Itaque observat, oppugnat, obsidet, si qua possit aut oculos *concupiscentia carnali* ferire, aut animum illecebris saecularibus irretire, aut *fidem* terrenae potestatis formidine *evertere,* aut *a via certa* perversis traditionibus *detorquere:* non scandalis, non tentationibus deficit. Haec igitur venena ejus providens Deus, clausa licet ignoscentiae janua, et intinctionis sera obstructa, *aliquid adhuc permisit patere.* Collocavit in vestibulo *poenitentiam secundam,* quae pulsantibus patefaciat: *sed jam semel,* quia jam secundo. Sed amplius nunquam, quia proxime frustra. Non enim et hoc semel satis est?

"Habes, quod jam non merebaris; amisisti enim quod acceperas. Si tibi indulgentia Domini accommodat, unde restituas quod amiseras, herato [lege: *iterato*] *beneficio* gratus esto, nedum ampliato: majus est enim restituere, quam dare: quoniam miserius est perdidisse, quam omnino non accepisse. Verum non statim succidendus ac subruendus est animus desperatione, *si secundae quis poenitentiae debitor fuerit:* pigeat sane peccare rursus, sed rursus poenitere non pigeat: pigeat iterum periclitari, sed non iterum liberari. Neminem pudeat; iteratae valetudinis iteranda medicina est: gratus in Dominum exstiteris, si quod tibi Dominus offert, non recusaveris: offendisti, sed reconciliari adhuc potes. Habes cui satisfacias, et quidem volentem" (M.L. 1, 1351 sq.).

3. *Obiectum Poenitentiae sunt omnia peccata.*

In citato textu nulla fit restrictio. Imo in specie referuntur duo ex tribus maioribus delictis (*impudicitia et apostasia;* cf. cap. 8) quibus posterius Tertullianus montanista veniam denegavit.

4. *Remissio peccatorum per hanc poenitentiam intelligitur in foro interno et coram Deo.*

In verbis citatis agitur de restitutione eius quod est acceptum in Baptismo et de iterata valetudine; in cap. 10 infra citando dicitur poenitentia fieri in salutem et medelam conscientiae. Idem patet tum ex parabolis de ove errante, drachma perdita et filio prodigo, quibus in cap. 8 probatur existentia poenitentiae postbaptismalis, tum ex huius parallelismo cum Baptismo, ex quo dicitur secunda spes, secunda poenitentia, iteratum beneficium, secunda tabula salutis post naufragium (cap. 4 et 12), secunda subsidia (cap. 12).

Cap. 12: "Si de *exomologesi* retractas, gehennam in corde considera, quam tibi exomologesis exstinguit: et poenae prius magnitudinem imaginare, ut de remedii adeptione non dubites. . . Igitur cum scias adversus gehennam post prima illa intinctionis Dominicae munimenta, *esse adhuc in exomologesi secunda subsidia,* cur salutem tuam deseris? Cur cessas aggredi quod scias mederi tibi? . . . Peccator restituendo sibi *institutam a Domino exomologesin* sciens, praeteribit illam (Dan. iv), quae Babylonium regem in regna restituit? Diu enim poenitentiam Domino immolarat, septenni squalore exomologesin operatus, unguium leonium in modum efferatione, et capilli incuria horrorem aquilinum praeferente. Proh male tractationis! quem homines perhorrebant, Deus recipiebat (Exod. xiv). Contra autem Aegyptius imperator. . . *Poenitentiam enim et ministerium ejus exomologesin* abjecerat. Quid ergo ultra de *istis duabus humanae salutis quasi planeis,* styli potius negotium quam officium conscientiae meae curans? peccator enim omnium notarum cum sim, nec ulli rei nisi poenitentiae natus, non facile possum super illa tacere, quam ipse quoque et stirpis humanae et offensae in Dominum princeps Adam exomologesi restitutus in paradisum suum, non tacet" (M.L. 1, 1358–1360).

5. *Haec peccatorum remissio fit per Ecclesiae absolutionem.*

Id patet imprimis ex ipsa negatione potestatis Ecclesiae vel eius extensionis, quam Tertullianus montanista statuit in *Libro de Pudicitia,* in quo expresse fatetur se priorem sententiam suam corrigere. Item, ex eo quod hic in Libro de Poenitentia dicat peccatores "presbyteris advolvi" (cap. 9) ac "palam absolvi" (cap. 10) et "universum [Ecclesiae coetum] ad remedium conlaborare" (cap. 10). Item, ex toto ritu exterioris et publicae poenitentiae coram Ecclesia et ad eius pacem impetrandam, scilicet ex sic dicta exomologesi quae se habet ad Poenitentiam sicut eius ministerium (cap. 12 nuper cit.: "Poenitentia et ministerium eius exomologesis"), quatenus Poenitentia "non sola conscientia profertur, sed aliquo etiam actu administretur" (cap. 9).

Cap. 9: "Hujus igitur poenitentiae secundae et unius, quanto in arcto negotium est, tanto operosior probatio, ut *non sola conscientia proferatur, sed aliquo etiam actu administretur.* Is actus, qui magis

Graeco vocabulo exprimitur et frequentatur, *Exomologesis est,* qua delictum Domino nostrum confitemur: non quidem ut ignaro, sed quatenus *satisfactio* confessione disponitur, *confessione* poenitentia nascitur, *poenitentia* Deus mitigatur. Itaque Exomologesis prosternendi et humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiae illicem; de ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco et cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum moeroribus dejicere, illa qua peccavit tristi tractatione mutare; caeterum pastum et potum pura nosse, non ventris scilicet, sed animae causa: plerumque vero jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, et mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, *presbyteris advolvi, et charis Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suae injungere.* Haec omnia Exomologesis, ut poenitentiam commendet, ut de periculi timore Dominum honoret, ut in peccatorem ipsa pronuntians pro Dei indignatione fungatur, et temporali afflictatione aeterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat" (M.L. 1, 1354 sq.).

Cap. 10: "Plerosque tamen hoc opus, ut *publicationem sui,* aut suffugere, aut de die in diem differre, praesumo; pudoris magis memores quam salutis. . . Caeterum inter fratres atque conservos, ubi communis spes, metus, gaudium, dolor, passio (quia communis spiritus de communi Domino et Patre), quid tu hos aliud quam te opinaris? Quid consortes casuum tuorum, ut plausores, fugis? Non potest corpus de unius membri vexatione laetum agere: condoleat universum, et *ad remedium conlaboret,* necesse est. *In uno et altero Ecclesia est,* Ecclesia vero Christus. Ergo cum te ad fratrum genua protendis, Christum contrectas, Christum exoras. Aeque illi cum super te lacrymas agunt, Christus patitur, Christus Patrem deprecatur. Facile impetratur semper, quod filius postulat. Grande plane emolumentum verecundiae occultatio delicti pollicetur. Videlicet si quid humanae notitiae subduxerimus, proinde et Deum celabimus? Adeone existimatio hominum et Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quam *palam absolvi?*" (M.L. 1, 1355 sq.).

Liber de Pudicitia.

1. Tertullianus *explicite declarat se mutare sententiam,* quam cum catholicis prius defenderat.

Cap. 1: "Erit igitur et hic *adversus Psychicos* [i.e. catholicos] titulus, adversus meae quoque sententiae retro penes illos societatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis objectent. Nunquam societatis repudium delicti praejudicium est, quasi non facilius sit errare cum pluribus, quando veritas cum paucis ametur. Atenim me non magis dedecorabit utilis levitas, quam ornarit nocens. Non suffundor errore quo carui, quia caruisse delector, quia meliorem me et pudiciorem

recognosco. Nemo proficiens erubescit. Habet et in Christo scientia aetates suas, per quas devolutus est et Apostolus" (M.L. 2, 1033).

2. Inde ab initio libri (*cap. 1*) refert et vehementer *impugnat sic dictum decretum Callisti* (infra citandum), in quo conceditur venia peccato impudicitiae.

Inferius in *Cap. 10* improbat, tamquam amatorem moechorum, *Pastorem Hermae,* qui non parva auctoritate apud catholicos gaudebat cuiusque doctrinam et ipse secutus erat (ut patet ex parallelismo inter Pastorem, Mand. 4, 3, et De Poenitentia, cap. 7 supra cit.):

"Eris iterum de moecho Christianus. Haec tu mihi, benignissime Dei interpres. Sed celerem tibi, si *scriptura Pastoris, quae sola moechos amat,* divino instrumento meruisset incidi, si non ab omni concilio Ecclesiarum etiam vestrarum *inter apocrypha et falsa* judicaretur, adultera et ipsa, et inde patrona sociorum; a qua et alias initiaris; cui ille si forte patrocinabitur pastor, quem in calice depingis, prostitutorem et ipsum Christiani sacramenti, merito et ebrietatis idolum, et moechiae asilum post calicem subsecuturae, de quo nihil libentius bibas, quam ovem poenitentiae secundae. At ego ejus pastoris scripturas haurio qui non potest frangi: hunc mihi statim Joannes offert cum poenitentiae lavacro et officio dicentem: 'Facite dignos poenitentiae fructus, et ne dixeritis: Patrem habemus Abraham' " (M.L. 2, 1052 sq.).

3. Immediate *distinguit generice inter peccata remissibilia et irremissibilia* (cap. 2) et inter remissionem seu *pacem humanam,* quam denegat peccatis irremissibilibus, et remissionem seu *pacem divinam,* quam omnibus peccatis dari posse concedit (cap. 3).

Cap. 2: "Causas poenitentiae delicta condicimus. Haec dividimus in duos exitus: *alia erunt remissibilia, alia irremissibilia.* . . De ista differentia jam et quasdam praemisimus altercationes Scripturarum, hinc retinentium, hinc dimittentium delicta. Sed et Joannes docebit: 'Si quis scit fratrem suum delinquere delictum non ad mortem, postulabit, et dabitur vita ei' (I Joan. v, 16); quia non ad mortem delinquit: hoc erit remissibile. 'Est delictum ad mortem: non pro illo dico ut quis postulet' (ibid.): hoc erit irremissibile. . . Secundum hanc differentiam delictorum, poenitentiae quoque conditio discriminatur. Alia erit quae veniam consequi possit, in delicto scilicet remissibili; alia quae consequi nullo modo possit, in delicto scilicet irremissibili" (M.L. 2, 1036 sq.).

Cap. 3: "Sed prius decidam intercedentem ex diverso responsionem [seu Catholicorum obiectionem] ad eam poenitentiae speciem, quam cummaxime difinimus venia carere. Si enim, inquiunt, aliqua poenitentia caret venia, jam nec in totum agenda tibi est. Nihil enim

agendum est frustra. . . Merito utique ita opponunt, quoniam hujus quoque poenitentiae fructum, id est veniam, *in sua potestate usurpaverunt.* Quantum enim ad illos a quibus *pacem humanam* consequitur; quantum autem ad nos, qui solum Dominum meminimus delicta concedere et utique mortalia, non frustra agetur. Ad Dominum enim remissa et illi exinde postrata, hoc ipso magis operabitur veniam, quod eam solo Deo exorat, quod delicto suo humanam pacem sufficere non credit, quod Ecclesiae mavult erubescere quam communicare. . . Et si pacem hic non metit, apud Dominum seminat: nec amittit, sed praeparat fructum: non vacabit ab emolumento, si non vacaverit ab officio. Ita nec poenitentia hujusmodi vana, nec disciplina ejusmodi dura est" (M.L. 2, 1037 sq.).

4. Subinde *determinat quae sint peccata irremissibilia,* ea nempe quae sunt *"delictum ad mortem"* (juxta 1 Joan. 5, 16 et Jerem. 7, 16; 11, 14; 14, 11), sub quo genere in cap. 19 enumerat homicidium, idololatriam, fraudem, negationem, blasphemiam, moechiam et alias, si quae sint, violationes templi Dei. In cap. 4–5 peculiariter determinat tria esse irremissibilia, scilicet: *idololatriam, moechiam* et *homicidium,* idque deducit tum ex verbis Decalogi, tum ex paritate indolis horum trium peccatorum (cap. 4–5); plura autem Scripturae testimonia, uti parabolas de ove errante, de drachma perdita, de filio prodigo, interpretatur de sola remissione baptismali et de ethnicis conversis ad fidem.

Cap. 19: "Nec ipsi excidimus a qua digressi sumus distinctione delictorum. Et hic enim illam Joannes commendavit, quod sint quaedam delicta quotidianae incursionis, quibus omnes simus objecti. Cui enim non accidit, aut irasci inique, et ultra solis occasum; aut et manum immittere, aut facile maledicere, aut temere jurare, aut fidem pacti destruere; aut verecundia aut necessitate mentiri? in negotiis, in officiis, in quaestu, in victu, in visu, in auditu quanta tentamur, ut si nulla sit venia istorum, nemini salus competat! Horum ergo erit venia per exoratorem Patris Christum. Sunt autem et contraria istis, ut graviora et exitiosa, quae veniam non capiant, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blasphemia, utique et moechia et fornicatio, et si qua alia violatio templi Dei. Horum ultra exorator non erit Christus: haec non admittet omnino qui natus ex Deo fuerit, non futurus Dei filius, si admiserit [Citat 1 Joan. 5, 16 et Jerem. 7, 16; 11, 14; 14, 11]. . . [Sunt enim] *delictum quod ad mortem est.* Ita nihil jam superest, quam aut neges moechiam et fornicationem mortalia esse delicta, aut irremissibilia fatearis, pro quibus nec orari permittitur" (M.L. 2, 1073 sq.).

Cap. 4–5: "Possumus igitur, demandata poenitentiae distinctione,

ad ipsorum jam delictorum regredi censum, an ea sint quae veniam ab omnibus consequi possint. . . [Decalogi lex] post interdictam *alienorum deorum superstitionem*, ipsorumque idolorum fabricationem; post commendatam Sabbati venerationem; post imperatam in parentes secundam a Deo religionem, nullum aliud in talibus titulis firmandis monendisque substruxit praeceptum, quam: *'Non moechaberis'* (Exod. xx, 14). . . Quale delictum jam intellige, cujus cohibitionem post idololatriae ordinavit. Nihil secundum longinquat a primo; nihil tam proximum primo, quam secundum: quod fit ex primo aliud, quodammodo primum est. Itaque moechia affinis idololatriae; nam et idololatria moechiae nomine et fornicationis saepe populo exprobrata (Jerem. iii, 1 seq.; Ezech. xvi, 15 seq.), etiam sorte conjungetur illi, sicut et serie; etiam damnatione cohaerebit illi, sicut et dispositione. Eo amplius praemittens: 'Non moechaberis'; adjungit: *'Non occides'*: oneravit utique moechiam, quam homicidio anteponit. In prima itaque fronte sanctissimae legis, in primis titulis coelestis edicti, *principalium utique delictorum proscriptione signata,* de loco modum, de ordine statum, de confinio meritum cujusque dignoscas" (M.L. 2, 1038 sq.).

Cap. 18: "Clementia illa Dei, malentis poenitentiam peccatoris quam mortem, *ad ignorantes adhuc et adhuc incredulos spectat,* quorum causa liberandorum venerit Christus, non qui jam Deum norint, et sacramentum didicerint fidei. Quod si clementia Dei ignorantibus adhuc et infidelibus competit, utique et poenitentia ad se clementiam invitat, salva illa poenitentiae specie post fidem, quae aut *levioribus delictis veniam ab episcopo consequi poterit,* aut majoribus et irremissibilibus a Deo solo" (M.L. 2, 1070).

5. *Reprehendit catholicos quod idololatriam et homicidium declarent irremissibilia, absolvant vero moechiam.*

Cap. 5: "Adsistit idololatres, adsistit homicida, in medio eorum adsistit et moechus, pariter de poenitentiae officio sedent, in sacco et cinere inhorrescunt, eodem flatu gemiscunt, eisdem precibus ambiunt, eisdem genibus exorant, eamdem invocant matrem. Quid agis, mollissima et humanissima disciplina? aut omnibus eis hoc esse debebis: 'Beati' enim 'pacifici' (Matth. v, 6); aut, si non omnibus, nostra esse. Idololatriam quidem et homicidam semel damnas, moechum vero de medio excipis, idololatriae successorem, homicidae antecessorem, utriusque collegam?" (M.L. 2, 1040 sq.).

Cap. 12: "Neque idololatriae, neque sanguini, pax ab Ecclesiis redditur" (M.L. 2, 1055).

Haec verba, in sua generalitate, esse falsa et calumniosa patet tum ex *Herma* (supra cit.), tum ex ipso *Tertulliano* (De Poenit., cap. 7, supra cit.), tum ex *Hippolyto* accusante Callistum (infra cit.). Verisimile tamen est id in quibusdam ecclesiis contigisse variamque fuisse ecclesiarum disciplinam quoad trium capitalium peccatorum reservationem; ceterum, indubium est aliquando gravioribus quibusdam peccatis pacem Ecclesiae denegatam esse usque ad articulum mortis, imo et in ipso articulo mortis admittunt plures gravesque theologi, ut constabit ex dicendis in proprio loco.

6. In fine operis, cap. 21 supra cit. (p. 46 sq.), *"ipsam potestatem clavium, in qua catholici plurimum nitebantur, totis viribus impugnat;* ita quidem ut eam verbo tenus asserat, reapse transferat ab hierarchia catholica ad 'Ecclesiam Spiritum', i.e. ad conventicula montanistarum."[32]

Plures doctores dicunt eum non negare potestatem sed solam extensionem ad peccata graviora, nam in cap. 18 (supra cit.) ait "levioribus delictis veniam ab episcopo consequi posse" (in cap. 13 autem ostendit episcopum praesidere exomologesi); item eum non negare extensionem ad omnia peccata mortalia sed tantum ad capitalia, nam in cap. 19 (supra cit.) inter peccata remissibilia numerat irasci ultra solis occasum, manum immittere, maledicere, temere jurare, fidem pacti destruere.

Attamen, quamvis praecipuum intentum Tertulliani in hoc opere De Pudicitia sit defendere contra decretum Callisti irremissibilitatem impudicitiae (et consequenter idololatriae et homicidii ac generaliter peccati ad mortem), conclusio ad quam pervenit in fine libri est ipsa negatio remissivae potestatis apud hierarchiam Ecclesiae.

Etenim in cap. 21 haec aperte docet: Non competit hierarchiae Ecclesiae *potestas* remittendi *peccata in Deum commissa.* Haec datur quidem in Ecclesia, sed est speciale charisma quorumdam sanctorum, sicut potestas patrandi miracula, adeoque invenitur apud Montanistas, nec ceterum est exercenda, ne sit occasio et incitamentum ad peccandum (unde ipsi martyres catholici illicite absolvunt, imo charismate carent: cap. 22); ipse Petrus personaliter tantum eam habuit. Ecclesia hierarchica potest tantum remittere, *ratione doctrinae, ministerii et disciplinae, peccata commissa in hominem,* nam in persona Petri jubemur remittere septuagies septies offensas nobis illatas.

Unde si Tertullianus sibi constans sit, supradictam facultatem episcopi absolvendi leviora delicta intelligit non proprie dictam potestatem, sed officium disciplinae et correptionis, quod ceterum sub aliqua ratione convenit omnibus christianis, juxta praeceptum dimittendi fraternas offensas (unde Tertullianus indifferenter dicit "ab episcopo" [cap. 18] vel "ab omnibus" [cap. 4] veniam pro levioribus peccatis consequi posse); item, leviora peccata intelligit offensas fraternas,

[32] *D'Alès,* De sacr. Poenitentiae, thes. 2, Parisiis, 1926, p. 28.

quas ipse generaliter levia existimat, ideo fortasse quod non sint directe contra Deum et "quod sint quaedam delicta quotidianae incursionis, quibus omnes simus obiecti" (cap. 19 supra cit.).

7. *Tertullianus in Libro de Pudicitia est praeclarus testis doctrinae catholicorum illius aetatis* tum quoad existentiam potestatis clavium tum quoad eius extensionem, idque praecise quia eam directe impugnat, imo priorem sententiam suam retractat, atque impugnando et retractando, sensum catholicae doctrinae explicite determinat.

Ad existentiam verae potestatis referuntur praecipue cap. 3 ("Veniam in sua potestate usurpaverunt"), cap. 13 ("Et tu quidem poenitentiam moechi ad exorandam fraternitatem in ecclesiam inducens . . . bonus pastor et benedictus papa"), cap. 18 ("Veniam ab episcopo consequi poterit"), cap. 21 per totum, cap. 22 ("In martyres tuos effundis hanc potestatem", "Moechos et fornicatores martyr absolvat", "Christus potestatem suam ostendit [patrando miracula] . . . non licet mihi eandem potestatem in aliquo sine eisdem probationibus credere"). Praeterea eadem potestas passim per totum librum exprimitur vocibus "absolvere (cap. 13. 14. 21. 22), restituere, reconciliare, indulgere, pax".

DECRETUM CALLISTI.

Hoc decretum, in quo inde ab initio saec. 2 explicite affirmatur potestas hierarchica dimittendi peccata et implicite eius extensio, cognoscimus directe ex sola mentione Tertulliani in Libro de Pudicitia, cap. 1, qui occasione illius et ad illud impugnandum exaratus est:

"Audio etiam, inquit *Tertullianus,* edictum esse propositum, et quidem peremptorium, Pontifex scilicet maximus, quod est episcopus episcoporum, edicit: 'Ego et moechia et fornicationis delicta, poenitentia functis dimitto.' O edictum, cui ascribi non poterit, Bonum factum! Et ubi proponetur liberalitas ista? Ibidem, opinor, in ipsis libidinum januis, sub ipsis libidinum titulis. Illic ejusmodi paenitentia promulganda est, ubi delinquentia ipsa versabitur, illic legenda est venia, quo cum spe ejus intrabitur. Sed hoc in Ecclesia legitur, et in Ecclesia pronuntiatur, et virgo est? Absit, absit a sponsa Christi tale praeconium. Illa quae vera est, quae pudica, quae sancta, carebit etiam aurium maculis. Non habet quibus hoc repromittat; et si habuerit, non repromittit: quoniam et terrenum Dei templum citius 'spelunca latronum' (Matth. xxi, 13) appellari potuit a Domino, quam moechorum et fornicatorum" (M.L. 2, 1032 sq.).

De auctore, et consequenter de auctoritate, huius decreti triplex est eruditorum sententia:

Olim communiter abscribebatur *Zephyrino Papae* (a. 199–217), ob

verba Tertulliani (modo cit.) "Pontifex maximus . . . episcopus episcoporum" (item, cap. 13: "Bonus pastor et benedictus papa" et cap. 21: "Apostolice").

Nunc communius adscribitur *Callisto Papae* (a. 217–222; liber de Pudicitia scriptus est a. 220) tum ob praefata verba Tertulliani (praesertim "Apostolice") aliasque eius allusiones ad cathedram Petri in cap. 21, tum praecipue ob inventa, et edita Oxonii a. 1851, Philosophoumena S. Hippolyti, in quibus hic acerrimus Callisti adversarius hunc Papam incusat quod asseveret "omnibus a semet dimitti peccata" (cf. infra).[33]

Pauci[34] negant decretum esse ullius Papae illudque adscribunt *Agrippino episcopo carthaginensi.* Nam, inquiunt, supradictae expressiones (Pontifex maximus — Benedictus papa, etc.) non sunt eo tempore propriae Romani Pontificis (in Ep. 2 inter epp. Cypriani, M.L. 4, 228, Cyprianus ipse a clero romano vocatur "benedictus papa") et a Tertulliano nonnisi ironice usurpantur (ut patet evidenter de expressione "Bonus pastor et benedictus papa"), ac ceterum ex cap. 21 apparet episcopum, quem Tertullianus impugnat, esse episcopum non ecclesiae Romanae sed alterius ecclesiae "*Petri propinquae*", nam ibidem dictur: "Praesumis et ad te derivasse solvendi et alligandi potestatem, id est ad *omnem* Ecclesiam Petri propinquam" (cf. totum textum supra cit. in p. 46 sq.) et in libro De praescript. 32 dicitur quod etiam illae ecclesiae quae a nullo apostolo fundatae sunt, "in eadem fide conspirantes, non minus apostolicae depuntantur, pro consanguinitate doctrinae" (M.L. 2, 53).

CALLISTUS († 222) et HIPPOLYTUS († circa 235).

Quidquid sit de attributione supradicti decreti, ex sequentibus verbis Hippolyti incusantis Callistum[35] (demptis quidem manifestis eius exaggerationibus et mendaciis) colligi potest doctrinam Callisti esse Ecclesiam habere potestatem absolvendi, et quidem omnia peccata, etiam apostasiam, moechiam et homicidium, Hippolytum vero hanc Ecclesiae potestatem non negare sed tantum vehementer conqueri de modo et facilitate qua, juxta ipsum, peccatoribus venia a Callisto

---

[33] Ita sentiit primo *Rossi,* Bolletino di archeologia cristiana, 1866, p. 26, ac posterius *Harnack,* Zeitschrift für Kirchengeschichte, 1818, t. 2, p. 582, quos sequuntur plures eruditi, v.g. *D'Alès* (qui loquitur de sententia probabiliori), art. Zéphyrin, Calliste ou Agrippinus, in Rech. de science relig., 1920, p. 212 sqq.; De sacr. Poenitentiae, Paris, 1926, p. 26. 30. 32; *Funk; Preuschen; Batiffol* (qui loquitur de sententia certa).

[34] Inter quos *Orsi, Morcelli, Gieseler, G. Bardy,* L'édit d'Agrippinus, in Revue des sciences relig., 1924, p. 1–25, et *P. Galtier,* Le véritable édit de Calliste, in Revue d'hist. eccl. de Louvain, 1927, p. 469–475; Ecclesia Petri propinqua, ibid., 1928, p. 41–51; De Paenitentia, Paris, 1931, p. 163 sq. 168, L'Eglise et la rémissione des péchés, Paris, 1932, p. 141–183.

[35] *Batiffol,* Études d'histoire et de théologie positive, Paris, 1926, p. 102–107, docet has Hippolyti accusationes explicare varios articulos decreti Callisti. Contrarium sustinet *Galtier,* L'Eglise et la rémission des péchés, Paris, 1932, p. 181–183.

concederetur, ita ut, ad favorem plebis consequendum, implicite ab eo daretur facultas peccandi sub fiducia facilis veniae.

Hippolytus, Philosophoumena, 9, 12, 4–6: "Post Zephyrini obitum [Callistus est] arbitratus se esse nactum quod venabatur [i.e. successionem pontificatus]. . . Erat . . . praestigiator et ad fraudem acutus et tempore procedente multos secum abripuit. . . Talia conatus praestigiator ille scholam constituit *adversus Ecclesiam ita docendo, et primus ea, quae ad voluptates faciunt, hominibus concedere ausus est, dicens omnibus a semet dimitti peccata.*

"Nam si forte, qui apud alium quem congregatur et Christianus vocatur, quid peccaverit aiunt, non imputatur ei peccatum, modo Callisti scholae accedat. Cuius definitionem amplectentes multi, conscientia morsi simulque etiam a multis sectis reiecti, nonnulli vero et per condemnationem a nobis ex Ecclesia eiecti, ad eos transgressi eius scholam repleverunt. Hic praecepit tametsi episcopus peccet, etiamsi ad mortem, eum non oportere loco suo moveri. Huius aetate inceperunt episcopi et presbyteri, et diaconi digami et trigami in ordines ascisci. Verum etiam si quis in ordine constitutus matrimonium ineat, manere talem hominem in ordine quasi non peccaverit; de hoc perhibens dictum esse, quod ab Apostolo dictum est: 'Tu quis es, qui iudices alienum servum'?

"Verum etiam parabolam de zizaniis ad hoc pertinere: 'Sinite zizania crescere cum tritico', hoc est in Ecclesia peccantes. Verum etiam arcam Noachi in similitudinem Ecclesiae dixit factam esse, in qua canes et lupi et corvi omniaque munda immundaque fuerint, sic dictitans in Ecclesia oportere esse consimiliter; et quaecumque ad hoc congerere poterat, in hunc modum interpretatus est. Cuius auditores delectati placitis permanent illudentes et sibimet ipsis et multis, quorum turbae ad scholam illam confluunt. Propterea et augentur superbientes turbis propter voluptates, quas non permisit Christus; quo contempto *nullum peccatum prohibent, dictitantes eum ignoscere volentibus.*

"Etenim et mulieribus permisit, ut, si innuptae essent flagrarentque amore aetate indigna, vel dignitatem suam perdere nollent legitimo matrimonio, haberent, unum, quemcumque elegerint, concubinum, sive servum sive liberum, eumque haberet pro marito non legitime nupta. Exinde mulieres, quae dicebantur fideles, medicamenta tentare coeperunt, quae steriles faciunt, fasciasque ad partus abigendos, propterea quod nolebant e servo infantem habere neque e viro tenuiore propter cognatos nimiamque rem familiarem. Videte, quoad impietatis processerit improbus ille *adulterium caedemque simul docendo;* et inter haec conamina impudentes illi catholicam Ecclesiam semet appellare

aggrediuntur, nunnullique rem bene geri arbitrantes iis astipulantur. Huius aetate primo baptismus iteratus ab iis tentatus est.

"Haec igitur mirificentissimus Callistus condidit, cuius schola permanet custodiens mores traditionemque, non discernens, quibuscum oporteat communicare, sed *omnibus sine discrimine communionem afferens:* a quo etiam cognominis traxerunt nuncupationem, ut propter antesignanum harum rerum Callistum appellarentur Callistiani" (Kirch, Enchir. hist. eccles., 231–233).

Quae sit ipsius *Hippolyti sententia* clare manifestatur ex sua *TRADITIONE APOSTOLICA* (1, 7), in qua, in oratione ad consecrationem episcopi, exoratur Deus ut det ei potestatem, quae data est Apostolis, remittendi peccata et solvendi omne vinculum iniquitatis.

Ab hac Traditione Apostolica, quae est probabiliter ipsum originale opus Hippolyti, derivantur *plura opera liturgica,*[36] exarata inter saec. 3 et saec. 5 ipsiqui attributa, ut *Constitutiones Ecclesiae Aegyptiacae* et *Canones Hippolyti,* quae vice sua sunt fontes *Constitutionum Apostolorum* (circa a. 400). Jamvero in his omnibus operibus constanter et fideliter transmittitur eadem supradicta sententia, quae sic exprimitur in *CONSTITUTIONIBUS APOSTOLORUM, 8, 5, 7:*

"Da illi, Domine omnipotens, per Christum tuum participationem sancti spiritus, ut habeat potestatem 'remittendi peccata' secundum mandatum tuum, dandi cleros iuxta praeceptum tuum, et 'solvendi omne vinculum' secundum potestatem, quam tribuisti apostolis" (Funk, 1, 477).

Ibid. 2, 11, 1 sq. et 12, 1: "Propterea igitur, o episcope, festina, ut mundus sis [ex] operibus, et agnosce[re] locum tuum, quoniam in omnipotentis virtute positus es, observans similitudinem Dei omnipotentis. Et ita in ecclesia sede verbum faciens *quasi potestatem habens judicare pro Deo* eos, qui peccaverunt, quoniam vobis episcopis dictum est per Evangelium: 'Quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum et in caelo'. *Iudica, episcope, cum potestate ut Deus,* sed paenitentes suscipe cum caritate sicut Deus [omnipotens], et increpa et roga et doce, quia Dominus Deus cum iuramento promisit peccatoribus se veniam daturum esse" (ibid., 46–48).

Aliud eiusdem generis opus, *DIDASCALIA APOSTOLORUM*[37] (scriptum graece saec. 3, probabiliter in Syria), 2, 18, 1 sq., similiter habet:

"Curam habeto episcopus . . . eorum, qui peccaverunt, ut poeni-

---

[36] Cf. *Dict. Théol. Cath.,* art. *Hippolyte,* col. 2502–2504.

[37] Juxta *Funk* (Didascalia et Constitutiones Apostolorum, v. 1, praefatio, Paderbornae, 1905), Didascalia Apostolorum sunt fons librorum I–VI Constitutionum Apostolorum.

tentiam agant, eisque *remissionem peccatorum dato*. . . Tu ergo, episcope, doce et corripe et solve per remissionem, et cognosce locum tuum quasi locum Dei omnipotentis, et quod *accepisti potestatem peccata remittendi;* nam vobis, episcopi, dictum est: 'Quodcumque ligaveritis. . .' " (Funk, 1, 64).

Ibid., 2, 41, 1 sq.: "Si quis postea conversus poenitentiae fructus ostenderit, tunc et ad orationem eum admitte sicut gentilem. Quemadmodum igitur gentilem baptizas ac postea recipis, ita et huic manum impones, omnibus pro eo precantibus, ac deinde eum introduces et participem facies ecclesiae, et erit ei loco Baptismi impositio manus; namque *aut per impositionem manus aut per baptismum accipiunt participationem spiritus sancti*" (ibid., 128–130).

CLEMENS ALEX. (circa a. 150–211), *Quis dives salvetur, 42,* commemorans conversionem et absolutionem scelestissimi latronis per Joannem evangelistam (cf. supra, p. 96), ostendit saltem quid fideles illius temporis putarent de potestate clavium eiusque extensione. Praeterea in *Strom. 2, 13,* suam facit doctrinam Hermae de poenitentia postbaptismali.

ORIGENES (circa a. 185–254) potestatem Ecclesiae remittendi omnia peccata diserte asserit, provocans ad verba promissionis (Matth. 16, 18 sq.) et institutionis (Joan. 20, 22 sq.) necnon ad ea quae in epist. ad Corinthios dicuntur de absolutione incestuosi. Quae vero dicit in De oratione, 28, 8–10, ubi prima fronte videtur negare extensionem illius potestatis ad tria peccata capitalia, apparentem tantum difficultatem pariunt.

In Psal. 37, hom. 2, 6: "Circumspice diligentius, *cui debeas confiteri peccatum tuum*. Proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante [cf. 2 Cor 11, 29], flere cum flente [cf. Rom 12, 15], qui condolendi et compatiendi noverit disciplinam: ut ita demum, si quid ille dixerit, qui se prius et eruditum medicum ostenderit et misericordem, si quid consilii dederit, facias et sequaris si intellexerit et praeviderit talem esse languorem tuum, qui in conventu totius Ecclesiae exponi debeat et curari, ex quo fortassis et ceteri aedificari poterunt et tu ipse facile sanari, multa hoc deliberatione et satis perito medici illius consilio procurandum est" (M.G. 12, 1386).

In Luc., hom. 17: "Si peccaverimus, debemus dicere: 'Peccatum meum notum feci tibi et iniquitatem meam non abscondi; dixi: annuntiabo iniustitiam meam contra me Domino' [Ps 32, 5]. Si enim hoc fecerimus et *revelaverimus peccata nostra, non solum Deo,*

sed et his qui possunt mederi vulneribus nostris atque peccatis, delebuntur peccata nostra ab eo qui ait: 'Ecce delebo ut nubem iniquitates tuas, et sicut caliginem peccata tua' [Is 44, 22]" (M.G. 13, 1846).

In Lev., hom. 2, 4, enumeratis sex modis obtinendi remissionem peccatorum, scilicet Baptismo, martyrio, eleemosyna, fraterna offensarum condonatione, reductione peccatoris ad viam rectam, amore charitatis erga Deum, addit: "Est adhuc et septima, licet dura et laboriosa, per paenitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lacrimis stratum suum, et fiunt ei lacrimae suae panes die ac nocte, et cum *non erubescit sacerdoti Domini indicare peccatum suum et quaerere medicinam,* secundum eum qui ait: 'Dixi: pronuntiabo adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei' [Ps 31, 5]. In quo impletur et illud, quod Iacobus apostolus dicit: 'Si quis autem infirmatur, vocet presbyteros ecclesiae, et imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini, et oratio fidei salvabit infirmum, et si in peccatis fuerit, remittentur ei' [Iac 5, 14]" (M.G. 12, 417).

Contra Celsum, 3, 51: "Ea est agendi ratio in eos, qui peccant et maxime qui libidini se dedunt, ut illos a suo coetu prohibeant [christiani] . . . Illi ut perditos et Deo mortuos lugent eos, *qui libidine aut quovis alio crimine deiecti sunt; et quasi e mortuis excitatos ducunt, si eam morum mutationem fecerint, cuius ratio haberi debeat;* tardius tamen admittuntur quam qui primo recipiuntur; et quia post professam religionem lapsi sunt, ab omni dignitate et praefectura in dicta ecclesia Dei arcentur" (C.B. 1, 247).

De oratione, 28, 8–10: "Habemus igitur omnes potestatem remittendi peccata in nos admissa, ut manifestum et ex his: 'Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris'. . . Sed *is in quem Iesus insufflavit,* quemadmodum in apostolos, quique a fructibus cognosci potest accepisse Spiritum Sanctum et factus esse spiritualis, eo quod Spiritu Dei, more Filii Dei, agatur ad ea onmia quae ratione gerenda sunt; *is dimittit quae dimitteret Deus et insanabilia peccata retinet,* ministrans, ut prophetae Deo ministrabant loquentes non sua, sed quae divinae erant voluntatis, sic et ipse soli dimittendi potestatem habenti Deo.

"Sic autem habent in Evangelio secundum Ioannem quae de remissione ab apostolis concedenda scripta sunt: 'Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt'. Quae si absque examine accipiantur,

accusandi videbuntur apostoli, quod non omnibus remittant, ut omnibus remittatur, sed quorumdam retineant peccata ita ut *propter eos etiam apud Deum retineantur*.

"Utile autem erit exemplum e lege desumere, ut intelligatur ea quae *per homines a Deo fit hominibus peccatorum remissio*. Prohibentur legis sacerdotes pro quibusdam delictis offerre sacrificium, ut iis pro quibus sacrificia offeruntur remittantur delicta. Nec umquam sacerdos qui involuntaria quaedam remittendi potestatem habet aut pro negligentiis offerendi, iam etiam pro adulterio aut voluntaria caede, aut quovis alio graviori scelere holocaustum offeret, aut piaculum. Sic itaque apostoli et qui similes apostolis sunt sacerdotes, iuxta magnum pontificem, disciplina divini cultus instructi et a Spiritu edocti, sciunt pro quibus peccatis, et quando et quomodo offerre sacrificium oporteat, et pro quibus non oporteat etiam norunt. Quamobrem sacerdos Heli cum peccantes nosset filios Ophni et Phinees, quasi non posset eis opem in remissionem peccatorum afferre, etiam id posse fieri se desperare fatetur his verbis: 'Si peccans peccaverit vir in virum, orabunt pro eo. Si autem in Dominum peccaverit, quis orabit pro eo?'

"Sunt nonnulli qui nescio quomodo sibi arrogant *ea quae sacerdotalem superant dignitatem*, forte etiam rudes sacerdotalis disciplinae, glorianturque quasi possint etiam *idololatriam condonare, adulteriaque et fornicationes remittere:* quasi, modo pro iis oraverint qui eiusmodi facinora perpetrarunt, solvendum sit etiam, *quod ad mortem est, peccatum*. Non enim illud legunt: 'Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis' " (Kirch, Enchir. hist. eccles., 243–246).

Quibusdam criticis, etiam inter doctores catholicos, *visum est Origenem in hoc ultimo textu negare extensionem potestatis ecclesiae ad peccata capitalia*, seu ad mortem (ex quibus explicite commemmorat impudicitiam, idololatriam et homicidium).

Attamen, non semel Origenes docet omnia prorsus peccata esse per Ecclesiam remissibilia (cf. In Exod. 6, 6; In Psal. 37, hom. 1, 1; In Ezech., hom. 3, 8; In Jerem., hom. 19, 9; C. Celsum, 3, 51 nuper cit.); in ipso textu citato De orat. explicite ait sacerdotem *"dimittere quae dimitteret Deus"*. Praeterea, non semel docet difficultatem remittendi peccata provenire non ex defectu potestatis Ecclesiae sed ex defectu dispositionis in ipso peccatore, ratione cuius exigitur maior satisfactio (In Joan., Tom. 2, 6; 28, 13; Ep. 4, ad Serap., 10; in Jerem., hom. 15, 5; C. Celsum, 3, 51 nuper cit.); in ipso textu citato explicite ait sacerdotem "dimittere quae dimitteret Deus et *insanabilia peccata* retinere" ac improbat arrogantiam eorum qui putant graviora peccata se absque examine et facili venia remittere posse, *"quasi, modo pro iis oraverint* qui eiusmodi facinora perpetrarunt, solvendum sit etiam,

quod ad mortem est, peccatum", addens hanc agendi rationem nequaquam ex verbis institutionis (Joan. 20, 23) probari posse, secus "accusandi videbuntur apostoli, quod non omnibus remittant . . . sed quorumdam retineant peccata".

Unde duplex restrictio ab Origene legitime apponitur: Ecclesia nempe non habet potestatem remittendi peccata insanabilia, quae scilicet, ob indispositionem subiecti, nec Deus remitteret; in gravioribus peccatis non leviter judicandum est de peccatoris dispositione, nec facile et sine congruenti satisfactione venia est concedenda.

CYPRIANUS (circa a. 200–258) praeclarissime doctrinam de potestate clavium asseruit in *controversia de remissione concedenda lapsis in persecutione Decii*, ex qua ulterius originem habuit *controversia cum Novatianismo*.

Sint quaedam testimonia de ipsa potestate Ecclesiae, remissis ad proprium locum iis quae directe referuntur ad eiusdem potestatis extensionem.

De lapsis, 16, increpans quosdam peccatores qui absque congrua discussione et satisfactione falsam veniam et pacem a quibusdam presbyteris extorquebant, ait: "Ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, ante *purgatam conscientiam sacrificio et manu sacerdotis*, ante offensam placatam indignantis Domini et minantis, vis infertur corpori ejus et sanguini, et plus modo in Dominum manibus atque ore delinquunt, quam cum Dominum negaverunt" (M.L. 4, 493).

Ibid., 28 sq. addit: "Quanto et fide majores et timore meliores sunt qui quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti, quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum *apud sacerdotes Dei dolenter et simpliciter confitentes*, exomologesin conscientiae faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet et modicis vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse: 'Deus non deridetur' (Galat., vi, 7). Derideri et circumveniri Deus non potest nec astutia aliqua fallente deludi. . . Confiteantur singuli, quaeso vos, fratres dilectissimi, delictum suum, dum adhuc qui deliquit in saeculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio et *remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est*. Convertamur ad Dominum mente tota; et poenitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei misericordiam deprecemur" (M.L. 4, 503 sq.).

Ex his intelligitur nequaquam Cyprianum reicere Ecclesiae potestatem (sed tantum arbitrariam rationem eorum qui facile veniam concedebant, ac si ex *propria* potestate possent *suam* indulgentiam concedere), cum ibid., 17, ait: "Nemo se fallat, nemo se decipiat. Solus Dominus misereri potest. Veniam peccatis quae in ipsum com-

missa sunt, solus potest ille largiri qui peccata nostra portavit, qui pro nobis doluit, quem Deus tradidit pro peccatis nostris. Homo Deo esse non potest major; *nec remittere aut donare indulgentia sua servus potest,* quod in Dominum delicto graviore commissum est, ne adhuc lapso et hoc accedat ad crimen si nesciat esse praedictum: 'Maledictus homo qui spem habet in homine' (Jerem., xvii, 5). Dominus orandus est, Dominus nostra satisfactione placandus est, qui negantem negare se dixit, qui omne judicium de Patre solus accepit" (M.L. 4, 494 sq.).

Eadem prorsus doctrina recurrit in *Epistolis Cypriani.* Confer *Epist. 9, 2* et *Epist. 10, 1 sq.,* ubi ait: "Sed nunc cum maximo animi dolore cognosco non tantum illic vobis non suggeri divina praecepta, sed adhuc potius impediri, ut ea quae a vobis ipsis et circa Deum caute et circa sacerdotem Dei honorifice fiunt, *a quibusdam presbyteris resolvantur,* qui nec timorem Dei nec episcopi honorem cogitantes . . . , ante actam poenitentiam, ante exomologesim, *gravissimi atque extremi delicti factam, ante manum ab episcopo et clero in poenitentiam impositam,* offerre pro illis et Eucharistiam dari, id est, sanctum Domini corpus profanare audeant, cum scriptum sit: 'Qui ederit panem aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini' (1 Cor., xi, 27). Et *lapsis quidem potest in hoc venia concedi.* Quis enim non mortuus vivificari properet? quis non ad salutem suam venire festinet? Sed praepositorum est praeceptum tenere, et vel properantes vel ignorantes instruere, ne qui ovium pastores esse debent lanii fiant" (M.L. 4, 260).

Epist. 52, 29 (Ad Antonianum): "Praecludere est atque abscindere iter doloris ac poenitendi viam, ut cum in Scripturis omnibus Dominus Deus revertentibus ad se et poenitentibus blandiatur, nostra duritia et crudelitate, dum fructus poenitentiae intercipitur, poenitentia ipsa tollatur. Quod si invenimus a poenitentia agenda neminem debere prohiberi, et deprecantibus atque exorantibus Domini misericordiam, secundum quod ille misericors et pius est, *per sacerdotes ejus pacem posse concedi,* admittendus est plangentium gemitus, et poenitentiae fructus dolentibus non negandus. Et quia apud inferos confessio non est, nec exomologesis illic fieri potest, qui ex toto corde poenituerint et rogaverint in Ecclesiam debent interius suscipi" (M.L. 3, 819).

Concessio pacis, de qua loquitur S. Doctor, non est mera reconciliatio in foro externo sed consistit in collatione gratiae et datione Spiritus S. Cf. ibid., 13, et *Epist. 54, 4,* ubi ait: "Quomodo potest ad confessionem paratus aut idoneus inveniri, qui non prius pace accepta receperit Spiritum Patris. . . ?" (M.L. 3, 885).

FIRMILIANUS († 269), *Inter Epp. Cypriani 75, 16,* contra Stephanum Papam scribens, ait: "Qualis vero error sit et quanti sit caecitas ejus qui remissionem peccatorum dicit apud synagogas haereticorum dari posse [per Baptismum nempe], nec permanet in fundamento unius Ecclesiae, quae semel a Christo supra petram solidata est, hinc intelligi potest quod soli Petro Christus dixerit: 'Quaecunque ligaveris super terram, erunt ligata et in caelis; et quaecunque solveris super terram, erunt soluta et in caelis' (Matth. xvi, 19); et iterum in Evangelio quando in solos apostolos insufflavit Christus dicens: 'Accipite Spiritum sanctum. Si cujus remiseritis peccata, remittentur illi; et si cujus tenueritis, tenebuntur' (Joan. xx, 22, 23). *Potestas ergo peccatorum remittendorum* [quomodolibet, sive per Baptismum sive per Poenitentiam] *Ecclesiis quas illi a Christo missi constituerunt, et episcopis qui eis ordinatione vicaria successerunt*" (M.L. 3, 1216 sq.).

Ibid., 4: "Qua ex causa necessario apud nos fit ut per singulos annos seniores et praepositi in unum conveniamus ad disponenda ea quae curae nostrae commissa sunt, ut, si qua graviora sunt, communi consilio dirigantur, lapsis quoque fratribus et post lavacrum salutare a diabolo vulneratis per poenitentiam medela quaeratur; *non quasi a nobis remissionem peccatorum consequantur, sed ut per nos* ad intelligentiam delictorum suorum convertantur et Domino plenius satisfacere cogantur" (M.L. 3, 1206).

Ex praecedenti textu intelligitur Firmilianum hic eam tantum Ecclesiae potestatem negare quae esset ipsi propria, seu non essentialiter instrumentalis et ministerialis.

DIONYSIUS ALEXANDRINUS episcopus († circa 265), Epist. ad Fabium episc. antioch. (ex Eusebio, Hist. eccles. 6, 42, 5 sq.), ostendit potestatem remittendi peccata proprie apud hierarchiam residere: "Hi divini martyres, qui nunc assessores sunt Christi et regni illius consortes ac iudicii participes una cum ipso iudicaturi, dum hic apud nos essent, quosdam e fratribus lapsos et idolis sacrificasse convictos susceperunt, et conversionem illorum ac paenitentiam cernentes, cum iudicassent eam placere posse illi qui peccatoris paenitentiam mavult quam mortem, eos admiserunt et collegerunt atque in coetum suum receperunt et in orationibus ac cibo cum iisdem communicaverunt. Quid ergo nobis, fratres, de his suadetis? Quid nos agere debemus? Utrum sententiae martyrum accedemus et rem ab illis iudicatam seu potius gratiam concessam tuebimur et cum iis, quos illi miseratione prosecuti sunt, benigne agemus? An contra iudicium illorum irritum faciemus nosque ipsi sententiae illorum discussores ac iudices constituemus, clementiam dolore afficiemus, ordinem constitutum evertemus?" (Kirch, Enchir. hist. eccles., 311).

Saec. 4 contra haeresim Novatianorum fusius et explicite doctrinam de potestate Ecclesiae eiusque extensione proponunt *Ambrosius* (circa

a. 340–397), praesertim in suo libro De Poenitentia, et *Pacianus* († circa 390) in epistola 1 ad Sympronianum novatianum et epistola 3 contra tractatus Novatianorum.

Ipsorum praecipua verba recitavimus supra (p. 47 sq. 77). Praeterea:

PACIANUS, Epist. 3 (contra tractatus Novatianorum) 7 sq.: "Sed poenitenti, inquies [tu, Novatiane], peccata dimittis, cum tantum in baptismate tibi liceat relaxare peccatum. Non mihi plane, sed *Deo soli,* qui et in baptizmate donat admissum, et poenitentium lacrymas non repellit. Caeterum quod ego facio, id *non meo jure, sed Domini. . .* Quare sive baptizamus, sive ad poenitentiam cogimus, seu veniam poenitentibus relaxamus; *Christo id auctore tractamus.* Tibi videndum est, an Christus hoc possit, an Christus hoc fecerit.

"Si poenitentibus remissio peccatorum dari potuit, ais, baptisma non fuit necessarium. Insulsissima comparatio! Baptismus enim, sacramentum est dominicae passionis: poenitentium venia, meritum confitentis. Illud omnes adipisci possunt, quia gratiae Dei donum est; id est, gratuita donatio; labor vero iste, paucorum est qui post casum resurgunt, qui post vulnera convalescunt, qui lacrymosis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu reviviscunt" (M.L. 13, 1068).

His ultimis verbis S. Doctor non negat quod immediate antea asserit, scilicet per Poenitentiam sicut per Baptismum Ecclesiam, potestate et nomine Christi, dimittere peccata, sed tantum inculcat differentiam huius dimissionis in utroque sacramento, juxta supradictam (p. 94) distinctionem Patrum inter simplicem et laboriosam dimissionem (ἄφεσιν et μετάνοιαν).

AMBROSIUS, De Poenit. 1, 8, 34–37: "Vult dominus *plurimum posse discipulos suos, vult a servulis suis ea fieri in nomine suo, quae faciebat ipse positus in terris* (Joan. xiv, 12). Denique ait: 'Et majora his facietis' (ibid.). Dedit ut mortuos suscitarent (Matth. x, 8). . . Omnia . . . donavit discipulis suis, de quibus ait: 'In nomine meo daemonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: supra aegros manus imponent, et bene habebunt' (Marc. xvi, 17, 18). Omnia ergo dedit, sed *nulla in his hominis potestas est,* ubi divini muneris gratia viget.

"Cur ergo manus imponitis, et benedictionis opus creditis, si quis forte revaluerit aegrotus? Cur praesumitis aliquos a colluvione diaboli per vos mundari posse? Cur baptizatis, si per hominem peccata dimitti non licet? In baptismo utique remissio peccatorum omnium est: *quid interest, utrum per poenitentiam, an per lavacrum hoc jus sibi datum sacerdotes vindicent? Unum in utroque mysterium est.* Sed dicis quia in lavacro operatur mysteriorum gratia. Quid in poenitentia? Nonne

Dei nomen operatur? Quid ergo? Ubi vultis, vindicatis vobis Dei gratiam: ubi vultis, repudiatis?" (M.L. 16, 497 sq.).

Saec. 4–5 ceteri Patres dogmatice eamdem doctrinam referunt, judicialem quoque indolem potestatis clavium signanter exhibentes.

APHRAATES († medio saec. 4), *Demonstrationes, 7, 3 sq.:* "Qui a Satana percussus fuit, non debet pudere *delictum suum confiteri* illudque relinquere et *paenitentiam in remedium postulare. . .* Vos igitur, medici, qui insignis medici nostri estis discipuli, non debetis medicinam iis denegare quibus curatione opus est. Quicumque vobis suum vulnus detexerit, ei remedium imponite poenitentiae; eum autem, qui infirmitatem suam manifestare erubuerit, ne hanc a vobis abscondat adhortamini; cumque ipsam vobis revelaverit, nolite eam publicare, ne propter illum ab inimicis et ab iis qui nos oderunt innocentes in culpa esse iudicentur" (Patrologia Syriaca, Graffin-Nau, 1, 318).

Ibid., 7, 11: "Audite et vos, qui claves portarum coeli tenetis, et fores aperite poenitentibus" (ibid., 329).

EPHREM (circa 306–373), *Adv. haereses sermo 2,* impugnans Manichaeos qui potestatem clavium usurpabant facilemque peccatorum veniam concedebant, inquit: "Potestatem enim fecit discipulis suis ut una vice tantum per aquam peccata purificarent humanae naturae; atque concessit ut solverent et ligarent, ut, qui ligatus est, petat coram illo, qui omnia condonat; qui enim omnia ignoscit, cum dolore nostro nobis ignoscit. Iustum est enim illum exagitari, qui delectando peccaverit" (Apud Roüet De Journel, Enchir. Patrist., 727).

Ex his verbis *H. Ch. Lea*[38] parum critice concludit S. Doctorem putare Ecclesiam non habere potestatem clavium, sed eam a Manichaeis invectam esse. Paulo enim ante ipsum Ephrem, in eadem ecclesia syriaca, Aphraates eam potestatem diserte affirmavit; ceterum, in verbis citatis, Ephrem manifeste distinguit inter facultatem baptizandi et facultatem solvendi atque ligandi; quod autem dicat semel hominem purificari per aquam verum est, tum quia Baptismus est initerabilis tum quia, juxta modum loquendi Patrum (cf. supra, p. 94), in solo Baptismo fit simplex ac gratuita remissio, purificatio et renovatio (ἄφεσις), dum in Poenitentia fit laboriosa remissio et curatio (μετάνοια).

HILARIUS (circa a. 315–366), *In Matth., cap. 18, n. 8:* "Ad terrorem autem metus maximi, quo in praesens omnes continerentur, immobile severitatis apostolicae *judicium* praemisit: ut quos in terris ligaverint id est, peccatorum nodis innexos reliquerint, et quos solverint, confessione videlicet veniae receperint in salutem (Matth., xviii, 18); hi

[38] In opere A History of Auricular Confession . . . , Philadelphia, 1896, v. 1, p. 114.

apostolicae conditione *sententiae* in coelis quoque aut soluti sint aut ligati" (M.L. 9, 1021).

CHRYSOSTOMUS (a. 344–407), *De sacerdotio, 3, 5 sq.*: "Qui terram incolunt in eam commorantur, ad ea quae in caelis sunt dispensanda commissi sunt, *potestatemque acceperunt*, quam neque angelis neque archangelis dedit Deus. Neque enim illis dictum est: 'Quaecumque ligaveritis in terra, erunt ligata et in caelo; et quaecumque solveritis in terra, erunt soluta et in caelo' (Matth. 18. 18). Habent quidem *ii, qui in terra imperant*, potestatem ligandi, verum corpora solum: *hoc autem vinculum ipsam attingit animam*, caelosque transcendit; servorumque *sententiam* ipse Dominus ratam facit. Quid enim aliud illis dedit, quam omnem caelestium potestatem? nam 'Quorum', inquit, 'remiseritis peccata, remittuntur; et quorum retinueritis, retenta sunt' (Joan. 20, 23). Quae major hac potestas fuerit? 'Omne *judicium* dedit Pater Filio' (Joan. 5, 22): videoque *ipsum omne ipsis traditum a Filio esse*. . .

"Corporis lepram purgare, imo potius nullatenus purgare, sed purgatos probare tantum, *Judaeorum sacerdotibus* licebat (Lev. 14): et tamen nosti quanta tunc esset pro sacerdotali dignitate concertatio. Hi vero non lepram corporis, sed immunditiam animae, *non purgatam probandi, sed prorsus purgandi potestatem acceperunt*. . . Neque enim in puniendo solum, sed etiam in benefaciendo *majorem sacerdotibus quam parentibus potestatem* dedit Deus: tantaque est inter utrosque differentia, quanta inter praesentem et futuram vitam. Nam illi quidem in hanc vitam, hi in futuram gignunt: atque illi ne corporalem quidem interitum a liberis amoliri possunt, non ingruentem morbum depellere; hi vero aegram et mox interituram animam saepe servarunt. . . Neque enim tantum cum nos regenerant, sed *etiam post regenerationem admissa peccata condonare possunt*. Nam 'Infirmatur', inquit, 'quis in vobis? advocet presbyteros Ecclesiae, et orent super eo, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum: et excitabit eum Dominus: et si peccata fecerit, remittentur ei' (Jac. 5, 14. 15)" (M.G. 48, 643 sq.).

In illud "Vidi Dominum" (*Isai. 6, 1*), *Hom. 5*: "Sacerdotii solium in caelis collocatum est, et caelestia administrandi habet auctoritatem. Quis haec dicit? Ipse caelorum Rex. 'Quaecumque enim ligaveritis. . .' Quid cum hoc honore conferri potest? *A terra judicandi principalem auctoritatem sumit caelum. Nam judex sedet in terra*, Dominus servum sequitur, et quidquid hic in inferioribus judicavit, hoc ille in supernis comprobat. Itaque medius stat sacerdos inter Deum et naturam humanam" (M.G. 56, 131).

HIERONYMUS (circa a. 342–419), *Epist. 14, 8*: "Absit ut de his [clericis] quidquam sinistrum loquar, quia Apostolico gradui succedentes, Christi Corpus sacro ore conficiunt; per quos et nos Christiani sumus. Qui claves regni coelorum habentes, quodam modo ante judicii diem *judicant*: qui sponsam Domini sobria castitate conservant" (M.L. 22, 352).

Idem, In Matth., l. 3, c. 16, v. 19: " 'Et dabo tibi claves regni coelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum in coelis; et quodcunque solveris super terram, erit solutum in coelis.' Istum locum episcopi et presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisaeorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur: cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quaeratur. Legimus in Levitico de leprosis, ubi jubentur ut ostendant se sacerdotibus, et si lepram habuerint, tunc a sacerdote immundi fiant (Levit. xiv, 2–4): non quo sacerdotes leprosos faciant et immundos, sed quo habeant notitiam leprosi, et non leprosi, et possint discernere qui mundus, qui immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos mundum vel immundum facit: sic et hic alligat, vel solvit episcopus et presbyter, non eos qui insontes sunt, vel noxii: sed *pro officio suo*, cum peccatorum audierit varietates, scit *qui ligandus sit, quive solvendus*" (M.L. 26, 122).

Idem, Dial. contra Lucif. 5: "*Sacerdos . . . imponit manum subjecto, reditum sancti Spiritus invocat*, atque ita eum, qui traditus fuerat Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret, indicta in populum oratione, *altario reconciliat*, nec prius unum membrum restituit sanitati, quam omnia simul membra confleverint" (M.L. 23, 167).

AUGUSTINUS (a. 354–430), *De Symbolo* (*Sermo ad Catech.*), *1, 7, 15 et 8, 16*: "Propter omnia peccata Baptismus inventus est; propter levia, sine quibus esse non possumus, oratio inventa. Quid habet oratio? 'Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris' (Matth. vi, 12). Semel abluimur Baptismate, quotidie abluimur oratione. Sed nolite illa committere, pro quibus necesse est ut a Christi corpore separemini: quod absit a vobis. Illic enim *quos videtis agere poenitentiam*, scelera commiserunt, aut adulteria, aut aliqua facta immania: inde agunt poenitentiam. Nam si levia peccata ipsorum essent, ad haec quotidiana oratio delenda sufficeret. . . Ergo tribus modis dimittuntur peccata in Ecclesia; in Baptismate, in oratione, in humilitate majore poenitentiae" (M.L. 40, 636).

De civ. Dei, 20, 9, 2: "[Joannes] recapitulando quid in istis mille annis agat Ecclesia vel agatur in ea, 'Et vidi', inquit, 'sedes et sedentes super eas, et judicium datum est'. Non hoc putandum est de ultimo judicio dici: sed sedes praepositorum, et ipsi praepositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur. *Judicium autem datum*

nullum melius accipiendum videtur, quam id quod dictum est, 'Quae ligaveritis in terra, ligata erunt et in coelo; et quae solveritis in terra, soluta erunt et in coelo' (Matth. xviii, 18). Unde Apostolus, 'Quid enim mihi est', inquit, 'de his qui foris sunt judicare? nonne de his qui intus sunt vos judicatis' (I Cor. v, 12)?" (M.L. 41, 673).

De agone christiano, 31, 33: "Nec eos audiamus, qui negant Ecclesiam Dei *omnia peccata posse dimittere*. Itaque miseri, dum in Petro petram non intelligunt, et nolunt credere *datas Ecclesiae claves* regni coelorum, ipsi eas de manibus amiserunt" (M.L. 40, 308).

Enchiridion, 64 sq.: "Post commemorationem sanctae Ecclesiae in ordine Confessionis ponitur remissio peccatorum. Per hanc enim stat Ecclesia quae in terris est: per hanc non perit quod perierat et inventum est (Luc. xv, 24). Excepto quippe Baptismatis munere . . . hac . . . excepta magna indulgentia, unde incipit hominis renovatio, in qua solvitur omnis reatus et ingeneratus et additus; ipsa etiam vita caetera jam ratione utentis aetatis, quantalibet praepolleat fecunditate justitiae, sine peccatorum remissione [i.e. sine Poenitentia] non agitur. . . Sed neque de ipsis criminibus quamlibet magnis remittendis in sancta Ecclesia, Dei misericordia desperanda est agentibus poenitentiam secundum modum sui cujusque peccati. In actione autem poenitentiae, ubi tale commissum est, ut is qui commisit a Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis quam doloris. Cor enim contritum et humiliatum Deus non spernit (Psal. L, 19). Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel quaecumque alia signa procedit; cum sit coram illo cui dicitur, 'Gemitus meus a te non est absconditus' (Psal. xxxvii, 10): recte constituuntur *ab iis qui Ecclesiis praesunt tempora poenitentiae, ut fiat satis etiam Ecclesiae, in qua remittuntur ipsa peccata; extra eam quippe non remittuntur.* Ipsa namque proprie Spiritum sanctum pignus accepit (II Cor. i, 22), sine quo non remittuntur ulla peccata, ita ut quibus remittuntur, consequantur vitam aeternam" (M.L. 40, 262 sq.).

Serm. 295, 2 sq.: "Petrus, totius Ecclesiae meruit gestare personam. Propter ipsam personam, quam totius Ecclesiae solus gestabat, audire meruit, 'Tibi dabo claves regni caelorum' (Matth. xvi, 19). Has enim claves non homo unus, sed *unitas accepit Ecclesiae*. Hinc ergo Petri excellentia praedicatur, quia ipsius universitatis et unitatis Ecclesiae figuram gessit, quando ei dictum est, 'Tibi trado', quod *omnibus traditum est*. Nam ut noveritis Ecclesiam accepisse claves regni coelorum, audite in alio loco quid Dominus dicat omnibus Apostolis suis. 'Accipite Spiritum sanctum'. Et continuo: 'Si cui dimiseritis peccata, dimittentur

ei; si cujus tenueritis, tenebuntur' (Joan. xx, 22, 23). Hoc ad claves pertinet, de quibus dictum est, 'Quae solveritis in terra, soluta erunt et in coelo; et quae ligaveritis in terra, ligata erunt et in coelo'. Sed hoc Petro dixit. Ut scias quia Petrus universae Ecclesiae personam tunc gerebat, audi quid ipsi dicatur, quid omnibus fidelibus sanctis: 'Si peccaverit in te frater tuus. . .' (Matth. xviii, 15–18). Columba ligat, columba solvit; aedificium supra petram ligat et solvit.

"Timeant ligati, timeant soluti. Qui soluti sunt, timeant ne ligentur: qui ligati sunt, orent ut solvantur . . . et praeter hanc Ecclesiam nihil solvitur. Quatriduano mortuo dicitur, 'Lazare, prodi foras'. Et prodiit de monumento institis ligatus manibus et pedibus. Excitat Dominus, ut mortuus de monumento prodeat; si cor tangit, ut peccati confessio foras exeat. Sed parum adhuc ligatus est. Dominus ergo, postquam exiit Lazarus de monumento, ad discipulos suos, quibus dixerat, 'Quaecumque solveritis in terra, soluta erunt et in coelo: Solvite', inquit, 'eum, et sinite abire' (Joan. xi, 43, 44). *Per se excitavit, per discipulos solvit*"[39] (M.L. 38, 1349 sq.).

Serm. 351, 4, 9[40]*:* "Quisquis ergo post Baptismum aliquorum pristinorum malorum opere obligatus tenetur, usque adeone sibi inimicus est, ut adhuc dubitet vitam mutare, cum tempus est, cum ita peccat et vivit? . . . Implicatus igitur tam mortiferorum vinculis peccatorum detrectat, aut differt, aut dubitat confugere *ad ipsas claves Ecclesiae*, quibus solvatur in terra, ut sit solutus in coelo; et audet sibi post hanc vitam, quia tantum christianus dicitur, salutem aliquam polliceri. . . Judicet ergo se ipsum homo in istis voluntate, dum potest, et mores convertat in melius. . . *Veniat ad antistites, per quos illi in Ecclesia claves ministrantur:* et tanquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a *praepositis Sacramentorum* accipiat satisfactionis suae modum; ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus et supplex, id tamen agat quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam caeteris ad exemplum. Ut si peccatum ejus, non solum in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiae *videtur antistiti*, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere poenitentiam non recuset, non resistat, non lethali et mortiferae plagae per pudorem addat tumorem" (M.L. 39, 1545).

Serm. 352, 2, 7; 3, 8 sq.: "Triplicem quippe [Poenitentiam] . . . in

---

[39] De hac comparatione cum Lazari resurrectione confer locos memoratos in p. 13, nota.

[40] Quidam critici recentiores, ut *Portalié* (in Dict. Théol. Cath., art. Augustin, col. 2310), putant hunc sermonem esse apocryphum, utpote alienum a stylo S. Doctoris. Attamen in eo doctrinam saltem ipsius Augustini referri, extra controversiam est. Cf. *K. Adam*, Die kirchl. Sündenvergebung nach dem heil. Augustin, p. 7–9, et *Batiffol*, Études d'histoire et de théologie positive, Paris, 1926, p. 337–362.

sancta Scriptura esse proposui. . . Prima competentium est et ad Baptismum venire sitientium. . . Est alia quippe quotidiana. Et ubi illam ostendimus poenitentiam quotidianam? Non habeo ubi melius ostendam, quam in oratione quotidiana, ubi Dominus orare nos docuit, quid ad Patrem dicamus ostendit, et in his verbis posuit: 'Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris' (Matth. vi, 12). . .

"Restat poenitentiae tertium genus. . . Est poenitentia gravior atque luctuosior, in qua proprie vocantur *in Ecclesia poenitentes,* remoti etiam a Sacramento altaris participandi, ne accipiendo indigne, judicium sibi manducent et bibant. Illa ergo poenitentia luctuosa est. Grave vulnus est: *adulterium* forte commissum est, forte *homicidium,* forte aliquod *sacrilegium;* gravis res, grave vulnus, lethale, mortiferum: sed omnipotens medicus. . . Quid Dominus Ecclesiae suae? 'Quae solveritis', inquit, 'in terra, soluta erunt et in coelo' (Matth. xviii, 18). Proinde Lazaro procedente, quia implevit Dominus misericordiae suae bonum, perducere ad confessionem mortuum latentem, putentem; jam *caetera implet Ecclesiae ministerium:* 'Solvite illum, et sinite abire' (Joan. xi, 39–44). . . Solent inde Christianis Pagani insultare de *poenitentia quae instituta est in Ecclesia:* et contra nonnullas haereses tenuit Ecclesia catholica istam veritatem de poenitentia agenda. Fuerunt enim qui dicerent, quibusdam peccatis non esse dandam poenitentiam; et exclusi sunt de Ecclesia, et haeretici facti sunt. *In quibuscumque peccatis non perdit viscera pia mater Ecclesia*" (M.L. 39, 1556–1559).

De doctrina christ. 1, 18, 17, supra cit., in p. 77.

De baptismo, 3, 18, 23, supra cit., in p. 85.

CYRILLUS ALEX. († 444), *In Joan. (20, 23), 12, 1,* supra cit., in p. 85.

INNOCENTIUS I (a. 401–417), *Epist. 25, 7, 10,* ad Decentium episc. Eugubinum: "De paenitentibus autem, qui sive ex gravioribus commissis sive ex levioribus paenitentiam gerunt, si nulla interveniat aegritudo, quinta feria ante Pascha eis remittendum Romanae Ecclesiae consuetudo demonstrat. Ceterum de pondere aestimando delictorum *sacerdotis est iudicare,* ut attendat ad confessionem paenitentis et ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tum iubere dimitti, cum viderit congruam satisfactionem suam. Vel si quis aegritudinem incurrerit atque usque desperationem devenerit, ei est ante tempus Paschae relaxandum, ne de saeculo absque communione discedat" (Kirch, Enchir. hist. eccles., 727).

LEO M. (a. 440–461), *Epist. "Sollicitudinis",* supra cit., in p. 61 sq.

GELASIUS I (a. 492–496), *Tom. "Ne forte",* supra cit., in p. 62.

GREGORIUS M. (a. 540–604), *Hom. in Evang., l. 2, hom. 26, 4–6,* aptissime praecedentium Patrum *traditionem resumit,* inquiens: "'Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt'. Libet intueri illi discipuli, ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriae sint perducti. Ecce non solum de semetipsis securi fiunt, sed etiam alienae obligationis *potestatem relaxationis accipiunt; principatumque superni judicii sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent.* Sic eos a Deo decebat erigi, qui tantum pro Deo consenserant humiliari. Ecce qui districtum Dei judicium metuunt *animarum judices fiunt;* et alios damnant, vel liberant, qui semetipsos damnari metuebant.

"Horum profecto *nunc in Ecclesia episcopi locum tenent.* Ligandi atque solvendi auctoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur. Grandis honor, sed grave pondus istius est honoris. Durum quippe est ut qui nescit tenere moderamina vitae suae *judex vitae fiat alienae.* Et plerumque contingit ut hic judicii locum teneat, cui ad locum vita minime concordat. Ac saepe agitur, ut vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus solvat. . .

"*Causae ergo pensandae sunt,* et tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda. Videndum est quae culpa praecessit, aut quae sit poenitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, *illos pastoris sententia absolvat.* Tunc enim vera est absolutio praesidentis, cum interni arbitrium sequitur judicis. Quod bene quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quae videlicet demonstrat quia prius mortuum Dominus vocavit et vivificavit, dicens: 'Lazare, veni foras' (Joan. xi, 43); et postmodum is qui vivens egressus fuerat a discipulis est solutus. . . Ecce illum discipuli jam viventem solvunt, quem magister resuscitaverat mortuum. Si enim discipuli Lazarum mortuum solverent, fetorem magis ostenderent quam virtutem. Ex qua consideratione intuendum est quod illos nos debemus per pastoralem auctoritatem solvere quos auctorem nostrum cognoscimus per suscitantem gratiam vivificare. Quae nimirum vivificatio ante operationem rectitudinis in ipsa jam cognoscitur confessione peccati" (M.L. 76, 1199 sq.).

SECUNDO. *DUO PRAECIPUA CAPITA, EX QUIBUS SIGNANTER MANIFESTATUR MENS PATRUM DE EXISTENTIA POTESTATIS PECCATORUM REMISSIVAE APUD HIERARCHIAM, SUNT COMPARATIO AB EIS INSTITUTA INTER BAPTISMUM ET POENITENTIAM ET TRIPLEX CONTROVERSIA MONTANISTARUM, LAPSORUM ET NOVATIANORUM.*

Comparatio inter Baptismum et Poenitentiam saepius recurrit apud *Patres supra citatos* tum quoad utriusque sacramenti effectum, tum quoad potestatem Ecclesiae (diversi aliunde generis) quae in utroque exercetur; asseritur nempe in utroque veram peccatorum remissionem obtineri et quidem per hierachiam eccelsiasticam.

Comparatio quoad effectum.

Patres passim aiunt in Baptismo fieri remissionem simpliciter dictam (ἄφεσιν), in Poenitentia vero laboriosam (μετάνοιαν); juxta Augustinum proprius dicendum est in solo Baptismo fieri renovationem, in Poenitentia vero curationem.

Hermas loquitur de poenitentia postbaptismali; asserit per Poenitentiam renovari sigillum Baptismi, fractum per peccatum.

Clemens Alex. eam vocat secundam poenitentiam.

Irenaeus ait Deum vitam dare quibusdam ab initio, quibusdam per poenitentiam.

Tertullianus eam vocat iteratam valetudinem, restitutionem eius quod acceptum est in Baptismo, secundam spem, secundam poenitentiam, iteratum beneficium, secundam tabulam salutis, secunda subsidia.

Didascalia Apostolorum dicunt impositionem manuum esse poenitenti loco Baptismi.

Origenes distinguit inter remissionem peccatorum per B. et per P.

Pacianus ait quod post Baptismum licet poenitere ac peccatum donari potest, et baptizatis sicut non baptizatis crimina solvi licet.

Ambrosius docet sicut in B. ita in P. unum et idem mysterium remissionis peccatorum esse.

Ephrem ait per B. semel animam a peccatis purificari, per P. vero solvi vel ligari.

Chrysostomus vult non solum in regeneratione baptismali, sed etiam postea, peccata per Poenitentiam remitti.

Hieronymus ait quod per B. christiani sunt, per P. vero judicantur et casti conservantur.

Augustinus docet tribus modis peccata dimitti, per B., orationem et P.; excepto B., nonnisi per P. peccata dimitti; peccantem post Baptismum ad claves Ecclesiae confugere debere.

Cyrillus Alex. ait duobus modis peccata remitti, per B. et P.

Leo M. ait non solum per B., sed etiam per P., gratiam et remissionem peccatorum conferri.

Comparatio quoad potestatem Ecclesiae.

Pacianus ait quod Ecclesia donare potest peccatum post Baptismum, sicut antea donavit per Baptismum; potestas episcoporum refertur tum ad catechumenos baptizandos, tum ad baptizatos absolvendos; si, juxta

Novatianos, solis Apostolis tribuenda esset potestas solvendi, ipsis etiam solis deberet tribui potestas baptizandi.

Ambrosius contra Novatianos ait quod si conceditur sacerdotibus jus baptizandi, debet etiam eis concedi jus absolvendi, cum "unum in utroque mysterium sit", scilicet facultas remittendi peccata.

Ephrem docet Christum dedisse discipulis potestatem peccata purificandi per B., solvendi per P.

Chrysostomus ait Deum sacerdotibus majorem quam parentibus dedisse potestatem, quia non solum nos generant per B., sed etiam a peccatis nos sanant per P.

Hieronymus docet per sacerdotes christianos prius fieri, subinde judicari et castos asservari.

Augustinus docet in Symbolo post mentionem Ecclesiae fieri mentionem remissionis peccatorum quia per hanc remissionem, quae fit in B. et P., Ecclesia stat; peccatorum post Baptismum ad claves Ecclesiae confugere debere.

Cyrillus Alex. ait duobus modis sacerdotes peccata remittere, seu per B. et P.

Quidam Patres (supra cit., in p. 81 et 84 sq.) ambas Ecclesiae potestates tam intime coniungunt ut ad modum unius de eis loquantur easque veluti confundere videantur, ex iisdem textibus Matthaei et Joannis eas indiscriminatim deducentes, eo quod, ut belle ait Ambrosius, "unum in utraque mysterium sit".

Triplicis controversiae Montanistarum, Lapsorum et Novatianorum, hoc praecipuum fuit obiectum: an hierarchia possit remittere peccata in foro interno, ac praesertim graviora delicta, quae uti peccata simpliciter dicta considerabantur.

Id vehementer negabant Tertullianus et Novatiani idque catholicos ipsi docere dicebant; propterea isti haeretici, evidentia verborum Scripturae coacti, talem potestatem concedebant solis viris spiritualibus, tanquam particulare charisma, de genere illius quod confertur ad miracula patranda. Res quoque manifesta fit ex ipso principio ab haereticis invocato, quod nempe proprium Dei sit remittere peccata, cui respondebant catholici nihil obstare quominus id fiat per homines, jure et nomine Dei, nec aliter idipsum fieri in Baptismo, adeoque facultatem baptizandi et absolvendi vel utramque reiciendam vel utramque admittendam esse.

Frustra ab adversariis obiciuntur quidam Patrum textus, in quibus remissio peccatorum adscribitur vel operi operantis poenitentis seu bonis dispositionibus peccatoris (*Firmilianus*, Epist. 75, 4; *Pacianus*, Epist, 3, 7 sq.; *Hieronymus*, In Matth., 3, 16, 19), vel soli Deo, et ita quidem ut dicatur jus peccata remittendi non posse ab hominibus

usurpari (*Origenes*, De orat. 28, 8, 10; *Cyprianus*, De lapsis, 28 sq.; *Firmilianus*, Epist. 75, 4; *Pacianus*, Epist. 3, 7; *Ambrosius*, De Poenit. 1, 8, 35; *Hieronymus*, In Matth., 3, 16, 19; *Augustinus*, Serm. 295, 3; Serm. 352, 3; *Cyrillus Alex.*, In Joan., 12, 1; *Gregorius M.*, Hom. 26 in evang., 2, 6).

Respondetur enim eosdem Patres, et quidem generaliter in iisdem textibus obiectis, explicite affirmare Ecclesiae potestatem in peccatorum remissionem.

Sensus igitur obiectarum expressionum est: frustraneum esse exercitium huius potestatis ubi non adsint ex parte peccatoris sufficientes dispositiones, et quidem laboriosiores quam in Baptismo, nec eam potestatem leviter et arbitrarie exercendam esse absque convenienti examine istarum dispositionum aut intelligendam esse aliter quam secundariam et ministerialem. Haec ceterum constant ex contextu ipsorum textuum obiectorum, ut supra observavimus quoad Origenem, Cyprianum, Firmilianum et Pacianum.

Comparatio autem, ab Augustino et Gregorio proposita, inter absolutionem sacerdotum et solutionem ligaminum per discipulos in *resurrectione Lazari*, non significat, ut quidam falso interpretantur, solum Deum remittere peccatum et conferre vitam gratiae, ita nempe ut sacerdotes talem effectum tantummodo declarent vel a sola poena absolvant, sed Deum peccatorem prius directe excitare ad bonas dispositiones concipiendas ac subinde per sacerdotes ei remissionem seu solutionem vinculorum peccati conferre, ut ipse Augustinus explicite fatetur, inquiens: "Per se excitavit, per discipulos solvit" (Serm. 295, 3). Ceterum, de hac re erit iterum sermo infra, in quaestione de effectu hujus sacramenti.

TERTIO. *RATIONES, IN QUIBUS LIBERALES SUAM THEORIAM FUNDARE CONANTUR, FUTILES APPARENT.*

Ut patet ex brevi expositione eorum doctrinae, relata in Parte Neg. (p. 53 sqq.), adversarii tria asserunt:

Primo, Ecclesia in sua origine non fuit hierarchica sed pneumatica; praeterea, solis sanctis constitit, ita ut peccati existentia eiusque remissio nondum consideraretur; item si haec remissio aliquando fuerit atque in hoc sensu intelligantur quaedam documenta saeculo tertio anteriora, certe non ipsi hierarchiae sed solis pneumaticis tributa est.

Secundo, evoluta constitutione hierarchiae, huic agnita est potestas clavium, sed in solo foro externo.

Tertio, haec potestas multo serius evoluta est in jus in foro interno.

Jamvero *secundum et tertium* manifeste falsa apparent ex testimo-

niis Patrum supracitatis; omnia enim inde a Didache agunt de poenitentia et remissione peccatorum in foro interno, nec ullum signum habetur assertae evolutionis ex remissione in foro externo in remissionem in foro interno. *Primum* vero, in quo maxime confidere videntur adversarii, nonnisi fucatum habet fundamentum. Etenim:

In primitiva ecclesia, et quidem apostolica, fuisse *hierarchiam* probatur in tractatu De Ecclesia et manifeste apparet ex ipsis paucis documentis supra relatis tam ex S. Paulo (p. 86–90) quam ex Traditione primi et secundi saeculi (p. 91 sqq.).

Ceterum, nullatenus negatur charismata in aetate apostolica abundasse (cf. 1 Cor. 12 et 14) atque charismaticos seu pneumaticos magnum influxum exercuisse, ita ut ipsi non semel hierarchas eligendos designaverint (cf. 1 Tim. 1, 18; 4, 14; Act. 13, 1–5) et communius ad hierarchica officia eligerentur (cf. Act. 13, 1–5); unde ecclesia charismatica nequaquam hierarchicam excludit sed e converso ad hanc perficiendam ordinatur.

In primitiva ecclesia, et quidem apostolica, non obstante majori vitae puritate et minori poenitentiae necessitate, *existentiam et remissionem peccatorum* in ipsis baptizatis directe consideratam esse, manifeste patet ex his quae in Scriptura dicuntur de Anania et Sapphira (Act. 5, 1 sqq.), Simone Mago (ibid. 8, 20–23), incestuoso Corinthio (1 Cor. 5, 1–13), Diotrephe (3 Joan. 9 sq.), angelis ecclesiarum (Apoc. 2, 1 sqq.), Nicolaitis (Apoc. 2, 6. 15), muliere Jezabel (Apoc. 2, 20 sqq.), variis peccatoribus (Gal. 6, 1; 2 Thess. 3, 6. 15; Jac. 5, 15 sq. 19 sq.; 2 Joan. 10 sq.; Judae, 4. 8. 10. 12. 13. 16. 18. 19. 22). Mens prioris Ecclesiae manifestatur in exhortatione *Jacobi* (*Ep. 5, 16*): "Confitemini ergo alterutrum peccata vestra", quae repetitur a *Didache, 4, 14:* "In ecclesia confiteberis peccata tua", et extenditur per totum librum Pastoris *Hermae*.

Documenta saeculo tertio anteriora, inde ab epistolis Apostolorum (praecipue Pauli ad Corinthios) usque ad Irenaeum, sufficienter innuunt remissionem peccatorum non reservari pneumaticis sed fieri a praepositis Ecclesiae, ut supra ostendimus, percurrentes singulos textus.

Adversarii autem in contrarium adducunt quaedam documenta ecclesiae posterioris, quae dicunt esse *vestigia antiquae praxis* et indicia mentis primitivae ecclesiae de reservata pneumaticis potestate remittendi peccata. Scilicet:

a. *Non soli praepositi sed tota ecclesia cum eis censetur, juxta Patres, judicare de peccatis absolvendis vel retinendis.* Ita *Tertullianus* (De Poen. 9 et 10), *Cyprianus* (Epist. 11, 1, ad plebem; Epist. 13, 2, ad clerum; Epist. 55, 15, ad Cornelium), *Ambrosius* (De Poenit.

1, 15, 80), *Pacianus* (Epist. 3, 12), *Augustinus* (Serm. 296, 11 sq.; In Joan., tract. 58, 5).

Respondetur.

Ut patet ex ipsa doctrina horum Patrum, partes quae toti Ecclesiae tribuuntur in absolutione lapsorum, nequaquam referuntur ad ipsam potestatem absolvendi, quae solis praepositis adscribitur, sed tum ad orationes quibus poenitens apud Deum a fratribus adiuvatur, tum ad consensum populi quo praepositi Ecclesiae veluti confortantur et invitantur ad absolutionem impertiendam; qua omnium fidelium participatione ad peccatoris reconciliationem sollicite fovebatur et apte exprimebatur illud corporis mystici mysterium, ratione cuius in uno membro cetera quoque persequuntur, patiuntur, infirmantur, restaurantur.

b. *Martyribus agnoscebatur facultas peccatores Ecclesiae reconciliandi* eisque libellum pacis concedendi, ut patet ex *Eusebio* (Hist. eccles. 5, 1 sq.) de martyribus lugdunensibus (saec. 2), qui dicuntur "cunctos absolvisse, neminem ligasse"; ex *Tertulliano* qui catholicus ait, Ad Martyres, 2: "Pacem quidam . . . a martyribus . . . exorare consueverunt", montanista vero sic incusat Ecclesiam catholicam, De Pudic. 22: "In martyras tuos effundis hanc potestatem", "Martyr absolvat . . . delicta concedat"; ex *Cypriano*, in cuius epistolis circa quaestionem de lapsis et libellaticis (cf. Epist. 9–24; 27; 30; juxta ed. Migne) martyres dicuntur "pacem dare", "pacem dimittere", "peccatum remittere" et "mandare pacem dari et peccata dimitti" (Epist. 16; 21, 2; 20, 3; 22, 3, M.L. 4, 276. 277. 284. 293); ex *Dionysio Alexandrino* (Epist. ad Fabium, supra cit., in p. 115) qui ait martyres alexandrinos tulisse sententiam de lapsis eisque gratiam reconciliationis concessisse.

Respondetur.

Ex contextu ipsorum locorum qui obiciuntur, patet praedictam praxim martyrum non importasse usum potestatis remittendi peccata (nec a fortiori exclusisse huiusmodi jus apud hierarchas), sed tantum rationem intercessionis et commendationis ut lapsis facilius venia a praepositis concederetur.

Apud *martyres lugdunenses* tantummodo commendatur benignitas et charitas quam ostendebant erga omnes, nominatim erga lapsos et suos tortores.

Verba *Tertulliani* catholici de exoratione pacis a martyribus non aliter intelligenda sunt quam quod alibi dicit de exoratione quam poenitens etiam ad alios fideles in Ecclesia dirigit, quatenus "charis Dei adgeniculatur, omnibus fratribus legationes deprecationis suae injungit" (*De Poenit. 9*, M.L. 1, 1354 sq.). Verba vero Tertulliani montanistae manifeste sonant calumniam in Ecclesiam catholicam.

Quae habentur in epistulis *Cypriani* manifeste ostendunt libellum pacis, a martyribus concessum, fuisse epistolam qua lapsi commendabantur praepositis ecclesiae ut ab eis veniam obtinerent. In *ep. 16* Luciani martyris ad Cyprianum dicitur: "Scias nos universis de quibus apud te ratio constiterit quid post commissum egerint, dedisse pacem"; in *ep. 21, 2* eiusdem Luciani ad Celerinum rogantem pro lapsis sororibus dicitur: "Exposita causa apud episcopum et facta exomologesi, habeant pacem"; in *ep. 11, 1* Cyprianus ait: "Fecerunt ad nos quibusdam beati martyres litteras, petentes examinari desideria sua"; in *ep. 12, 1* idem Cyprianus praescribit veniam lapsis in periculo mortis concedendam, "ut manu eis in poenitentiam imposita veniant ad Dominum cum pace quam dari martyres litteris ad nos factis desideraverunt."

Signanter in *ep. 30, 1 sq.* clerus romanus contra libellaticos petulantes scribit: "Quos quidem satis mirati sumus ad hoc usque prosilire voluisse, ut tam urgenter et tam immaturo atque acerbo tempore, in tam ingenti et immenso crimine atque delicto, pacem sibi non tam peterent quam vindicarent, imo jam et in coelis habere se dicerent. Qui si habent, quid petunt quod tenent? Si autem non habere illos probatur hoc ipso quod petunt, cur non judicium eorum sustinent a quibus petendam pacem, quam utique non habent, putaverunt? . . . Si dandam illis pacem martyres putaverunt, cur ipsi non dederunt? cur illos ad episcopum, ut ipsi dicunt, remittendos censuerunt? Is enim qui jubet fieri potest utique facere quod fieri jubet. Sed, ut intelligimus, imo, ut res ipsa loquitur et clamat, sanctissimi martyres utrobique adhibendum putaverunt temperamentum et pudoris et veritatis. Nam, quia a multis urgebantur, dum ad episcopum illos remittunt, verecundiae propriae, ne ulterius inquietarentur, consulendum putaverunt; et dum illis non ipsi communicant, evangelicae legis illibatam sinceritatem custodiendam judicaverunt" (M.L. 4, 311–313).

Ex ipsis verbis *Dionysii Alex.* patet sententiam illorum martyrum de reconciliatione lapsorum non habitam esse ut definitivam et proprie dictam, siquidem ipse explicite significat in eius arbitrio esse "judicium illorum irritum facere".

c. *In ecclesia orientali posterioribus saeculis (inde a tempore Iconoclasmi) mos invaluit confitendi peccata apud monachos sacerdotio non insignitos,* imo quidam monachi orientales docuerunt potestatem absolvendi esse charisma, a Deo sanctis concessum independenter a hierarchia.

Respondetur.

Talis abusus, quem supra memoravimus (p. 49 sq.) cuiusque limites

non sunt exaggerandi,[41] nequit adduci ut indicium praxis primitivae ecclesiae. Nam, longe ante exortum monachismum, in doctrina et praxi Ecclesiae munus absolvendi a peccatis consideratur ut hierarchicum. Ipse *Basilius,* fundator monachismi in Oriente, praescribit in suis Regulis confessionem faciendam esse sacerdotibus, juxta antiquum Ecclesiae usum: "Peccata iis confiteri necesse est, quibus mysteriorum Dei concredita dispensatio est. Sic enim et qui olim paenitentiam egerunt, coram sanctis fecisse comperiuntur" (*Regulae brevius tractatae, 288,* M.G. 31, 1284); idem S. Doctor fratrem suum, Petrum ordinavit sacerdotem ut esset confessor monasterii sororis suae S. Macrinae (cf. *Gregorium Nyss.,* De vita S. Macrinae, M.G. 46, 973).

Symeon Novus Theologus (cit. in p. 49 sq.), praecipuus inter praefatos theologos monachos, explicite docet potestatem absolvendi primitus fuisse hierarchicam et nonnisi posterius, ob hierarchiae corruptionem, transisse ad ipsos monachos.

Probatur 3. *EX RATIONE CONVENIENTIAE.*

Institutio potestatis remissivae peccatorum post Baptismum commissorum convenit:

Primo, modo agendi Divinae Providentiae, quae suaviter se accommodat naturae et indoli rerum. Congruum enim est ut homo ab aliis hominibus, in auctoritate constitutis, dependeat etiam quoad consecutionem salutis; item ut creaturae, quae fuerunt occasio peccati ac perditionis, fiant quoque instrumentum reparationis.

Secundo, indoli Ecclesiae, prout est instituta ad continuandam et applicandam actionem Christi redemptivam. Cum enim Christus Ecclesiam suam mediis salutis instruxerit, quibus virtus redemptiva passionis applicaretur, parum verisimile est eam absque potestate remissionis peccatorum reliquisse, in qua praecipue redemptio consistit, praesertim si consideretur aliunde ei concessisse facultatem peccata abluendi per Baptismum; utraque vero admissa potestate, plene intelligitur mysterium Matris Ecclesiae, quae sicut per uterum Baptismi fideles generat Christo, ita per ubera Poenitentiae eos ad vitam restituit.

Tertio, indoli Baptismi, prout importat medium remittendi peccata initerabiliter. Non enim convenienter intelligeretur quare Dei voluntas salvifica et redemptiva constitueret dare unicum et initerabile medium remissionis peccatorum ex opere operato, cum praesertim hoc non sit minus necessarium peccatoribus post Baptismum quam antea nec sit

[41] Generatim enim monachi, quibus fere exclusive per plura saecula dicitur translatum esse ministerium confessionis, erant presbyteri, qui, ob sanctiorem vitam, eximiorem scientiam et honorem status coelibatus, majorem sibi populorum fiduciam conciliarunt quam presbyteri saeculares.

homini minus necessarium reparari quam generari. Baptismus ergo et Poenitentia se invicem appellant, tanquam duo media salutis parallela et completiva.

Quarto, indoli et perfectioni N.T. Admissa enim in Ecclesia proprie dicta potestate remittendi peccata, plene intelligitur quare in A.T. remissio peccatorum tantum ut futura promitteretur (cf. Jerem. 31, 33 sq., cit. in Hebr. 10, 16–18); quamvis enim etiam in A.T. poenitentia a prophetis praedicaretur et poenitentibus remissio a Deo concederetur, haec tamen non erat illi testamento alligata tanquam proprie dicta potestas ab hominibus exercenda. Hinc valde commendatur tum dignitas Ecclesiae prae Synagogae, tum efficacia passionis Christi in qua fundatur et a qua derivatur omnis efficacitas et omnis potestas sacramentorum novae legis.

Conclusio 2. Potestas retinendi et remittendi peccata est proprie judicialis.

Probatur 1. *EX SCRIPTURA, seu ex verbis institutionis Joan. 20, 23.*

Potestas judicialis tria importat, scilicet non tantum *potestatem* (quae est etiam in legato vel arbitro) sed proprie dictam *jurisdictionem* (jus dicere seu obligationem imponere), nec quamlibet jurisdictionem sed *sententialem et judicativam* (judicium dicere seu judicium obligativum proferre). Eius *obiectum* est relatio convenientiae vel disconvenientiae inter normam legis et actionem subditi, seu inter id quod faciendum est et id quod factum est. Eius *actus* est prolatio judicii de tali relatione, ex quo sequitur ligamen juridicum seu obligatio.

Jamvero haec omnia aequivalenter continentur in potestate retinendi atque remittendi peccata, a Christo Ecclesiae collata. Qua parte enim est potestas retinendi, non importat meram negativam non remissionem, sed positivum actum retentionis, seu positivum actum *jurisdictionis,* ex quo oritur quaedam obligatio, seu ex quo fit ut pergat subsistere obligatio peccata clavibus subiciendi.

Praeterea, cum haec potestas, secundum se quidem una et indivisibilis, sit bimembris et ex natura rei disiunctiva, seu exerceri debeat in unam vel alteram partem (remittendo vel retinendo), cumque exerceri nequeat pro hominis arbitrio sed juxta divinam legem, qua ad remissionem peccati necessario requiruntur congruae dispositiones poenitentiae, sequitur quod sit *sententialis et judicativa,* seu consistat in cognitione causae subiecti et prolatione judicii ex quo ligamen peccatorum solvitur vel retinetur.

Ad rem *Billot:* "Potestas iudiciaria, primo quidem iurisdictionalis est; deinde vero de sui ratione ad duo opposita se habet, indigetque in

sui exercitio determinari ad unum ope iudicii; ita scilicet ut iudicium non tantum praevie ad usum requiratur, sicut cum quis prudenter agere volens, deliberat an debeat vel possit uti potestate sibi tradita vel non uti, sed omnino in ipso usu, ut determinans exercitium ad alterutrum e duobus oppositis terminis quos ipsa potestas, quantum est ex se, indifferenter respicit.

"Quibus positis, considerandum est quod potestas remittendi et retinendi peccata non est potestas duplex, sed una atque indivisibilis, quae tum ad remittendum tum ad retinendum extenditur, prout ex verbis Christi aperte constat. Insuper remittere et retinere non opponuntur contradictorie sicut positivum negativo, sed omnino contrarie ut duo positiva; nam *remittere* est facere ut vi clavium culpa solvatur, *retinere* vero est ligare hominem ad hoc ut rursus compareat, faciendo ut ratione culpae retentae, iudicio clavium semper subiectus remaneat. Si autem iurisdictionalis potestas ministrorum Christi una atque indivisibilis exsistens, se habet ex natura sua ad duos terminos inter se oppositos, ergo per iudicium indiget in sui exercitio ad alterutrum determinari: in quo ut dictum est, iudiciariae potestatis ratio consistit."[42]

Ex his intelligitur differentia inter potestatem remittendi peccata in Baptismo et in Poenitentia, vel rectius inter Baptismum et Poenitentiam quantum ad indolem potestatis remissivae quae in utroque sacramento importatur.

Primo enim, potestas baptismalis ordinatur ad remittendum *non vero ad retinendum* peccatum, nec mera non applicatio Baptismi dici potest retentio peccati.

Secundo, potestas baptismalis *non est judicialis*, tum quia non est bimembris seu ad remittendum vel retinendum, tum quia non importat essentialiter cognitionem causae et judicium de ea; judicium enim de dispositionibus subiecti in Baptismo aliisque sacramentis se habet ut *quid praecedens* non vero ut quid constituens actionem potestativam et sacramentalem, quemadmodum in Poenitentia.

Tertio, potestas baptismalis *non est jurisdictionalis*, nam nullam importat obligationis impositionem et ceterum exercetur in non subditos, seu in catechumenos qui per ipsum Baptismum fiunt primo membra et subditi Ecclesiae.

Quarto, potestas baptismalis *nec est primo et directe potestas remittendi peccata*, sed est potestas applicandi ritum baptismalem qui est remissivus peccatorum; unde remissio peccati se habet ut *quid consequens* ad immediatum obiectum potestatis baptismalis; e converso, potestas poenitentialis est primo et directe potestas remittendi peccata, ita ut haec constituat ipsum sacramentum Poenitentiae.

[42] De Eccl. sacram., t. 2, thes. 1, § 2, Romae, 1907, p. 21.

Confirmatur.

1. *Ex verbis promissionis, Matth. 16, 19; 18, 18.* Ut enim explicatum est in Concl. 1 (p. 75 sq.), metaphora contenta in verbis "ligare et solvere" et in collatione "clavis regni coelorum" importat potestatem jurisdictionis et judicialem. Haec praeterea importatur in contextu secundi loci Matthaei (18, 15–17), seu in pericopa de correptione fraterna quae terminatur per judicium Ecclesiae (cf. p. 73–76).

2. Ex dictis in Concl. 1 (p. 86–90) de *exercitio potestatis ligandi et solvendi per Apostolos, praecipue S. Paulum.*

Probatur 2. *EX GENERALI INTERPRETATIONE ECCLESIAE ET EX EXPLICITA DOCTRINA PATRUM.*

Ecclesia inde ab initio potestatem sibi a Christo collatam intellexit ut veram potestatem judicialem, ut patet ex organizatione disciplinae poenitentialis, ex discussione causae peccatorum, ex distinctione ordinum poenitentium, ex impositione et distinctione poenarum luendarum.

Tertullianus, Apolog. 39, exponens quae fiebant in coetibus primorum christianorum, ait: "Ibidem etiam *exhorationes, castigationes et censura divina*. Nam et *judicatur magno cum pondere*, ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri judicii praejudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis et conventus et omnis sancti commercii relegetur" (M.L. 1, 532).

Cyprianus in variis epistolis de absolutione lapsorum (Ep. 9–30) continuo insistit in necessitate instituendi ordinatum et accuratum judicium antequam lapsis pax et absolutio concedatur; propterea jubet ut de lapsis reconciliandis nihil durante persecutione decernatur, sed tempus pacis expectetur, ut res maturo consilio componi possit.

Epist. 10, 3, ad martyres: "Vos quoque sollicite et caute petentium desideria ponderetis, utpote amici Domini et cum illo postmodum judicaturi, inspiciatis et actum et opera et merita singulorum, ipsorum quoque delictorum genera et qualitates cogitetis, ne, si quid abrupte et indigne vel a nobis promissum vel a nobis factum fuerit, apud gentiles quoque ipsos ecclesia nostra erubescere incipiat" (M.L. 4, 261).

Epist. 22, 2, ad clerum romanum: "Quae res [i.e. inconsiderata concessio libelli pacis a quibusdam martyribus facta] majorem nobis conflat invidiam, ut nos cum singulorum causas audire et excutere coeperimus, videamur multis negare quod se nunc omnes jactant a martyribus et confessoribus accepisse" (M.L. 4, 291).

Epist. 11, 1, ad plebem: "[Lapsis] potens est divina misericordia medelam dare. Properandum tamen non puto, nec incaute aliquid et festinanter gerendum, ne, dum temere pax usurpatur, divinae indignationis offensa gravius provocetur. Fecerunt ad nos quibusdam beati

martyres litteras, petentes examinari desideria sua. Cum, pace nobis omnibus a Domino prius data, ad Ecclesiam regredi coeperimus, tunc examinabuntur singula praesentibus et judicantibus vobis" (M.L. 4, 263).

Patres citati in Concl. 1 (p. 97 sqq.) explicitis quoque verbis loquuntur de judiciali potestate.

Tertullianus: "Judicatur magno cum pondere" (Apolog. 39, nuper cit.).

Cyprianus: "Examinabuntur singula . . . judicantibus vobis"; "Singulorum causas audire et excutere" (Ep. 11 et 22, nuper cit.).

Hilarius: "Immobile apostolicae severitatis judicium", "Apostolicae condicione sententiae" (In Matth., 18, 8).

Chrysostomus: "[Sacerdos] judex sedet in terra", "Quod hic in terra judicat" (Hom. 5 de verbis Is. 1), "Servorum sententiam ipse Dominus ratam facit" (De sacerd. 3, 5).

Ambrosius: "Dominus, quod ante erat judicii sui, dedit apostolis peccata remittendi aequitate solvenda, ne cito solvenda, diu ligata manerent" (In Psal. 38, 37, M.L. 14, 1108).

Constit. Apost.: "Potestatem habes judicandi eos qui peccarunt. . . Judica igitur, Episcope" (2, 11).

Hieronymus: "Claves regni coelorum habentes, quodammodo ante judicii diem judicant" (Epist. 14, 8).

Augustinus: De civ. Dei, 20, 9, 2, ad praepositos Ecclesiae refert verba Apoc. 20, 4: "Et vidi sedes, et sederunt super eas, et judicium datum est illis", inquiens: "Judicium . . . datum nullum melius accipiendum videtur, quam id quod dictum est, 'Quae ligaveritis in terra. . .' " De bapt. 3, 18, 23 (cit. in p. 85) applicat ministris Ecclesiae verba 1 Cor. 2, 15: "Spiritualis autem judicat omnia, et ipse a nemine judicatur".

Innocentius I: "De pondere aestimando delictorum sacerdotis est iudicare" (Epist. ad Decentium).

Gregorius M.: "Principatum superni judicii sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent. . . Ecce . . . animarum judices fiunt", "Causae pensandae sunt", "Illos pastoris sententia absolvat" (Hom. 26 in Ev., 4–6).

Pseudo-Gregorius (discipulus Gregorii, *Claudius abbas* classitanae urbis; † 601). In 1 Reg., l. 3, c. 5, n. 13: "Afflictio poenitentiae ad delenda peccata tunc demum idonea est, cum sacerdotis fuerit judicio imperata, cum ab eo confitentium actibus discursis, pro modo criminis, onus eis decernitur afflictionis" (M.L. 79, 207).

Probatur 3. *EX RATIONE CONVENIENTIAE.*

Judiciaria potestas convenit,

Primo, indoli Ecclesiae, prout est ministra salutis, constituta in ratione verae societatis cum triplici potestate legislativa, judiciali et coactiva. Christus enim ad finem salutis contulit Ecclesiae potestatem judicialem in foro externo; jamvero ad eundem finem multo magis prodest potestas judicialis in foro interno; ergo congruit et hanc Ecclesiae contulisse.

Secundo, indoli Poenitentiae collatae cum Baptismo. Poenitentia enim, secus ac Baptismus, importat exercitium potestatis erga eos qui sunt subditi Ecclesiae. Ergo convenit ut exerceatur in eos formaliter tanquam in subditos, seu jurisdictionaliter et judicialiter. Praeterea, Baptismus confertur per modum generationis, ad quam nullatenus concurrit generatus; Poenitentia vero confertur per modum reparationis, ad quam quodammodo concurrit ipse qui reparatur, ope nempe congruentium dispositionum, quae examen et judicium absolventis appellant.

Tertio, conditioni ipsius peccatoris. Peccator enim post agnitionem fidei et baptismalem reparationem ostendit majorem ingratitudinem et malitiam, quae connaturaliter appellant signantiorem dolorem et duriorem poenitentiam, qualiter continetur in necessitate se subiciendi examini et judicio Ecclesiae per confessionem et satisfactionem. Praeterea, ex hac eadem necessitate peccator deterretur a novis peccatis committendis.

Nota. De essentia seu indole huius judicialis potestatis dicetur in Cap. X, ubi de universaliori *potestate clavium.*

Conclusio 3. Potestas retinendi et remittendi peccata est proprie sacramentalis, adeoque Poenitentia est proprie dictum sacramentum N.L. (a. 1 et 6).

Probatur 1. *EX IPSA RATIONE POTESTATIS JUDICIALIS ad remittenda vel retinenda peccata, quae in Scriptura et Traditione asseritur* (a. 1).

Nam sacramentum proprie dictum est signum collativum gratiae, seu duo importat: rationem signi sensibilis et collationem gratiae cum eo connexam. Jamvero potestas Ecclesiae, qua parte est *remissiva peccati* importat influxum in *collationem gratiae,* sine qua remissio peccati fieri nequit; qua parte vero est *judicialis* importat signum sensibile, tum quo peccata et dispositiones poenitentis exprimantur ac cognosci possint, tum quo sententia judicis intimetur.

Ad rem *S. Thomas:* "Sicut Gregorius dicit,[43] 'sacramentum est in aliqua celebratione, cum res gesta ita fit ut aliquid significare intelligatur quod sancte accipiendum est.' Manifestum est autem quod in poenitentia ita res gesta fit quod aliquid sanctum significatur tam ex parte peccatoris poenitentis, quam ex parte sacerdotis absolventis; nam peccator poenitens per ea quae facit et dicit, ostendit cor suum a peccato recessisse; similiter etiam sacerdos per ea quae agit et dicit circa poenitentem, significat opus Dei remittentis peccata. Unde manifestum est quod poenitentia quae in Ecclesia agitur est sacramentum."

Nec valet obicere contra sacramentalem rationem Poenitentiae quod in ea nulla res sensibilis invenitur, sicut e converso in aliis sacramentis, sed solae actiones poenitentis et sacerdotis; item quod sacramenta conficiuntur a ministro, Poenitentia vero maxime consistit in actibus poenitentis.

Nam, ut observatum est in tractatu De sacr. in gen., art. 4, et iterum dicetur infra ubi de materia et forma Poenitentiae ac de ipsius indole sacramentali, actus poenitentis habent veram rationem rei, sacramentaliter acceptae, i.e. rei determinabilis in ratione signi. Ceterum taliter se habent prout cadunt sub actione ministri ponentis formam (ad 1 et 2).

Probatur 2. *EX SENSU ANTIQUAE ECCLESIAE ET TRADITIONIS.*

Sensus antiquae Ecclesiae, ut apparet ex documentis Traditionis citatis praecipue in Concl. 1, est remissionem peccatorum et adiunctam gratiae collationem fieri dependenter ab exteriori disciplina poenitentiali ac signanter a judiciali sententia, a qua totus complexus illius disciplinae informabatur et determinabatur, non secus ac regeneratio in Christo intelligebatur fieri dependenter a sensibili ritu baptismali. Ergo sensus Ecclesiae fuit Poenitentiam, non secus ac Baptismum, esse signum collativum gratiae seu sacramentum.

Mens Patrum praecipue ostenditur in ipsa *connumeratione Poenitentiae cum aliis sacramentis,* adhibita quandoque, saltem inde ab Augustino, ipsa voce sacramenti (quamvis haec nondum habuerit proprium et exclusivum sensum quem postea obtinuit in Ecclesia inde a Petro Lombardo).

Novatianus in sua epistola scripta nomine cleri romani ad Cyprianum (inter epp. Cypriani 31, 7, ed. Migne), loquens de reconciliatione lapsorum, *adhibet vocem sacramenti* ("Sed hoc totum in sacramento"), non tamen in sensu determinato sacri ritus.

[43] Haec sunt verba *Isidori Hisp.* desumpta ex *Augustino,* ut dictum est in tractatu De sacr. in gen., art. 1, p. 45.

Firmilianus, Ep. 75, 7 (inter epp. Cypriani), manifestam quamvis generalem allusionem ad potestatem poenitentialem coniungit cum specifica mentione Baptismi, Confirmationis et Ordinis, inquiens: "Omnis potestas et gratia in Ecclesia constituta est, ubi praesident majores natu, qui et baptizandi et manum imponendi et ordinandi possident potestatem" (M.L. 3, 1209; confer haec verba cum 4 et 16, supra cit., in p. 114 sq.).

Pacianus, Epist. 1, 6 (supra cit., in p. 77), connumerat tres potestates baptizandi, confirmandi et absolvendi.

Ephren: "Spirituales divinorum *sacramentorum* dispensatores cunctis Ecclesiae filiis alimenta juxta cujusque gradum ministrant, sic ut . . . *paenitentibus* et extra templi fores stantibus paleas et hordeum porrigant" (Opera syr.-lat., ed. Rom., I, 455).

Augustinus, De bapt. 5, 20, 28, sub nomine sacramenti connumerat Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam et manuum impositionem, quae intelligi potest tum de Ordine tum praecipue de Poenitentia:[44] "Si ergo ad hoc valet quod dictum est in Evangelio, 'Deus peccatorem non audit' (Joan. ix, 31), ut per peccatorem *Sacramenta* non celebrentur; quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam Baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel *super capita eorum quibus manus imponitur?"* (M.L. 43, 190).

Epist. 228, 8, sub nomine sacramenti coniungit Baptismum et Poenitentiam: "Aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam poenitentiae ipsius actionem, omnibus consolationem et *sacramentorum* confectionem et erogationem. . . Alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominici corporis communione fraudantur" (M.L. 33, 1016).

Serm. 351, 4, 9 (cit. in p. 121): "A praepositis *Sacramentorum* accipiat [poenitens] satisfactionis suae modum".

Enarr. in Psal. 146, 8, Poenitentiam seu contritionem cordis et impositionem manus praepositi vocat sacramenta: "Nunc interea [i.e. in hac vita] quid facit medicus? Alligat contritiones tuas, ut possis pervenire ad plenissimam firmitatem, donec consolidetur quod fractum est, quod alligatum est. Quae sunt ista alligamenta? Temporalia *Sacramenta.* Alligamenta medicinalia sunt contritionis nostrae, Sacramenta interim temporalia, quibus habemus consolationem: et ista omnia quae loquimur vobis, ipsa quae sonant et transeunt, quidquid in Ecclesia geritur temporaliter, alligamenta sunt contritionum. Quemadmodum enim medicus perfecta sanitate detrahit ligaturam; sic in illa civitate Jerusalem, cum aequales Angelis facti fuerimus, numquid

[44] Cf. ibid. 3, 16, cit. in Introd. tractatus, p. 4; ibid. 5, 23, 33; Enarr. in Psal. 146, 8 mox citand.; Serm. 232, 7 sq.

putatis ibi accepturos nos esse quod hic accipimus? Aut ibi recitandum est nobis Evangelium, ut fides nostra permaneat? *aut imponenda est manus ab aliquo praeposito?* Ista omnia alligamenta fracturae sunt; perfecta sanitate detrahentur: sed ad eam non perveniretur, nisi alligarentur" (M.L. 37, 1903 sq.).

Innocentius I, Epist. ad Decentium, loquens de Extrema Unctione, ait: "Poenitentibus [seu publicis peccatoribus] istud infundi non potest, quia *genus est sacramenti.* Nam quibus *reliqua sacramenta* negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?" (Denz. 99). Verba "reliqua sacramenta" referuntur ad Viaticum et Poenitentiam, de quibus S. Pontifex loquitur immediate antea (cf. M.L. 20, 559) et in epist. ad Exuperium (Denz. 95), quaeque non indiscriminatim peccatoribus concedebantur.

Leo M., Epist. "Sollicitudinis", supra cit. in p. 61 sq., ait bene dispositos poenitentes "ad communionem *sacramentorum* admitti".

Sacramentarium Gelasianum, 38, Deum deprecatur ut peccatorem confessum et poenitentem "ad *sacramentum reconciliationis* admittat" et ut "sacramentum reconciliationis admittat", item ut absoluti a peccatis "in sacramentis tuis sincera deinceps devotione permaneant" (M.L. 74, 1097 sq.). Subinde, 40, loquitur de *"baptismatis sacramento"*, de "sacramento perfectae salutis vitaeque", item de "percepto novi *sacramenti* [*Eucharistiae*] mysterio" (M.L. 74, 1097. 1098. 1099. 1100. 1102).

Eligius Novionensis episcopus (saec. 7; vel Anonymus quidam), Hom. 7: *"Reconciliationis sacramentum"* (M.L. 87, 613).

Petrus Damianus (saec. 11), Serm. 58, ad finem: "Ecce quantum potui . . . de *confessionis disserui sacramento"* (M.L. 144, 834).

Pseudo-Petrus Damianus (probabiliter *Nicolaus Claraevallensis,* medio saec. 12) Serm. 69: "Duodecim sacramenta sunt in Ecclesia. . . Primum est baptismatis sacramentum. . . Secundum est sacramentum confirmationis. . . Tertium est unctio infirmorum. . . Quartum est consecratio pontificis. . . Septimum est *sacramentum confessionis. . .* Duodecimum est nuptiarum sacramentum". Hic jam tentatur confectio catalogi sacramentorum, sed numerantur tantum praedicta sex sacramenta, omissa Eucharistia et sola ordinatione episcopi memorata; adduntur tamen sub nomine sacramenti sex sacramentalia, i.e. inunctio regis, dedicatio Ecclesiae, investitura canonicorum, status monachorum, status eremitarum, status sanctimonialium.

Lanfrancus (saec. 11), De celanda confessione, circa initium: *"Quatuor ecclesiastica sacramenta* diligenter inspicimus, fidem, baptismum, Dominici corporis et sanguinis consecrationem, *peccatorum remissionem.* Fide enim est mater Ecclesia, quod est carne beata Maria, quia quod illa in Spiritu Sancto concepit, ista in Spiritu sancto credit. Sacramentis baptismi, Dominici corporis et sanguinis, peccatorum confessionis divisa non est . . . ; beata ergo mater Ecclesia una eademque in sacramentis, et fide. . . Tria esse *sacramenta confessionis* Dominus in sua persona declaravit, figuram baptismi, unam conscientiam de duobus, Deum et hominem in eodem judicio. In figura baptismi, is qui confitetur, abrenuntiat per poenitentiam, et credit per fidem, sicut is qui baptizatur abrenuntiat et credit. . . Duae conscientiae in unam transeunt, confitentis scilicet in ejus cui confitetur, et judicantis in ejusdem qui judicatur. . . Deus et homo in eodem judicio conveniunt, quia qui se judicat, jam cum Deo facit" (M.L. 150, 625–627).

Theologi saec. 12, determinato sensu vocis sacramenti, conficiunt septenarium catalogum sacramentalem, ut dictum est in tractatu De sacr. in gen., art. 41 (p. 515–517), in quo, juxta definitivam dispositionem traditam a Petro Lombardo et subinde acceptatam ab ipsis *Conc. Flor. et Trid.,* Poenitentia occupat quartum locum. Haec sacramentum in sensu presso vocatur deinceps in supracitatis (p. 62 sqq.) *documentis Ecclesiae,* i.e. Conc. Veronense a. 1184, Innocentio III, Conc. Later. IV, Lugd. II, Constant., Flor., Trid., Pio X, Codice J. C.

Probatur 3. *GENERALI ARGUMENTO PRAESCRIPTIONIS,* quod contra Protestantes allatum est in tractatu De sacr. in gen., art. 41 (p. 520–522).

Probatur 4. *EX RATIONE CONVENIENTIAE ET ANALOGIA CUM ALIIS SACRAMENTIS* (a. 6; cf. q. 65, a. 1).

Ut dictum est in tractatu De sacr. in gen. (art. 42), summe conveniens fuit ut Deus institueret sacramenta, idque ad geminum finem perficiendi hominem (finem positivum) et afferendi remedium contra defectum peccati (finem negativum).

Perficitur autem homo, in vita spirituali sicut in naturali, non solum per se, seu per generationem, augmentum et nutritionem, sed etiam per accidens, seu per curationem ab infirmitate quam forte incurrerit. Unde sicut Deus instituit sacramenta Baptismi, Confirmationis et Eucharistiae ad vitam spiritualem generandam, augendam et nutriendam, ita pariter conveniens fuit ut institueret sacramentum Poenitentiae ad eandem vitam ab infirmitate peccati reparandam.

Item, *defectus peccati* in homine multiplex invenitur, uti carentia vitae spiritualis, infirmitas animi quae connaturaliter adest in nuper natis, labilitas animi ad peccandum et ipsum actuale peccatum. Unde

sicut Deus instituit sacramenta Baptismi, Confirmationis et Eucharistiae in remedium contra tres priores defectus, ita conveniens fuit ut institueret sacramentum Poenitentiae in remedium actualis peccati.

Haec ratio praecipuum robur obtinet ex comparatione Baptismi et Poenitentiae; cum enim homo etiam post Baptismum aequa ratione indigeat sanari a peccato, non apparet ratio convenientiae quare Deus non instituerit alterum medium sanationis post initerabilem Baptismum et quidem eiusdem sensibilis et sacramentalis indolis ac primum remedium.

Huic quaestioni accommodari etiam possunt *ceterae rationes convenientiae* allatae in Concl. 1 (p. 130 sq.). Addi possunt binae rationes allatae a *Catechismo Conc. Trid.* (cf. in p. 68), scilicet per externum sacramentum hominem securiorem fieri de obtenta peccatorum remissione et evidenti argumento convinci se eam ex solis meritis Christi derivare, ex quo pendet omnis efficacitas sacramentorum.

Conclusio 4. Sacramentum Poenitentiae est adaequate et specifice distinctum a sacramento Baptismi (a. 6).

Probatur 1. *EX SCRIPTURA, seu ex verbis institutionis.*

Confer supra in Concl. 1 (p. 78–85).

Probatur 2. *EX PATRIBUS.*

Confer supra in Concl. 1 (p. 83–85. 94–95. 99. 124–125). Ceterum tota praxis poenitentialis Ecclesiae, comparata cum praxi baptismali, ostendit utriusque sacramenti distinctionem et separationem.

Probatur 3. *EX RATIONE POTESTATIS JUDICIALIS.*

Haec enim, ut ex Scriptura ex Patribus probatum est in Concl. 2, inest Poenitentiae nec convenit Baptismo (cf. dicta in p. 131–133).

Probatur 4. *EX GENERALI COMPARATIONE BAPTISMI ET POENITENTIAE quoad varia eorum elementa sacramentalia.*

Sacramentum metaphysice consideratum duo importat: rationem signi et rationem collationis gratiae; physice vero importat quatuor causas: materialem, formalem, efficientem, finalem.

Jamvero, quamquam nihil adhuc determinavimus de essentia sacramenti Poenitentiae, ex his tamen quae ex ipsa eius institutione iam generaliter colligi possunt, manifeste apparet singula elementa sacramentalia quae conveniunt Baptismo nequaquam convenire Poenitentiae.

Quoad rationem signi et signati.[45]

Baptismus ordinatur ad significandam spiritualem regenerationem, Poenitentia vero est a Christo instituta ad significandam peccatorum remissionem.

Regeneratio autem et remissio peccatorum differunt *formaliter*, nam regeneratio respicit primo et per se vitam gratiae, remissio vero refertur primo et per se ad peccatum, quamvis nequeat fieri nisi per collationem gratiae. Regeneratio quidem importat directe ablationem peccati originalis, non tamen primario et ratione sui sed secundario et ut terminum a quo, et ceterum talis ablatio vix remissio dici potest, cum in illo peccato minimus sit gradus culpabilitatis. Item regeneratio necessario secum trahit ablationem ipsorum peccatorum actualium, cui quidem proprie convenit ratio remissionis, at id nonnisi per accidens et materialiter contingit, ob repugnantiam nempe gratiae cum quolibet peccato. Ceterum, etiam *materialiter* attenta hac peccatorum actualium ablatione, contenta in regeneratione, adhuc differt remissio peccatorum a regeneratione, ut quid latius patens, tum quia extenditur ad omnia peccata etiam post regenerationem commissa, tum quia repeti potest, secus ac regeneratio.

Praeterea, formale et specificum signatum per Poenitentiam nec est remissio peccatorum ut sic, sed remissio peccatorum actualium post regenerationem commissorum; non enim est remissio peccati originalis, tum quia hoc peccatum non proprie remittitur sed aufertur, ut dictum est, tum quia Poenitentia est remissio judicialis quae nequit exerceri nisi in subditos seu in eos qui per ipsam regenerationem et ablationem peccati originalis aggregantur Ecclesiae; nec est remissio peccatorum actualium ante regenerationem commissorum, quia iterum Poenitentia importat remissionem judicialem.

Haec ratio est praecipua ex qua probatur specifica distinctio duorum sacramentorum; nam, cum sacramentum sit essentialiter signum gratiae, distinctio autem signorum proveniat ex distinctione signatorum, ex diversitate gratiae significatae seu ex diversitate modi significandi sequitur necessario essentialis et metaphysica distinctio sacramenti.

Quoad rationem collationis gratiae.

Gratia Baptismi, utpote generativa, datur primo et semel, et quidem ad modum simplicis collationis; gratia vero Poenitentiae, qua parte est remissiva, dari potest pluries, nec necessario datur primo aut per modum simplicis collationis; qua parte autem confertur per potestatem judicialem, datur necessario secundo, et modo oneroso.

Quoad causam materialem.

[45] De hoc apte contra Protestantes disputant *Salmanticenses*, De Poen., disp. 1, dub. 1, n. 26. 27. 29. 30. 46 sqq.

Aqua, uti materia Baptismi, determinate assignatur in ipsa Scriptura atque aptissime convenit ad spiritualem regenerationem significandam; materia vero Poenitentiae in Scriptura directe non designatur, nec aliunde aqua convenit significationi remissionis peccatorum, saltem prout exercetur judicialiter.

Quoad causam formalem.

Forma Baptismi, quae in ipsa Scriptura aequivalenter ac determinate designatur, non convenit Poenitentiae saltem quoad expressionem actionis ablutivae ("Te baptizo"), tum quia haec expressio coniungi debet ipsi materiali actioni ablutivae, quae ut dictum est Poenitentiae non convenit, tum quia non est apta ad significandam remissionem judicialem (sicut sunt verba "Te absolvo"). Ceterum forma Poenitentiae in Scriptura determinate non designatur et allusio ad mysterium Trinitatis, quae habetur in verbis promissionis et institutionis quaeque de cetero nequaquam est sacramentalis, est nimis indeterminata ("Erunt soluta et in coelo, vel in coelis", i.e. apud Deum) vel nimis particularis ("Accipite Spiritum S.").

Quoad causam efficientem.

Ut dictum est supra (p. 84), Christus alia et alia occasione diversisque verbis significavit se *instituere* spiritualem regenerationem et potestatem remittendi peccata. Ad causam *administrationis* quod attinet, cuilibet homini, fatentibus communiter Protestantibus, facta est facultas baptizandi; e converso, ut probavimus in Concl. 1, soli Petro, tanquam fundamento Ecclesiae, et solis apostolis, tanquam Ecclesiae rectoribus, per solemnem ritum insufflationis data est potestas solvendi atque ligandi, remittendi atque retinendi peccata.

Quoad causam finalem et effectum.

Baptismus ordinatur formaliter ad causandam spiritualem generationem, Poenitentia vero ad conferendam remissionem peccatorum, et quidem per influxum judicialem, adeoque non primam remissionem quae necessario includitur in ipsa regeneratione, quaeque respicit praecipue peccatum originale, sed secundam, seu sanativam et reparativam, quae respicit solum peccatum actuale post Baptismum commissum. Exinde sequitur quoque differentia *quoad subiectum et proprietates.* Nam Baptismus, utpote regenerativus, respicit non subditos, excludit satisfactionem, est initerabilis, importat unicam potestatem; Poenitentia vero, utpote reparativa et judicialis, respicit solos subditos, est laboriosa et satisfactoria, est iterabilis et iteranda, importat bimembrem et disiunctivam potestatem remittendi aut retinendi.

Probatur 5. *EX RATIONE CONVENIENTIAE et analogia aliorum sacramentorum inter se distinctorum.*

Convenit ut diversis modis quibus homo perficitur in vita spirituali et diversis remediis contra defectum peccati diversis occurratur sacramentis; ad hunc enim duplicem finem sacramenta instituta sunt, ut dictum est supra (p. 139 sq.).

Atqui perficere hominem per se, seu dando vitam, et perficere per accidens, seu vitam reparando, itemque afferre remedium contra defectum peccati consistentis in carentia vitae et afferre remedium contra defectum infirmitatis peccati actualis, sunt duo diversi modi perficiendi et reparandi.

Ergo convenit ut eis occurratur duobus distinctis sacramentis, quemadmodum per diversa sacramenta Baptismi, Confirmationis et Eucharistiae occurritur diversis modis perficiendi et reparandi, supra explicatis (p. 139 sq.).

Explicata tamen distinctio inter Baptismum et Poenitentiam, nedum officiat eorum intimae cognationi, hanc potius fundat et illuminat, ostendens in ipsa characteristica dualitate, intestinum nexum quo vinciuntur sic dicta gemina sacramenta mortuorum, gemina baptismata, geminaeque tabulae salutis.

Ad rem *S. Thomas, a. 6:* "Poenitentia tenet secundum locum respectu status integritatis qui confertur et conservatur per sacramenta praedicta; unde et metaphorice dicitur *secunda tabula post naufragium.* Nam sicut primum remedium mare transeuntibus est ut conserventur in navi integra, secundum autem remedium est post navem fractam ut quis tabulae adhaereat: ita etiam primum remedium in mari hujus vitae est quod homo integritatem servet: secundum autem remedium est, si per peccatum integritatem perdiderit, quod per poenitentiam redeat."

ART. 2. Utrum Christus Hoc Sacramentum Instituerit Post Resurrectionem, Cum Verba Joan. 20, 23 Pronuntiavit (q. 84, a. 7; cf. In 4 Sent., dist. 22, q. 2, a. 3).

STATUS QUAESTIONIS

Ad complementum dictorum in art. praec. ponitur quaestio secundaria de *TEMPORE INSTITUTIONIS* sacramenti Poenitentiae. Ad quam tria revocari possunt:

An hoc sacramentum sit *primo* a Christo institutum, ita ut, qua tale, in antiqua lege non extiterit.

An sit *totaliter et immediate* a Christo institutum, non vero partim a Christo, partim ab Ecclesia.

An sit institutum *post resurrectionem*, ipsis verbis Christi in Joan. 20, 23: "Quorum remiseritis peccata etc."

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica.

Christum ipsum instituisse sacramentum Poenitentiae quod est in Ecclesia, est *de fide definita* a Conc. Trid., sess. 14, can. 1 (In sess. 7, can. 1 definitur omnia sacramenta, inter quae numeratur Poenitentia, fuisse a Christo instituta). Sacramentum Poenitentiae quod nunc est in Ecclesia, non fuisse in A.L., est *saltem theologice certum;* id sequitur ex ipsa fide institutionis et explicite quoque docetur a Conc. Trid., sess. 14, cap. 1: "Nec ante adventum Christi Poenitentia erat sacramentum" (cf. supra in p. 13).

Christum *immediate* instituisse omnia sacramenta N.L., est *saltem theologice certum,* ut dictum est in tractatu De sacr. in gen., p. 401.

Christum instituisse hoc sacramentum post resurrectionem cum protulit verba *Joan. 20, 23,* est *theologice certum,* ex Conc. Trid., sess. 14, cap. 1 (cf. supra in p. 60). Ratio quare Concilium dicat Christum tunc "praecipue instituisse" hoc sacramentum est quia anterior Christi promissio in Matth. 16, 19 et 18, 18, inchoata vel virtualis institutio dici potest.

SENTENTIAE THEOLOGORUM.

Conveniunt communissime theologi in affirmativam trium quaestionum, exceptis quibusdam antiquioribus qui dissentiunt quoad primam et secundam quaestionem, quin tamen eorum doctrina sit satis firma vel clara.

1. *Quoad primam quaestionem.*

Petrus de Osma (Petrus Martinez ab urbe natali de Osma), professor Salmanticensis, admissa existentia, *negavit ipsam divinam institutionem* sacramenti Poenitentiae. Quam negationem *Sixtus IV* in Bulla "Licet ea", 9 aug. 1479, ut *haereticam* damnavit his verbis expressam: "Sacramentum poenitentiae, quantum ad collationem gratiae, sacramentum naturae est, non alicuius institutionis Veteris vel Novi Testamenti" (Denz. 732).

Quidam doctores mediaevales videntur docuisse hoc sacramentum *institutum esse in antiqua oeconomia.* Aliqui autem loquuntur de institutione confessionis auricularis, alii ipsius sacramenti.

Hugo a S. Victore, De sacram., l. 2, p. 14, c. 1, ait: "Antiqua lex

peccata confiteri jubet, et homines ad sacerdotes mittit ut confiteantur peccata sua, ut indulgentiam accipiant" (M.L. 176, 550). Similiter docet *Thomas Waldensis,* De sacram., cap. 135. Provocant ad verba Scripturae quae sonant praeceptum peccata confitendi: Lev., cap. 4 et 5 (cf. praecipue 4, 35 et 5, 18); Num. 5, 6 sq.; Psal. 31, 5; Prov. 28, 13. Imo quidam ulterius determinant Poenitentiam institutam esse cum statim post peccatum originale Deus interrogavit Adam: "Ubi es" (Gen. 3, 9) et Cain: "Ubi est Abel frater tuus?" (Gen. 4, 9), quibus verbis, inquiunt, continetur invitatio ad poenitendum, vel cum Josue ex praecepto Domini invitavit Achan ad confitendum sibi peccatum suum, inquiens: "Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi quid feceris" (Jos. 7, 19).

Gravius *Petrus Lombardus,* Sent., l. 4, dist. 22, n. 3, docet: "Inquiunt illi hoc [i.e. sacramentum efficere quod significat] esse intelligendum de illis sacramentis quae in novo Testamento instituta sunt: ut est sacramentum Baptismi, Confirmationis, et Corporis Christi. *Sacramentum vero Poenitentiae, sicut et Conjugii,* ante tempus gratiae etiam a primordio humani generis fuit. *Utrumque enim institutum fuit in primis parentibus*" (M.L. 192, 899).

Attamen haec sententia, etiam juxta verba Petri Lombardi, *benigne judicari potest,* ita ut dicatur docere institutionem alicuius sacramenti Poenitentiae in A.L. (quod verum est et sustinetur a pluribus theologis cum S. Thoma), non vero huius specifice sacramenti quod habetur in N.L. Ceterum verba Hugonis a S. Victore et aliorum referuntur directe ad solam confessionem ac videntur docere tantum divinam necessitatem confessionis etiam in A.L.

2. *Quoad secundam quaestionem.*

Quidam theologi mediaevales, pariter magni nominis, videntur docere hoc sacramentum fuisse a Christo institutum *mediate tantum,* i.e. per Apostolos, uti *Jacobum* dicentem, statim post verba de Extrema Unctione: "Confitemini ergo alterutrum peccata vestra, et orate pro invicem ut salvemini" (Jac. 5, 16), vel per generalem consuetudinem *Ecclesiae.* Id tamen videntur asserere tantum quoad ea quae se habent ex parte materiae seu actum poenitentis (uti confessione et satisfactione), ita ut Christus immediate instituerit potestatem clavium, relinquens Ecclesiae judicium et determinationem de caeteris.

Pro hac sententia citantur *Guilelmus Altissiodorensis* (Summa aurea, l. 4, t. 2, c. 3), *Alex. Halensis* (Summa, p. 4, q. 59, m. 3), *Bonaventura* (In 4 Sent., dist. 17, p. 2, a. 1, q. 3), *Marsilius* (In 2 Sent., q. 2, a. 2).

Haec quoque sententia potius indeterminate profertur ac in vario sensu accipi potest, ut dictum est etiam quoad institutionem Confirma-

tionis et Extremae Unctionis in tractatu De sacr. in gen., art. 29 (p. 398 sq.).

CONCLUSIO

Conclusio 1. Sacramentum Poenitentiae est primo a Christo institutum, ita ut in antiqua lege non fuerit illud ipsum sacramentum quod ab Ecclesia administratur.

Probatur.

De fide est Christum instituisse omnia et singula sacramenta N.L., ac nominatim Poenitentiam. Ergo hoc sacramentum, qua tale, ante Christum non fuit; non enim institui dici potest quod antea extitit.

Exinde falsa ostenditur triplex opinio adversariorum supra sub numero 1 relatorum eorumque rationibus occurritur.

Opinionis Petri de Osma fundamentum videtur esse quia poenitentia de peccatis est de jure naturali, adeoque institutione non indiget; item est quaedam virtus, unde, sicut aliae virtutes, institutione non indiget.

Quibus rationibus jam responderat *S. Thomas:*

"De jure naturali est quod aliquis poeniteat de malis quae fecit, quantum ad hoc quod doleat ea fecisse, et doloris remedium quaerat per aliquem modum, et quod etiam aliqua signa doloris ostendat; sicut et Ninivitae fecerunt, ut Jonae iii legitur. . . Sed sicut alia quae sunt de jure naturali, determinationem acceperunt ex institutione legis divinae . . . ita etiam et poenitentia" (ad 1). Haec autem juris divini determinatio hic maxime necessaria est, cum agatur de sacramento seu de causa gratiae, quae est proprius effectus Dei.

"Poenitentia est virtus quantum ad hoc quod est de dictamine legis naturalis: et ideo non habet institutionem inquantum est virtus, sed quantum ad modum determinatum ex quo habet quod sit sacramentum; et utrumque in una poenitentia invenitur; et ideo eadem poenitentia est sacramentum et virtus, et quantum ad aliquid de jure naturali, et quantum ad aliquid ex institutione" (*In 4 Sent., dist. 22, q. 2, a. 3, q. 1, ad 2*).

Rationes *Hugonis a S. Victore* et aliorum solum ostendunt in A.L. fuisse a Deo requisitam in peccatore agnitionem sui peccati vel etiam generalem et implicitam confessionem contentam in ipsa oblatione pro peccato sacerdoti facienda, non vero fuisse confessionem specificam et determinatam, nec sacramentalem, nec a fortiori determinatam et specificam hanc confessionem quae in sacramento N.L. consistit.

Cum *Petro Lombardo* admittimus, post S. Thomam et contra plures theologos, extitisse aliquod sacramentum Poenitentiae in antiqua lege, tum naturae tum mosaica (cf. supra, Introd. tractatus, p. 13, et tractatum De sacr. in gen., art. 40, p. 502 sq.), at docemus ipsum fuisse diversi prorsus generis ac nostrum sacramentum, ut patet ex diversa forma, materia et indole.

Forma quidem deerat in omnibus sacramentis antiquis, ut dictum est in tractatu De sacr. in gen., art. 4 (p. 99 sq.).

Materia autem, seu actus poenitentis, in lege naturae erat indeterminata; in lege autem mosaica erat imperfecte determinata, quatenus contritio esset magis in corde fovenda quam determinatis exterioribus signis exprimenda atque sufficeret ea generalis et implicita confessio quae habebatur in hoc quod quis oblationem pro peccato sacerdoti offerebat; in lege vero evangelica dolor est determinate sacerdoti significandus necnon confessioni atque satisfactioni copulandus, confessio vero determinata et explicita exhibenda est, una cum proposito satisfactionis.

Indoles Poenitentiae ante Christum non fuit nec esse potuit *judicialis,* tum ex defectu formae quae se habet ex parte sententiae judicialis, tum praecipue quia ante passionem Christi non potuit tale judicium exerceri; nam efficacitas eius pendet a potestate judiciali Christi quam ipse acquisivit sanguine suo, seu ex merito passionis.

Ad rem *S. Thomas:*

In 4 Sent., dist. 22, q. 2, a. 3, q. 2: "Tempore . . . *legis naturae* non erat aliquis modus determinatus [poenitendi]; sed quilibet, secundum quod sibi veniebat in cor, modum poenitendi sibi determinabat . . . admonitus [enim] fuit homo, ut sibi determinaret aliquem poenitendi modum".

In praesenti articulo, ad 2: "Poenitentia in *veteri lege* [*mosaica*] aliquam determinationem habuit, quantum quidem ad dolorem, ut esset magis in corde quam in exterioribus signis, secundum illud Joel. ii, 13: 'Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra'; quantum autem ad remedium doloris quaerendum, ut aliquo modo ministris Dei peccata sua confiterentur, ad minus in generali. Unde Dominus dicit [Levit. v, 17]: 'Anima, si peccaverit per ignorantiam . . . , offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti juxta mensuram aestimationemque peccati; qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit, et dimittetur ei'; in hoc enim ipso quod oblationem faciebat aliquis pro peccato suo, quodammodo suum peccatum sacerdoti confitebatur. Et secundum hoc dicitur Proverb. xxviii, 13: 'Qui abscondit scelera sua, non dirigetur; qui autem confessus fuerit et reliquerit ea, misericordiam consequetur'. *Nondum autem erat instituta potestas clavium,*

quae a passione Christi derivatur; et per consequens nondum erat institutum quod aliquis doleret de peccato, cum proposito subjiciendi se per confessionem et satisfactionem clavibus Ecclesiae, sub spe consequendae veniae virtute passionis Christi."

In 4 Sent., l. c.: "[Unde] poenitentia est sacramentum et veteris legis, et novae legis, et legis naturae; et inquantum est sacramentum novae legis, non fuit ante Christi adventum institutum". "[Nam] quando variatur aliquid quod est de essentia rei, non est eadem res numero; unde cum determinatus modus qui in Ecclesia a poenitentibus observatur, sit de essentia huius sacramenti; hoc sacramentum non fuit antequam iste modus poenitendi esset. Et quia iste modus non fuit ante Christi adventum, ideo nec sacramentum poenitentiae antea fuisse debet dici; quamvis esset aliquid simile etiam ante Christi adventum, et aliquis modus poenitentiam agendi."

Conclusio 2. Sacramentum Poenitentiae est immediate et totaliter a Christo institutum.

Probatur iisdem rationibus allatis quoad sacramenta in genere in tractatu De sacr. in gen., art. 29. Quae quidem rationes excludunt pariter partialem institutionem Apostolorum vel Ecclesiae, cum agatur de his quae ad essentiam sacramenti pertinent et ceterum essentia omnis rei sit una et indivisibilis.

Si autem quis velit sententiam illorum doctorum mediaevalium interpretari in sensu institutionis immediatae ac totalis sed genericae tantum, haec sententia refutata est in eodem tractatu, art. 30, et iterum refutabitur infra in art. 83.

Dices. Christus sacramenta quae ipse instituit, suo usu consecravit, ut patet de Baptismo et Eucharistia. Atqui sacramento Poenitentiae usus non est. Ergo illud non instituit, sed potius Ecclesiae instituendum reliquit.

Resp. Maior argumenti falsa est, intellecta generaliter et quoad usum tam activum quam passivum. Christus enim suis sacramentis ipse usus est, quantum eius dignitati et muneri conveniens fuit. Jamvero sola Eucharistia usus est, etiam passive; Ordine autem et Baptismo solum active (et quidem probabiliter tantum);[46] ceteris sacramentis nec active nec passive. In particulari quoad tria sacramenta quae ab obiciente appellantur, haec nota.

Baptismo Christus passive usus non est, utpote talis usus incapax, sed baptizatus est baptismo Joannis, ut in eo Baptismum suum N.L.

[46] Confer tractatum De sacr. in gen., art. 29, p. 403.

institueret, et signatus est Circumcisione ut sacramenta A.L. perficeret et consummaret; active autem eo usus non est, nisi forte ad baptizandos ipsos discipulos (ut probabiliter putat *Augustinus*, Epist. 265, 4; De anima, 3, 9, 12), Joannem Baptistam et B. Virginem (ut non inconvenienter censent quidam theologi), sed ipsos discipulos ad baptizandum misit tum post tum ante passionem (Joan. 3, 22–26; 4, 1 sq.).

"Sacramentum autem *Eucharistiae* et ipse sumpsit, et aliis dedit, tum ad commendandam excellentiam hujus sacramenti, tum quia hoc sacramentum est memoriale suae passionis, in qua Christus est sacerdos et hostia" (*ad 4;* cf. tractatum De Eucharistia, Tom. 1, art. 3, p. 80 sq.).

"Usus autem hujus sacramenti [Poenitentiae] ab eo instituti nullo modo ei competebat, nec quantum ad hoc quod ipse poeniteret, in quo peccatum non fuit, neque quantum ad hoc quod hoc sacramentum aliis praeberet, quia ad ostendendam misericordiam et virtutem suam, effectum hujus sacramenti sine sacramento praebebat, ut supra dictum est (art. 4 hujus quaest. ad 3)" (*ad 4*).

Conclusio 3. Sacramentum Poenitentiae est institutum post resurrectionem, cum Christus verba Joan. 20, 23 pronuntiavit.

Probatur 1. *Ex ipsa Scriptura.*

Omnes enim alii textus Scripturae quos ad hoc sacramentum referri diximus (art. praec., p. 70 sqq.) manifeste simplicem allusionem vel solam promissionem (Matth. 16, 19; 18, 18) continent; verba vero Joan. 21, 23 exprimunt actualem collationem potestatis remittendi, in qua tota essentia sacramenti tanquam in nucleo continetur. Ceterum nullum sacramentum bis institui potest.

Dices. In verbis Matth. 16, 19 "Quodcumque ligaveris . . . et solveris . . ." et 18, 18 "Quaecumque alligaveritis . . . et solveritis . . .", ante passionem prolatis, non minus quam in Joan. 20, 23 exprimitur actualis collatio potestatis. Atqui, ut dictum est in art. praec., ea est potestas remittendi et retinendi peccata, quae est propria huius sacramenti. Ergo eo ipso momento, adeoque ante passionem, hoc sacramentum institutum est.

Resp. Reiecta sententia quorumdam, ut *Salmanticensium* (Disp. 4, dub. 4, § 2, n. 152), qui negant minorem huius obiectionis, docentes in verbis Matthaei agi non de potestate sacramentali seu ligandi et solvendi peccata, sed tantum de potestate forensi et contentiosa ligandi vel solvendi a censura et excommunicatione, dicimus quod,

quamvis in tribus locis agatur de actuali collatione alicuius potestatis et unusquisque suo modo referatur ad potestatem remittendi peccata, tamen ex ipsorum indole et circumstantiis recte colligitur (quod ceterum cum Conc. Trid. absque controversia catholici docere debent) in solo textu Joannis agi proprie de institutione sacramenti, in utroque autem loco Matthaei de sola promissione.

Nam potestas quidem actualiter confertur in tribus locis, scilicet Matth. 16, 19 (potestas clavium, Petro), Matth. 18, 18 (potestas clavium omnibus Apostolis), Joan. 20, 23 (potestas remittendi peccata omnibus Apostolis); nequit autem idem omnino ter conferri nec praecipue idem sacramentum ter institui, sed semel tantum. Jamvero in Joan. 20, 23 actu conferri potestatem remissivam manifestum est ex ipsa solemnitate actus, seu insufflatione super Apostolos et appellatione Spiritus S., necnon ex ipsa indole verborum "Accipite Spiritum S.", "Remittuntur eis" (cf. supra, art. praec., p. 78 sqq.). Unde in duobus locis Matthaei nequit agi nisi de eiusdem promissione; quod etiam roboratur ex eo quod verba Matthaei referuntur immediate non ad potestatem remissivam peccatorum sed ad generaliorem potestatem ligandi atque solvendi, cuius pars utique praecipua est potestas remissiva.

Quapropter dici potest in Matthaeo haec potestas actu quidem conferri, sed generaliter et exigitive, adeoque secundum se promissive, in Joanne vero specifice et executive, adeoque formaliter, quod quidem requiritur ad determinatam sacramenti institutionem.

Probatur 2. *Ex Traditione.*

Quamvis Patres non distincte et signate affirment verba Joan. 20, 23 referri ad ipsam institutionem sacramenti, tamen ex momento quod his verbis tribuunt et ex modo quo ea commentantur (cf. textus Origenis, Cypriani, Firmiliani, Paciani, Ambrosii, Augustini, Cyrilli Alex., Gelasii, Gregorii M., cit. in art. praec., p. 81. 84 sq. 110 sq.) merito colligi potest eos pro comperto habuisse ea verba esse institutiva.

Nec aliud intendit *Conc. Trid.* quam Patrum sensum colligere et referre, cum explicite et incunctanter docet ea verba institutionem sacramenti continere (Denz. 894).

Probatur 3. *Ex convenientia rationis.*

Prima convenientia deduci potest ex ipso *symbolismo christologico* huius sacramenti. Omne enim sacramentum, juxta propriam indolem, ordinatur ad significandam passionem Christi, ex qua suam efficaciam derivat. Hoc autem sacramentum, cum sit mortuorum resurgentium

ad vitam gratiae, specialiter significat passionem Christi sub ratione resurrectionis, seu Christum ex morte pro peccato ad vitam gloriae resurgentem. Unde conveniens fuit ipsum institui post resurrectionem, ut prius demonstraretur in exemplari quod erat figurandum in exemplato.

Altera convenientia deduci potest ex ipsa potestate remittendi peccata, prout respicit *corpus mysticum Christi.*

Corpus enim mysticum est posterius corpore physico Christi et ab eo processit in cruce dormienti, ubi consummatae sunt nuptiae Agni cum Ecclesia. Unde conveniens fuit ut potestas in corpus mysticum, in qua hoc sacramentum consistit, conferretur post collationem potestatis in corpus physicum eucharisticum, seu post institutionem sacramenti Ordinis quae facta est in ultima coena immediate ante passionem, et quidem ut conferretur post consummatam ipsam passionem, quando, ad vitam resurgens, spiraculum vitae Christus diffudit in filios sua morte generatos.

Dices 1. Poenitentia est praeparatio et dispositio ad Ordinem et Eucharistiam; jamvero dispositio praecedit formam ad quam disponit; unde congruum fuit ut Poenitentia institueretur ante illa sacramenta, adeoque ante passionem.

Resp. Poenitentia ad illa sacramenta se habet ut dispositio per accidens, i.e. supposito peccato, non vero ut dispositio necessaria et per se; non enim ad susceptionem Eucharistiae Poenitentia praerequiritur in eo qui est absque peccato (q. 65, a. 2, ad 4). Unde ruit obiectio.

Ceterum, ut occurratur *instantiae* quae ex comparatione horum sacramentorum confici posset, recolantur dicta in tractatu De sacr. in gen., art. 43, p. 533. Poenitentia nempe ordine naturae est posterior *Eucharistia,* quia haec respicit perfectionem individui per se, illa vero per accidens. Relate autem ad *Ordinem* Poenitentia est quidem prior ordine naturae, inquantum ipsa respicit individuum dum Ordo respicit multitudinem, non tamen sub omni respectu, cum ea quae sunt per se (ut Ordo) sint aliunde natura priora his quae sunt per accidens (ut Poenitentia), et ceteroquin Ordo simpliciter antecedat Poenitentiam ordine excellentiae, utpote ad bonum commune ordinatus et propius accedens ad Eucharistiam, quae est finis sacramentorum.

Dices 2. In morte Christi, cum Salvator exclamavit: "Consummatum est", lex antiqua cessavit et consequenter eius etiam sacramenta quae ad ipsius essentiam pertinent; ergo ipso eodem momento nova lex eiusque sacramenta obligare ceperunt, non vero aliquo posteriori tempore, secus per aliquod tempus homines fuissent sine ulla lege; ergo Poenitentia, sicut et cetera omnia sacramenta novae legis, ante mortem Christi institui debuit.

Resp. In morte Christi lex antiqua cessavit sed non simpliciter, lex nova incepit sed non simpliciter; utrumque simpliciter factum est tempore quo evangelium divulgatum est; tempore autem inter mortem Christi et evangelii divulgationem[47] utraque lex observari poterat, quamvis sub diversa ratione et fine. Ad quorum intelligentiam recolenda est *celebris controversia* inter *Hieronymum* (cf. praecipue Comm. in Gal. 2, 2 sqq.; Epist. 112, 4 sqq.) et *Augustinum* (cf. praecipue Epist. 82, 1 sqq.; Epist. 40, 4, 4 sq.) de modo et tempore abrogationis antiquae legis.[48]

Eam sic apte exponit *S. Thomas, 1–2, q. 103, a. 4, ad 1:* "Circa hoc diversimode sensisse videntur Hieronymus et Augustinus. *Hieronymus* enim distinxit duo tempora: unum tempus ante passionem Christi, in quo legalia non erant mortua, quasi non habentia vim obligatoriam aut expiativam pro suo modo; nec etiam mortifera, quia non peccabant ea observantes; statim autem post passionem Christi incoeperunt esse non solum mortua, id est, non habentia virtutem et obligationem, sed etiam mortifera, ita scilicet quod peccabant mortaliter quicumque ea observabant. Unde dicebat quod apostoli numquam legalia observaverunt post passionem secundum veritatem, sed solum quadam pia simulatione, ne scilicet scandalizarent Judaeos, et eorum conversionem impedirent. Quae quidem simulatio sic intelligenda est, non quidem ita quod illos actus secundum rei veritatem non facerent, sed quia non faciebant tanquam legis caeremonias observantes; sicut si quis pelliculam virilis membri abscinderet propter sanitatem, non causa legalis circumcisionis observandae.

"Sed quia indecens videtur quod apostoli ea occultarent propter scandalum quae pertinent ad veritatem vitae et doctrinae, et quod simulatione uterentur in his quae pertinent ad salutem fidelium; ideo convenientius *Augustinus* distinxit tria tempora; unum quidem ante Christi passionem, in quo legalia neque erant mortifera, neque mortua; aliud autem post tempus Evangelii divulgati, in quo legalia sunt mortua et mortifera; tertium autem est tempus medium, scilicet a passione Christi usque ad divulgationem Evangelii; in quo legalia quidem fuerunt mortua, quia neque vim aliquam habebant, neque aliquis ea observare tenebatur; non tamen fuerunt mortifera, quia illi qui conversi erant ad Christum ex Judaeis, poterant illa legalia licite observare, dummodo non sic ponerent spem in eis quod ea reputarent sibi necessaria ad salutem, quasi sine legalibus fides Christi justificare non posset.

"His autem qui convertebantur ex gentilitate ad Christum, non inerat causa ut ea observarent. Et ideo Paulus circumcidit Timotheum,

[47] De determinatione temporis huius divulgationis confer tractatum De Baptismo, art. 2, p. 34–36.

[48] De hac controversia confer etiam tractatum De Baptismo, ibidem.

qui ex matre Judaea genitus erat; Titum autem, qui ex gentilibus natus erat, circumcidere noluit.

"Ideo autem noluit Spiritus sanctus ut statim inhiberetur his qui ex Judaeis convertebantur, observatio legalium, sicut inhibebatur his qui ex gentilibus convertebantur, gentilitatis ritus ut quaedam differentia inter hos ritus ostenderetur. Nam gentilitatis ritus repudiabatur tanquam omnino illicitus et a Deo semper prohibitus; ritus autem legis cessabat, tanquam impletus per Christi passionem, utpote a Deo in figuram Christi institutus."

Quae ultima verba sic belle commentatur *Cajetanus* (In h. l.): "Quare autem quodam tempore tantum, scilicet usque ad divulgationem Evangelii, licuerit servare eadem ut mortua, est quia usque ad tumulum tantum mortua persona, ut mortua tamen, custoditur. Unde Spiritus Sancti auctoritate, ut in littera [S. Thomae] dicitur, quasi dispensative concessum est tempus, non mentiendi facto, quia non est concessum ut uterentur eis ut vivis, sic enim profitentur Christum nasciturum, passurum, etc.; sed deferendi mortuam Synagogam, matrem, cum honore ad tumulum. Tunc quippe tumulata est, quando Evangelium divulgatum. Propter quod nunc nec ut viva, propter mendacium, nec ut mortua, propter sepulturam, iam servari possunt caeremonialia illa absque peccato mortali."

Sententia *Augustini*, a. *S. Thoma* aliisque theologis amplexa, sancita ac veluti "canonizata est" (ut ait Cajetanus) ab ipso *Conc. Florentino*, Decr. pro Jacobitis, his verbis: "Firmiter credit [Ecclesia] . . . legalia Veteris Testamenti . . . Christo adveniente cessasse. . . Non tamen negat a Christi passione usque ad promulgatum Evangelium illa potuisse servari, dum tamen minime ad salutem necessaria crederentur, sed post promulgatum Evangelium sine interitu salutis aeternae asserit non posse servari" (Denz. 712).

Juxta hanc igitur sententiam intelligitur Christus congruenter reservasse institutionem quorundam sacramentorum (scilicet Poenitentiae, et probabiliter Confirmationis, Extremae Unctionis ac Matrimonii) tempori post passionem, quando nondum lex nova definitive obligare ceperat ac tantum in actu primo constituta erat. Ad usum sacramenti Poenitentiae quod attinet, tempore inter mortem Christi et institutionem illius (triduo mortis) poterant Judaei christiani uti veteri sacramento Poenitentiae, tempore vero sequenti usque ad divulgationem evangelii utroque sacramento uti licuit.

Ad complementum huius quaestionis notandum est quod, proportionaliter cum his quae de ipsa Baptismi institutione diximus in tractatu De Baptismo (art. 2, p. 36), quamvis proprie loquendo hoc sacra-

mentum fuerit institutum ipsa die resurrectionis in Joan. 20, 23, *late tamen dici potest eius institutionem incepisse longe ante passionem in principio ministerii Christi et terminatam esse ipsa ultima die Ascensionis*, quatenus Christus paulatim per varias occasiones explicaverit quid instituturus erat vel quid instituerat.

Ut enim observat *S. Thomas* (hic in corp.; cf. In 4 Sent., dist. 22, q. 2, a. 3, q. 3, ad 2), initio sui ministerii Dominus *materiam* huius sacramenti proposuit, cum "indixit hominibus ut non solum poeniterent, sed etiam poenitentiam agerent, significans determinatos modos actuum qui requiruntur ad hoc sacramentum"; subinde (ut taceamus de variis allusionibus ad potestatem clavium, contentis in eius modo agendi erga peccatores, de quibus dictum est in art. praec., p. 70 sq.) *formam* et generalem indolem potestativam sacramenti proposuit, et quidem sub asseveranti forma promissionis, in Matth. 16, 19 et 18, 18; tandem post ipsam institutionem, immediate ante Ascensionem, explicavit efficaciam et *effectum* sacramenti, jubens "praedicari in nomine ejus poenitentiam, et remissionem peccatorum in omnes gentes" (Luc. 24, 47).

Propterea *Conc. Tridentinum* (sess. 14, cap. 1) ait Christum hoc sacramentum "tunc *praecipue* instituisse", cum ipsa die Resurrectionis verba Joan. 20, 23 pronuntiavit.

CAPUT II

DE ESSENTIA PHYSICA HUIUS SACRAMENTI, SEU DE EIUS MATERIA ET FORMA IN COMMUNI

Ut vidimus in tractatu De sacr. in gen., duplex distinguitur essentia sacramenti, altera metaphysica, quae componitur ex signo et signato, altera physica, ipsum nempe subiectum relationis signi sacramentalis, compositum ex duobus elementis quae simpliciter materia et forma dici solent. Essentia metaphysica huius sacramenti, quae tota specificatur ac desumitur ex eius gratia sacramentali, considerabitur aequivalenter in Cap. VIII ubi de effectu Poenitentiae. Essentia vero physica dupliciter considerari potest, in communi nempe et in particulari quoad singulas partes, nam proprium est ac peculiare huic sacramento, praeter materiam et formam, partes habere in ipsa eius materia.

In hoc igitur capite consideratur *PHYSICA ESSENTIA* Poenitentiae veluti in communi, relicta sequentibus capitibus (Cap. III–VII) distincta expositione singularum partium, i.e. contritionis, confessionis, satisfactionis et absolutionis. Prima autem consideratio erit *de actibus poenitentis et absolutione sacerdotis*, prout concurrunt ad hoc sacramentum sive ut necessarium requisitum (contra Protestantes), sive ut partes essentiales seu ut materia et forma (contra Scotistas), sive ut partes integrales ipsius materiae (quod valet de solis actibus poenitentis). Altera consideratio erit *de peccatis*, prout sunt materia remota huius sacramenti.

Inde *divisio* huius capitis in 7 articulos:

Art. 3. Utrum sacramentum Poenitentiae consistat in absolutione sacerdotis et tribus actibus poenitentis.

Art. 4. Utrum sacramentum Poenitentiae consistat essentialiter in tribus actibus poenitentis et absolutione sacerdotis, tanquam in materia et forma.

Art. 5. Utrum actus poenitentis sint partes integrales materiae Poenitentiae.

Art. 6. Utrum peccata sint materia remota huius sacramenti.

Art. 7. Utrum omnia peccata, commissa post Baptismum, sint propria materia sacramenti Poenitentiae.

Art. 8. Utrum peccata commissa ante Baptismum, sint materia sacramenti Poenitentiae.

Art. 9. Utrum peccata Baptismum concomitantia, sint materia sacramenti Poenitentiae.

S. Thomas primam quaestionem de forma et materia proxima essentialiter resolvit in q. 84, a. 1 et complet in q. 90 (ubi considerat actus poenitentis ut partes integrales), alteram vero quaestionem de materia remota, seu peccatis, directe ponit in q. 84, a. 2 et complet in q. 69, a. 10, ad 2 et 3, ubi occasione sermonis de reviviscentia Baptismi, considerat diversam habitudinem utriusque sacramenti mortuorum ad remissionem peccatorum.

ART. 3. Utrum Sacramentum Poenitentiae Consistat In Absolutione Sacerdotis Et Tribus Actibus Poenitentis, Scilicet Contritione, Confessione Et Satisfactione (q. 84, a. 1; q. 90, a. 2).

STATUS QUAESTIONIS

Quaestio ponitur tantum modo generali *CONTRA PROTESTANTES de his quae pertinent ad fidem catholicam,* seu quae quomodolibet, sive intrinsece et constitutive, sive extrinsece et integrative aut conditionaliter, concurrunt efficaciter ad hoc sacramentum, ita ut fere sonet: Utrum absolutio, contritio, confessio et satisfactio sint partes salutaris Poenitentiae, seu tot requisita ad hoc ut sacramentum compleatur et suam vim exerat in remissionem peccatorum.

PARS NEGATIVA

PROTESTANTES omnes, tam Lutherani quam Calvinistae, negant absolutionem, contritionem, confessionem et satisfactionem, intellectas in sensu catholico, esse partes Poenitentiae, cuius ceterum sacramentalem indolem, prout a Baptismo distinctam, reiciunt, ut dictum est in art. 1.

Juxta ipsos Poenitentia *consistit* essentialiter in mutatione vitae vel potius *in proposito mutandi vitam* (en contritio, sensu protestantico) eiusque *partes,* seu quasi causae ex quibus ipsa resultat, sunt duae, scilicet *terrores* incussi conscientiae ex agnitione peccati et judicii divini (en, si placet, confessio protestantica) et *fides seu fiducia* qua quis credit sibi per satisfactionem Christi remitti peccata (en unica satisfactio), concepta ex auditione evangelii cum concursu absolutionis sacerdotis, evangelicas promissiones declarantis (en absolutio). *Calvinus* (Inst. christ., l. 3, c. 3, n. 1 sqq.) diversa verba adhibet, docens Poenitentiam consistere in mortificatione et vivificatione, sed eandem doctrinam docet, mortificationem intelligens terrores conscientiae, vivificationem vero effectum fidei.

Ad hanc doctrinam ducuntur ex *duplici fundamentali principio* de totali naturae corruptione per peccatum originale et de justificatione per solam fidem seu fiduciam in merita Christi.

Homo scilicet per peccatum originale ita in sua natura corruptus et in sua voluntate diminutus est, ut absolute non possit non peccare aut aliquem elicere voluntatis actum quo contrarietur peccato. Hinc poenitentia nequit consistere in aliquo actu contritionis in sensu catholico, que nempe voluntas contrarietur peccato ipsumque odio habeat.

Ex agnitione sui peccati et divini judicii homo concipit tantum terrorem quemdam conscientiae, qui sit veluti passiva quaedam contritio. At insimul ex auditione evangelii promittentis remissionem, seu non imputationem peccatorum ob merita et satisfactionem Christi (haec est unica satisfactio, i.e. satisfactio Christi nobis imputata), concurrente etiam ministro qui suis verbis seu absolutione declarat et recolit evangelicam promissionem, homo concipit sensum fiduciae et elicit voluntarium actum fidei, quo credit per merita Christi sibi remitti peccata et justificari, seu sibi non sua peccata sed justitiam Christi imputari.

In hoc actu fidei, ex subiectivo terrore et obiectiva promissione generato, *propria ratio poenitentiae* et propria causa justificationis consistit. In ipso solo invenitur quidquid activi et liberi importatur in poenitentia; in ipso consistit vel in ipso continetur propositum mutandi vitam (contritio), quod nihil aliud esse potest quam voluntas ut peccata non imputentur sed justitia Christi imputetur; ipse est causa justificationis, seu non imputationis peccatorum et imputationis justitiae Christi.

Unde, si velimus doctrinam Protestantium ad theologicos terminos reducere, Poenitentia complectitur duas partes, terrores conscientiae et fidem in Christo, in quibus tota eius essentia et causae inveniuntur; consistit autem *praesuppositive* in terroribus; *formaliter specificative* in actu fidei; *formaliter reduplicative* in proposito mutandi vitam, i.e. in actu fidei prout importat tale propositum; *consecutive* in mutatione vitae, seu in ipsa justificatione qua non proprie vita mutatur aut peccata tolluntur, sed vita et justitia Christi nobis imputantur et peccata nostra non computantur.

Haec doctrina, cuius extensio et applicationes exponentur in sequentibus quaestionibus de contritione, confessione, satisfactione et absolutione, continetur praecipue apud *Lutherum,* Serm. de poenitentia; De capt. babyl. (ubi de sacramento Poenitentiae); Articuli Smalkaldici, part. 3, a. 3, n. 3. 10. 11. 18; *Melanchthonium,* Confessio Augustana, a. 12; Apologia Confessionis Augustana, a. 12; *Calvinum,* Inst. christ., l. 3, c. 3, n. 1 sqq.

Verba *Lutheri* confer infra ubi de condemnatione Leonis X.

Articuli Smalkaldici (opera Lutheri confecti): "Impossibile fuit pontificios recte docere de paenitentia, cum verum peccatum non agnoverint. Nam . . . de peccato originali non recte sentiunt, qui aiunt naturales vires hominis mansisse omnino integras et incorruptas, et . . . voluntatem posse ea quae docentur praestare, et Deum certo donare gratiam suam, cum homo tantum facit quantum in se est secundum liberum arbitrium" (part. 3, a. 3, n. 10).[1]

Confessio Augustana, a. 12, sic exprimit verba ipsa condemnata in can. 4 Conc. Trid.: "Constat . . . paenitentia proprie his duabus partibus. Altera est contritio seu terrores incussi conscientiae agnito peccato; altera est fides, quae concipitur ex Evangelio seu absolutione, et credit propter Christum remitti peccata, et consolatur conscientiam et ex terroribus liberat."[2]

Confessio Helvetica (a. 1562), c. 14, sic Poenitentiam describit: "Per poenitentiam intelligimus mentis in homine peccatore resipiscentiam, verbo evangelii et Spiritu sancto excitatam, fideque vera acceptam, quo protinus homo, peccata, agnatam sibi corruptionem peccataque sua omnia, per verbum Dei accusata, agnoscit, ac de his ex corde dolet, eademque coram Deo non tantum deplorat et fatetur ingenue cum pudore, sed etiam cum indignatione execratur, cogitans jam sedulo de emendatione et perpetuo innocentiae virtutumque studio, in quo sese omnibus diebus vitae reliquis sancta exerceat."[3]

Confessio Erlau (a. 1562) hanc formulam scholasticam proponit: "Causa paenitentiae efficiens gratia Dei; meritum paenitentiae, Christus; formalis causa, Spiritus sanctus; instrumentalis, fides cum verbo; finalis, nova obedientia."[4]

Eadem doctrina sic breviter resumitur et condemnatur in *documentis Ecclesiae:*

Conc. Trid., sess. 14, cap. 8 et can. 13: "Optima poenitentia nova vita"; cap. 3 et can. 4: "Duae tantum sunt poenitentiae partes, terrores scilicet . . . et fidem"; cap. 8 et can. 12: "Satisfactio poenitentium non est alia quam fides, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse".

Secunda et decima ex duodecim propositionibus, *examini theologorum tridentinorum* propositis:[5] "Non esse tres paenitentiae partes, contritionem, confessionem et satisfactionem, sed duas tantum, terrores scilicet incussos conscientiis, agnito peccato, et fidem conceptam ex

[1] Apud *J. T. Müller*, Die symbolischen Bücher der evangelisch-lutherischen Kirche, Gütersloh, 1898, p. 313.
[2] Apud *J. T. Müller*, op. cit., p. 41.
[3] *E. F. K. Müller*, Die Bekenntnisschriften der reformierten Kirche, Leipzig, 1903, p. 189.
[4] *E. F. K. Müller*, op. cit., p. 289.
[5] Apud *A Theiner*, Acta genuina Conc. Tridentini, Zagabriae, 1874, t. 1, p. 531 sq.

evangelio, vel absolutione qua credit quis sibi per Christum esse remissa peccata. Totam poenam et culpam simul remitti semper a Deo, satisfactionemque paenitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; ideoque satisfactiones canonicas, quondam exempli gratia, vel disciplinae, vel probandi fideles causa, fuisse a patribus institutas et in concilio Nicaeno exortas; numquam autem ad remissionem poenae."

Quinta et septima ex propositionibus Lutheri, damnatis a *Leone X*, in Bulla "Exurge Domine", 15 junii 1520: "Tres esse partes poenitentiae: contritionem, confessionem et satisfactionem, non est fundatum in sacra Scriptura nec antiquis sanctis christianis doctoribus. Verissimum est proverbium et omnium doctrina de contritionibus huc usque data praestantius: de cetero non facere, summa poenitentia: optima poenitentia, nova vita" (Denz. 745, 747).

PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica.

De fide est definita a Conc. Trid. (can. 4 et 9) absolutionem, contritionem, confessionem et satisfactionem, ita pertinere ad sacramentum Poenitentiae ut sine eis nequeat fieri perfecta et integra remissio peccatorum; item tres praedictos actus poenitentis esse quasi materiam et partes secramenti Poenitentiae.

Saltem theologice certum est ex eodem Concilio (cap. 3) tres illos actus pertinere ad integritatem sacramenti et hoc sensu vocari partes sacramenti.

An et quaenam nota theologica sit assignanda duplici propositioni quae docet eos requiri ad ipsam existentiam sacramenti et eos esse partes intrinsece constitutivas essentiae sacramenti, dicetur in art. seq.

Documenta Ecclesiae.

Omittimus documenta, proprio loco citanda, quae respiciunt singillatim necessitatem absolutionis, contritionis, confessionis et satisfactionis.

Leo I, cit. in art. 1 (p. 61 sq.), quattuor praedictos actus ad Poenitentiam necessarios dicit.

Conc. Constantiense, cit. in art. 1 (p. 63), quatuor actus ad poenitentiam requisitos citat.

Conc. Florentinum, cit. ibidem (p. 63), referens eosdem quatuor actus poenitentiae, contritionem, confessionem et satisfactionem vocat *quasi materiam* sacramenti, distinctam in tres partes. Quam doctrinam suam facit Conc. Tridentinum.

Leo X, modo citatus (p. 159), contra Lutherum. Confer praeterea alias Lutheri propositiones in Bulla eiusdem Leonis damnatas (Denz. 748–754), quarum quasdam retulimus in art. 1 (p. 51).

CONC. TRIDENTINUM.[6]

Sess. 6, cap. 14, cit. in art. 1 (p. 64) docet poenitentiam postbaptismalem *continere* non solum contritionem, sed etiam confessionem absolutionem et satisfactionem.

Sess. 14 de Poenitentia, cap. 2, cit. ibidem (p. 65 sq.) aequivalenter exhibet quatuor praedictos actus; praeterea ad eos alludens, loquitur de "materia et forma", inquiens "hoc sacramentum a baptismo . . . *materia et forma, quibus sacramenti essentia perficitur*, longissime dissidere".

Ibid., *cap. 3:* "De *partibus* . . . poenitentiae. . . Sunt autem *quasi materia* huius sacramenti ipsius poenitentis actus, nempe contritio, confessio et satisfactio. Qui quatenus in poenitente *ad integritatem sacramenti*, ad plenamque et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione poenitentiae partes dicuntur. . . Haec de partibus . . . huius sacramenti sancta Synodus tradens simul eorum sententias damnat, qui poenitentiae partes incussos conscientiae terrores et fidem esse contendunt" (Denz. 896).

Ibid., *can. 4:* "Si quis negaverit, ad *integram* et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in poenitente *quasi materiam* sacramenti poenitentiae, videlicet contritionem, confessionem et satisfactionem, quae *tres poenitentiae partes* dicuntur; aut dixerit, duas tantum esse poenitentiae partes, terrores scilicet incussos conscientiae agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata: A.S." (Denz. 914).

In hoc canone quatuor definiuntur: ad plenam remissionem intrasacramentalem requiri tres actus poenitentis; hos esse quasi materiam; item dici tres partes; haeresim esse doctrinam Protestantium.

Nihil de remissione extrasacramentali decernitur. Apte fit sermo de integra et perfecta remissione, i.e. etiam quoad poenam, ut ita congruentius inducatur satisfactio simpliciter et absque ulla distinctione voti et facti. Omittitur mentio integritatis sacramenti eiusque identitatis cum ratione partium, de quo in cap. 3; ceterum id aequivalenter continetur in ratione quasi materiae. Quid Concilium intendat voce "quasi materia" explicat Catechismus Conc. Trid. modo citandus. Ceterum ipsum Concilium in cap. 2 supra cit. adhibet simpliciter vocem "materia".

[6] Cf. *Cavallera*, Le décret du concile de Trente sur la pénitence et l'extrême-onction, in Bull. de litt. eccl., 1924; *Dict. Théol. Cath.*, art. Pénitence, col. 1069 sqq.

Ibid., *can. 12:* "Si quis dixerit, totam poenam simul cum culpa remitti semper a Deo, satisfactionemque poenitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse: A.S." (Denz. 922).

Catechismus Conc. Trid., p. 2, c. 5, q. 13, vim doctrinae Concilii sic aperit: "Quoniam nihil fideli populo notius esse debet, quam *hujus sacramenti materia;* docendum est, in eo maxime hoc sacramentum ab aliis differre, quod *aliorum sacramentorum materia* est res aliqua naturalis, vel arte effecta: sacramenti vero poenitentiae *quasi materia* sunt actus poenitentis, nempe contritio, confessio et satisfactio, ut a Tridentina Synodo declaratum est; qui, quatenus in poenitente ad *integritatem sacramenti,* et plenam ac perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione *partes poenitentiae* dicuntur. Neque vero hi actus quasi materia a sancta Synodo appellantur, quia *verae materiae* rationem non habeant: sed quia ejus generis materia non sint, quae extrinsecus adhibeatur, ut aqua in baptismo, et chrisma in confirmatione. Quod autem ab aliis dictum est, peccata ipsa hujus sacramenti materiam esse, nihil plane diversum dici videbitur, si diligenter attendamus. Ut enim ignis materiam ligna esse dicimus, quae vi ignis consumuntur; ita peccata, quae poenitentia delentur, recte hujus sacramenti materia vocari possunt."

Rituale Romanum, tit. 3, cap. 1 De Sacramento Poenitentiae: "Cum . . . ad illud [sacramentum] *constituendum tria concurrant, materia, forma, et minister:* illius quidem remota materia sunt peccata, *proxima* vero sunt actus poenitentis, nempe contritio, confessio, et satisfactio. Forma autem, illa absolutionis verba: 'Ego te absolvo, etc.' "

CONCLUSIO

Sacramentum Poenitentiae consistit in absolutione sacerdotis et tribus actibus poenitentis, scilicet contritione, confessione et satisfactione (q. 84, a. 1; q. 90, a. 2).

Probatur 1. *Ex Patribus.*

Res colligitur singillatim quoad unumquemque ex praedictis actibus ex variis textibus citatis in art. 1 et citandis in capitibus seqq. ubi erit sermo de unoquoque illorum. Patrum doctrina bene resumitur in verbis *Leonis I*, cit. in art. 1 (p. 61 sq.).

Probatur 2. *Ex indole huius sacramenti* inquantum est poenitentia et inquantum est judicium poenitentiale, juxta doctrinam Scripturae et Patrum statutam in art. 1.

Primo enim, hoc sacramentum est *poenitentia;* ergo qua tale importat actus poenitentis (et quidem exteriores, utpote sacramentum), nempe contritionem, confessionem peccati, saltem quae generaliter includitur in ipsa contritione exterius manifestata, et quamdam voluntatem satisfaciendi, quae includitur in ipsa contritione.

Secundo, est verum *judicium;* ergo importat tum sententiam judicis seu sacerdotis, tum cognitionem causae.

Tertio, est *judicium de peccatis remittendis,* ergo importat tum sententiam remissivam seu absolutionem, tum cognitionem causae per ipsam confessionem rei, cum non aliter actus internus peccati innotescere possit.

Quarto et praecipue, est judicium non vindicativum sed *remissivum,* nec tamen simpliciter remissivum sed *reconciliativum,* quod nempe fit per quamdam compensationem; ergo importat duplicem actionem, actionem nempe seu sententiam offensi remittentis (absolutionem) et actionem offendentis, reparantis ac compensantis, quae triplex est: voluntas reparandi et compensandi (contritio), recursus seu subiectio arbitrio offensi qui debet de causa inquirere et judicare (confessio), acceptatio faciendae compensationis eiusque executio (satisfactio).

Ad rem *S. Thomas, q. 90, a. 2:* "Dictum est . . . supra (qu. lxxxv, art. 3 ad 3), quod alio modo fit recompensatio offensae in poenitentia, et in vindicativa justitia. Nam in vindicativa justitia fit recompensatio secundum arbitrium judicis, non secundum voluntatem offendentis vel offensi; sed in poenitentia fit recompensatio offensae secundum voluntatem peccantis, et secundum arbitrium Dei in quem peccatur, quia hic non quaeritur sola redintegratio aequalitatis justitiae, sicut in justitia vindicativa; sed magis reconciliatio amicitiae, quod fit dum offendens recompensat secundum voluntatem ejus quem offendit. Sic igitur requiritur ex parte poenitentis, primo quidem voluntas recompensandi, quod fit per contritionem; secundo quod se subjiciat arbitrio sacerdotis loco Dei, quod fit in confessione; tertio quod recompenset secundum arbitrium ministri Dei, quod fit in satisfactione. Et ideo contritio, confessio et satisfactio ponuntur partes poenitentiae."

Probatur 3. *Directe contra Protestantes.*

Ex dictis per exclusionem ostenditur *falsa sententia Novatorum,* omissa interim falsitate gemini fundamentalis eius principii de effectu peccati originalis et de justificatione per solam fidem, cuius confutatio spectat praecipue ad tractatum De Gratia. Nam terrores conscientiae et fiducia in merita Christi non sunt nec contritio, nec confessio, nec satisfactio, nec absolutio, sed ab his actibus prorsus abstrahunt.

Praeterea, directe ostenditur praedictos terrores et fidem non pertinere ad Poenitentiam:

Et primo quoad terrores conscientiae.

Poenitentia est actus rationis, terrores vero qui oriuntur ex conscientia seu cognitione peccati et judicii divini, sunt potius motus appetitus sensitivi, communes etiam illis qui carent usu rationis, ut infantibus, vel ipsa ratione, seu brutis.

Poenitentia, juxta sensum communem, intelligitur quid liberum et voluntarium quod ab homine agitur, terrores vero sunt quid involuntarium quod homo patitur.

Timor intelligitur praecedere Poenitentiam, ex timore enim quis inducitur ad dolendum de patratis eaque revocanda et corrigenda; unde non est pars Poenitentiae.

Terrores nec necessario connectuntur cum Poenitentia; potest enim adesse Poenitentia quin adsint terrores, ut cum quis poenitet ex motivo amoris, juxta illud Luc. 7, 47: "Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum", et possunt adesse terrores quin adsit Poenitentia, ut patet de Baltassar rege (Dan. 5, 6. 9. 22 sq.), Antiocho (2 Mach. 9, 11 sqq.), Felice praeside (Act. 24, 25) et ipsis daemonibus qui, juxta Jac. 2, 19, "credunt, et contremiscunt."

Secundo quoad fidem seu fiduciam in Christum.

Haec fides aut intelligitur *theologica* et in sensu catholico, illa nempe qua assentimur veritatibus revelatis (puta de remissione peccatorum per merita Christi), et tunc manifeste praecedit Poenitentiam eamque fundat, juxta Joan. 3, 5: "Crediderunt viri Ninivitae in Deum, et praedicaverunt jejunium, et vestiti sunt saccis", aut intelligitur ut *fiducia in remissionem peccatorum,* et quidem vel ut fiducia in remissionem faciendam, et tunc iterum praecedit Poenitentiam quia ex ea movetur homo ad poenitendum, vel ut fiducia in remissionem factam (quo modo a Protestantibus videtur accipi), et tunc subsequitur Poenitentiam quia subsequitur ipsam remissionem peccatorum ad quam Poenitentia ordinatur.

Similiter *mortificatio et vivificatio,* a Calvino invocatae, quomodolibet intelligantur, non sunt partes poenitentiae.

Mortificatio enim vel intelligitur tantum passive, nempe pro ipsis terroribus conscientiae (ut intelligit Calvinus in l. c. Instit. christ.), et tunc nequit esse pars Poenitentiae ut dictum est, vel sumitur active, in proprio sensu refrenationis pravarum passionum (ut quandoque videtur sumi a Calvino eiusque asseclis), et tunc nequit constituere Poenitentiam, tum quia haec juxta Scripturam est via ad justificatio-

nem (cf. Ezech. 18, 21 sq.; Act. 2, 38; 3, 19; 8, 22) dum mortificatio, fatente Calvino, est fructus fidei justificantis, tum quia datur mortificatio ubi non datur Poenitentia, scilicet in justis, qui qua tales non indigent Poenitentia, indigent vero mortificatione.

Vivificatio pariter sive intelligatur proprie et in sensu catholico pro studio bene vivendi, sive in speciali sensu quem ei tribuit Calvinus (l. c. Instit. christ.), pro consolatione nempe quae sit fructus fidei justificantis, subsequitur Poenitentiam quia subsequitur ipsam justificationem vel ipsum actum fidei justificantis, in quo juxta Protestantes resolvitur Poenitentia. Nec ceterum vivificatio est propria poenitentium, sed etiam et maxime justorum qui Poenitentia non indigent.

ART. 4. Utrum Sacramentum Poenitentiae Consistat Essentialiter In Tribus Actibus Poenitentis Et Absolutione Sacerdotis Tanquam In Materia Et Forma (q. 84, a. 1, corp. et ad 1. 2. 3; a. 2; a. 3, corp. et ad 3; a. 4, ad 3; q. 86, a. 6; q. 90, a. 1, corp. et ad 2. 3; a. 2; a. 3).

STATUS QUAESTIONIS

Haec quaestio, *INTER THEOLOGOS DISPUTATA*, non parvum habet momentum tum dogmaticum, ob immediatum ejus nexum cum fidei doctrina statuta in art. praec., tum stricte theologicum, ob controversias theologorum et ob intimum vinculum cum sacramentali indole Poenitentiae et generali doctrina de sacramento in communi.

Tria autem in titulo articuli involvuntur:

1. An praedicti actus necessario requirantur *ad existentiam seu valorem sacramenti.*

2. An pertineant etiam *ad essentiam sacramenti,* ita ut sint partes eius constitutivae, seu materia et forma, et ita quidem ut actus poenitentis sint materia, absolutio vero sit forma.

3. An *omnes et soli praedicti actus* pertineant ad essentiam sacramenti.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

Conveniunt theologi quoad tria:

1. Ad existentiam sacramenti interiores actus poenitentis absolute requiri, cum absque cooperatione hominis remissio peccati actualis fieri nequeat, exteriores vero actus poenitentis saltem regulariter requiri (ita ut sine illis sacramentum sit invalidum) ob divinam institutionem sacramenti per modum judicii et consequens praeceptum exterioris contritionis et confessionis.

2. Absolutionem pertinere ad ipsam essentiam sacramenti, saltem tanquam praecipuam partem et formam.

3. Satisfactionem secundum eius impletionem, seu executionem, non requiri ad existentiam nec pertinere ad essentiam sacramenti, sed esse tantummodo partem integralem.

Punctum vero controversiae est triplex:

1. An *externi actus poenitentis* (contritio, confessio et manifestatum propositum satisfactionis) sint absolute necessarii ad existentiam sacramenti.

2. An *iidem actus poenitentis* pertineant etiam ad essentiam sacramenti, nec sint tantum externae conditiones requisitae ad valorem absolutionis.

3. An omnes et soli *actus poenitentis et absolutio* pertineant ad essentiam sacramenti, ita ut sint excludendae satisfactio in re et manuum impositio, non vero satisfactio in proposito, contritio aut absolutio.

Theologorum sententiae ad quatuor reduci possunt: tres negativas, unam affirmativam. Prima quae est paucorum modernorum, respondet negative ad primam quaestionem; secunda, quae est plurimorum Scotistarum, respondet negative ad alteram; tertia, quae est aliquorum antiquorum, respondet negative ad tertiam; quarta, quae est communissima inter antiquos et modernos, respondet affirmative ad tres quaestiones.

Sit brevis expositio trium praesertim sententiarum negativarum, antequam affirmativam per triplicem Conclusionem statuamus.

PRIMA SENTENTIA negativa.

Ex quatuor actibus exterioribus concurrentibus in ritum Poenitentiae, *sola absolutio, simpliciter et in omni casu, requiritur ad existentiam seu valorem sacramenti,* ita ut, suppositis interioribus dispositionibus subiecti, etiamsi exterius nullatenus manifestentur, possit valida esse absolutio validumque sacramentum, ubi nempe impossibilis sit externa manifestatio interiorum actuum, aliunde requisita a divina institutione huius sacramenti per modum judicii et consequente praecepto exterioris contritionis et confessionis.

Unde tota essentia sacramenti consistit in absolutione, i.e. in sola forma. Ceterum, si placet distinguere materiam et formam, absolutio utriusque rationem habet; nam, ut mera caeremonia est materia, ut habens vero vim significandi est forma, vel aliter, ut significans remissionem est materia, ut eam efficiens est forma.

Actus autem poenitentis nullo modo sunt materia ex qua, seu intrinseca et constituens, sed tantum circa quam; actus quidem interni sunt materia circa quam necessaria, *actus vero externi materia circa quam non absolute necessaria*, sed tantum regulariter, ob divinam institutionem et praeceptum.

Praecipua, imo fere unica, *ratio huius sententiae*, prout saltem distinguitur a sequenti,[7] est praxis hodierna absolvendi moribundos in quibus nullum deprehendatur signum Poenitentiae, seu validitas, ut putant, absolutionis moribundi qui nullum prorsus dederit signum contritionis et confessionis.

Hanc sententiam, cuius probabilia vestigia inveniuntur apud *Scotum* et antiquiores eius discipulos, primus videtur explicite proposuisse *Ballerini* († 1881; tum in notis ad theologiam moralem Gury: *Gury-Ballerini,* tum clarius in suo "Opus morale": *Ballerini-Palmieri*), quem sequitur *Berardi* (Praxis confessarii, t. 4, n. 2) cuique favent *Génicot* (n. 263) et *Noldin* (n. 224) quatenus hanc sententiam non minus probabilem quam alias videntur judicare.

Ballerini, praemisso quod sola absolutio pertinet ad essentiam sacramenti, sic suam sententiam cum doctrina Ecclesiae, in Tridentino statuta, conciliare conatur: "Est tamen alius sensus, quo ad essentiam pertinere, seu essentialis dici queat ac debeat tum contritio tum confessio. Etenim, ut habet allegatus Tridentini locus, isti actus requiri dicuntur *ex Dei institutione* et, prout suo loco dicemus, *ex praecepto;* quatenus scil. Deus Poenitentiae sacramentum instituit a sacerdotibus, locum eius tenentibus, non quovis modo conferendum, sed per modum iudicii. In hoc porro iudicio, ex Christi institutione et praecepto, ipse poenitens (quippe agitur etiam de occultissimis peccatis) debet esse sui accusator ac proinde iudici constituto a Christo peccata sua ipse prodere debet. Ultronea autem haec sui accusatio, ut distinguatur ab historica narratione, exigit plane, ut adiunctum habeat dolorem aliquem aut aliquam displicentiam et accedit, quod in adulto ad reconciliationem cum Deo necessaria sit aliqua eius ad Deum conversio. Ergo alia suppetit ratio, cur contritio aliqua et aliqua confessio ita sit necessaria et essentialis (saltem ex praecepto), ut utraque vel *altera saltem* plane deficiente, sacramentum non modo informe sit, sed plane nullum et invalidum. Dixi deficiente *saltem altera;* nam dispositio aliqua ex Dei institutione, imo aliquo modo ex rei natura necessaria plane est ad adulti iustificationem; quod vero attinet ad peccati accusationem, haec non ita videtur necessaria et essentialis, ut sine ipsa sacramentum confici non possit, ut videbimus, cum sermo erit de absolvendo moribundo sensibus destituto".[8]

Scotus, In 4 Sent., dist. 14, q. 4, n. 2 sq.: "Poenitentia est absolutio

[7] Apte inter has distinguunt *Billot, Galtier, Hervé, Génicot, Cappello, Piscetta* et, jam inter antiquos, *Vasquez* et *Salmanticenses;* immerito vero eas confundunt alii auctores, ut *Pesch, Noldin, Ferreres, Prümmer* et *Lercher.*

[8] *Ballerini-Palmieri,* v. 5, tract. 10 De Sacramentis, sect. 5 De Poenit., n. 8. Prati, 1893, p. 6.

hominis poenitentis, facta certis verbis, cum debita intentione, prolatis a sacerdote, jurisdictionem habente ex institutione divina, efficaciter significantibus absolutionem animae a peccato. . . Dictum est . . . quod *poenitentia est absolutio,* id est, quaedam sententia definitiva absolvens reum".[9]

Ibid., dist. 16, q. 1, n. 7: "De poenitentiae Sacramento dico, quod ista tria [contritio, confessio et satisfactio] *nullo modo sunt partes ejus,* quia, ut dictum est dist. 14. poenitentia Sacramentum est illa absolutio Sacramentalis facta certis verbis, etc. Hujus autem nulla pars est contritio, quae est quoddam spirituale in anima, neque confessio, quia nihil est ipsius sententiae Sacerdotis, sed actus rei accusantis se; neque satisfactio, sed sequitur illam absolutionem sacramentalem. *Haec tamen tria ad Sacramentum Poenitentiae ad hoc, ut digne recipiatur, requiruntur,* vel praevia, vel sequentia. Simpliciter enim requiritur confessio, quia Sacerdos non absolvit reum, arbitrarie nisi prius reus sibi fuerit accusatus in foro illo, non est etiam utilis illa absolutio, nisi praecedat in confitente aliqua contritio vel attritio. . . Satisfactio autem debet sequi Sacramentum Poenitentiae ad hoc, ut habeat efficaciam, et hoc in re vel in voto".[10]

Reportata Parisiensia, In 4 Sent., dist. 16, q. 1, n. 12 sq.: "Si loquamur de poenitentia, quae est Sacramentum, sic dico quod [contritio, confessio et satisfactio] non sunt partes poenitentiae, nisi valde extendendo poenitentiam, quia *poenitentia Sacramentum nihil aliud est, quam forma audibilis verborum prolatorum super poenitentem a Sacerdote.*

"Contra, in definitione ejus superius posita ponuntur illae partes, ut videtur, quia dicitur quod *est hominis poenitentis;* nullus autem est poenitens, nisi secundum aliquod illorum trium, scilicet contritionem, vel confessionem, vel satisfactionem; confessio etiam ibi ponitur, cum dicit *facta a Sacerdote;* igitur sunt partes definiti.

"Respondeo quod illae partes non ponuntur in definitione Sacramenti poenitentiae, quia sunt partes ejus . . . [sed quia] *sunt quaedam dispositiones congruae, et praeambula convenientia ad susceptionem congruam poenitentiae Sacramenti, quae est absolutio facta a Sacerdote certis verbis.* Absolutio enim sacramentalis, ex quo significat effectum interiorem invisibilem inesse poenitenti suscipienti Sacramentum, praesupponit et exigit in eo . . . contritionem de peccato cum ejusdem displicentia, et confessionem, sive propalationem ejus cum sua poena consequente, scilicet verecundia et rubore, ad hoc quod poenitens sit capax signi sacramentalis absolutionis, quia est [lege: quae est] Sacramentum poenitentiae. . . Tertia autem pars . . . , scilicet

[9] Opera omnia, t. 18, Parisiis, 1894, p. 139 sq.

[10] Ibid., p. 421.

satisfactio, quae est executio operis laboriosi cum sua poena, sequitur absolutionem et Sacramentum poenitentiae".[11]

Sententiam Scoti alii aliter interpretantur.

Juxta quosdam Scotus docet actus poenitentis non esse absolute necessarios ad sacramentum, sed tantum ad congruam eius susceptionem; ita *Salmanticenses* (n. 75, circa initium), *Ballerini, Galtier* ("Eam tenuit forte Scotus") et *Cappello* ("Hanc opinionem tenet forte Scotus").

Juxta alios Scotus docet illos actus esse necessarias conditiones, negat vero eos esse ullo modo partes sacramenti; ita *Vasquez.*

Juxta alios Scotus docet illos esse non tantum necessarias conditiones sed etiam partes, quamvis tantum integrales, non vero essentiales; ita quidam *Scotistae* praesertim posttridentini.

Unus vel alter benignius quam ipsi eius discipuli, Scotum interpretatur, dicens eum docere actus poenitentis esse quidem partes essentiales sacramenti, non tamen proprie partes materiae (quo sensu Conc. Flor. et Trid. dicunt eos esse quasi materiam) vel non ita ut sint id pro quo in recto supponit sacramentum (hoc enim est tantummodo absolutio).

Attentis verbis Scoti, probabile est, juxta doctrinam vel saltem mentem eius, actus poenitentis non esse absolute necessarios ad valorem sacramenti ("ad hoc ut *digne* recipiatur, requiruntur", "Sunt quaedam dispositiones *congruae*"); probabilius vero Scotus eos actus putat necessarios sed tantum ut conditiones ("Requiruntur", "Absolutio . . . [eos actus] praesupponit et *exigit* . . . ad hoc quod poenitens sit *capax* signi sacramentalis"). Aliae sententiae prorsus ineptae videntur, nam ipse Scotus, antequam neget actus poenitentis esse *"ullo modo partes"* sacramenti, explicite distinguit inter partes subjectivas, essentiales et quantitativas (quas nunc vocamus integrales), inquiens: "Si [tria illa] essent partes poenitentiae, aut ergo integrales aut subjectivae; et accipio integrales communiter ad partes essentiales, et quantitativas" (cit. dist. 16, q. 1, n. 2).

SECUNDA SENTENTIA negativa.

Sola absolutio pertinet ad essentiam huius sacramenti, ita ut haec consistat in sola forma vel ita ut absolutio habeat in se duplicem rationem materiae et formae modo supra explicato quoad praecedentem sententiam. *Actus vero poenitentis sunt tantum conditiones necessario quidem requisitae ad valorem sacramenti,* ac pro tanto *materia circa quam,* vel etiam *partes integrales extrinsecae ipsi essentiae,*

[11] Ibid., t. 24, p. 360.

i.e. partes Poenitentiae prout est totum integrale heterogeneum (sicut caput, pectus, pedes sunt partes hominis), non vero prout est totum essentiale.

Praecipua ratio huius sententiae est quia in sola absolutione salvatur significatio et causalitas huius sacramenti, ut patet tum ex eo quod sola absolutio significat peccatorum remissionem, tum ex eo quod hoc sacramentum est judicium quod in sola sententia essentialiter consistit, tum ex eo quod sola absolutio ponitur a ministro qui conficit totum sacramentum. Confirmatur tum ex *Conc. Trid.* docente actus poenitentium esse quasi materiam huius sacramenti et requiri ad eius integritatem, tum ex *S. Thoma* qui In 4 Sent., dist. 22, q. 2, a. 1, q. 1, ad 2, ait actus poenitentis in hoc sacramento non habere influxum causativum.

Praecursor huius sententiae appellari solet *Card. Robertus Pullus* (Robertus Pulleyn, anglus, † circa 1146), quin tamen id necessario eruatur ex incriminatis eius verbis mox citandis. Eam saltem docuit *Scotus,* supra citatus inter probabiles patronos praecedentis sententiae, *Scotistae* fere omnes (post Conc. Trid. signanter distinguentes inter requisita ad valorem sacramenti et eius partes, atque inter partes integrales et essentiales), inter quos *Frassen* (Scotus Academicus, t. 4, tract. 1, disp. 2, a. 2, q. 2, n. 5 et 8), *Hyquaeus, Bosco, Hieronymus de Montefortino, Herincx, Minges, Sporer,* et paucissimi non scotistae, praesertim *Maldonatus* S.J., quibus accenseri possunt quidam moderni Moralistae, ut *Noldin* et *Génicot,* quatenus aequam probabilitatem concedere videntur huic sententiae et illi quae docet actus poenitentis esse partes essentiales sacramenti.

Robertus Pullus, Sententiae, l. 6, c. 61: "Quid est absolvendo remittit; nisi quod sacramentum remissionis et absolutionis facit? *Absolutio quae peracta confessione super poenitentem a sacerdote fit, sacramentum est, quoniam sacrae rei signum est.* Et cujus sacrae rei est signum, nisi remissionis et absolutionis? Nimirum confitentibus a sacerdote facta a peccatis absolutio remissionem peccatorum, quam antea peperit cordis contritio, designat. A peccatis ergo presbyter solvit, non utique quod peccata dimittat; sed quod dimissa sacramento pandat. Et quid est opus pandi nisi ut consolatio fiat poenitenti?" (M.L. 186, 910).

Scotus supra citatus (p. 166–168).

Maldonatus, De Poenitentia, p. 3, thes. 7, amplectens ut veriorem Scoti opinionem, distincte docet "in poenitentia absolutionem, quatenus est externa quaedam ceremonia, esse materiam; eandem vero, quatenus habet vim significandi, esse formam".

Hieronymus de Montefortino, 3 p., q. 90, a. 1: "Quia sacramentalis absolutio, in qua sita est essentia sacramenti, non est quaecumque absolutio, sed rationalis, humana, modo convenienti sacramento judiciali ferenda et pronuntianda, de necessitate praesupponit in eo qui absolvendus est aliquos actus quibus cognoscatur a judice causa judicanda".

Herincx, p. 4, tr. 4 de paenit., disp. 1, n. 15: "Scotistae communiter existimant actus paenit. vocari quasi materiam, eo quod non sint materia proprie intrinseca et essentialis. . . Quod quidem solum ad modum loquendi pertinere videtur; . . . nam, quod ad rem attinet, satis constat essentiam sive valorem sacramenti non subsistere sine contritione et confessione".

Sporer, Theol. Mor., v. 3, pars 3, n. 18: "Contritio et confessio sunt sine dubio partes essentiales in hoc sensu et hac ratione, quod sine ipsis reipsa habitis simpliciter non possit consistere essentia Sacramenti Poenitentiae seu absolutio legitima et valida. In his terminis omnes consentiunt, et nimis certum est ex Concilio Tridentino. Ratio quoque clara est: quia Sacramentum Poenitentiae tamquam verum iudicium essentialiter consistit in accusatione et absolutione rei; ergo confessio aliqua ita est pars essentialis Sacramenti Poenitentiae, ut sine ea actu habita non possit consistere essentia Sacramenti. Atqui certissimum quoque est, non sufficere confessionem peccatorum quamcumque et quomodocumque factam, sed requiri confessionem dolorosam de peccatis, factam in ordine ad delendum peccatum et Deum reconciliandum; ergo et iam aliquis dolor est ita essentialis pars Poenitentiae Sacramenti, ut sine ipso actu habito Sacramentum subsistere nequeat".

Hyquaeus, in suo Commento in Scotum, sic supradictam sententiam sui magistri et aliorum Scotistarum, exponit ac defendit:

"Circa hanc litteram Doctoris [In 4 Sent., dist. 14, q. 4] plura se offerunt disserenda, et primo non modica est controversia circa illud quod in recto statuit, pro definitione et definito, nempe quod Sacramentum in recto consistat in absolutione; quam sententiam impugnat *Cajet.* 3. part. quaest. 84. art. primo, asserens contrarium definiri in Florentino in decreto unionis Armenorum. *Sotus* in hac dist. quaest. 1. art. 1. dicit a Canonico dicendi more alienam. *Vasquez* autem reprehendit modum loquendi exorbitantem a communi, asserens esse quaestionem de nomine; ita in dictum articulum D. Thomae dubio 2. Secunda sententia est essentiam Poenitentiae consistere in actibus poenitentis tantum, et absolutionem spectare in obliquo, seu ut complementum ad essentiam Sacramenti. Hanc tenent quidam Thomistae, ut *Sotus* supra citatus, ita enim de omnibus Sacramentis disserit, ut visum est supra dist. prima quaest. secunda. Tertia sententia est, Sacramentum constitui essentialiter tam ex absolutione, quam aliis actibus poenitentis. Est *D. Thomae* loco citato, et communior inter modernos ejus discipulos, quam sequuntur antiquiores etiam, ut *D. Bonaventura, Richardus.* . .

"*Conclusio Doctoris tam hic, quam d. 16. quaest. 1. est, consistere in absolutione in recto, requiri autem actus poenitentis in obliquo.* Eandem tenet *Major* et alii . . .; apud Catholicos autem nulla est controversia, quin requirantur omnia necessitate Sacramenti, et ex divina institutione, solum controvertitur quod est fundamentum significationis Sacramentalis. Eandem sententiam etiam docuit *S. Thomas* in 4. dist. 22, quest. 2, art. 1.

"*Probatur conclusio* tanquam Catholica, canonica et ut magis tenens proprietatem significationis Sacramentalis, et specificae hujus Sacramenti contra censuras praemissas. In ejus efficacia tribuitur gratia Sacramentalis, in quo remittuntur peccata, sed horum remissio solum fundatur essentialiter in potestate clavium seu jurisdictione data Sacerdotibus dimittendi aut retinendi peccata, cujus exercitium est absolutio poenitentis; ergo in absolutione consistit efficacia remissionis. . . *Secundo probatur* conclusio: actus poenitentis eatenus requiruntur ad poenitentiam, quatenus necessarii sunt ad actum judicialem; ergo essentia Sacramenti non in ipsis, sed in ipso actu judiciali consistit; et quamvis sine illis perfici non possit, non in virtute tamen ipsorum ligat aut absolvit, sed auctoritatis, cujus est merum exercitium. Probatur antecedens, in primis *contritio non requritur aliter ad poenitentiam quam ad Baptismum peccatoris adulti, sed in hoc requiritur ut dispositio tantum* ut patet ex Trid. sess. 6. cap. 5. 6. 7. non ut aliquid pertinens ad Sacramentum Baptismi essentialiter. . . Item antecedens . . . probatur quantum ad *confessionem,* eam tantum requiri ad formam actus judicialis, et ad informandum

judicem poenitentialem, ex eodem Trid. cap. 5. . . Si [enim] . . . ex forma institutionis sacramentalis poenitentiae per modum judicii colligat Ecclesia institutionem confessionis peccatorum, sequitur ad poenitentiam requiri confessionem quatenus necessaria est ad informationem judicii, ac proinde non aliter, quam ut dicit praecisum ordinem ad actum judicialem, quod est intentum. . . Tertio, probatur antecedens quoad *satisfactionem,* quae est tertius actus poenitentis, quia antequam ipsa completur, perficitur Sacramentum poenitentiae. . . Ex hoc argumento patet antecedens universim quoad tres actus poenitentiae; non magis Concilia definiunt confessionem et contritionem esse materiam poenitentiae, quam satisfactionem, quia uniformiter et sine discrimine illos tres actus statuunt materiam; sed certum est quod satisfactio non spectet ad essentiam Sacramenti, ergo neque aliae. . .

"*Secunda conclusio: Actus poenitentis sunt materia in obliquo hujus Sacramenti,* et sic requiruntur ad ejus integritatem, sine quibus forma non haberet suum effectum, neque esset actus judicialis. Est Doctoris, et quamvis non utatur illis terminis *in obliquo;* patet tamen ex definitione *absolutio poenitentis,* etc. Poenitens est, quia dolet de peccatis, ea confitetur, in seipso punit voluntarie per congruam satisfactionem."[12]

TERTIA SENTENTIA negativa.

Non omnes et soli actus poenitentis et absolutionis pertinent ad essentiam sacramenti. Quatuor numerantur opiniones.

Prima opinio est paucorum, dicentium non omnes tres actus poenitentis pertinere ad essentiam sacramenti, sed *excludendam esse saltem contritionem,* quippe quae sit aliquid non sensibile.

Ita *G. Biel* (In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 1), qui ait sacramentum consistere tantum in confessione et satisfactione (quin aliunde excludat absolutionem), et praecipue *Durandus* (In 4 Sent., dist. 14, q. 3; dist. 16, q. 1), qui docet Poenitentiam consistere in sola absolutione et confessione; contritionem vero et satisfactionem non esse partes sacramenti in sensu stricto, seu essentiales, nam contritio non est quid sensibile, sicut sacramentum, satisfactio vero subsequitur sacramentum, quamvis possint vocari partes in sensu lato, accipiendo hanc vocem pro omni eo quod quomodolibet requiritur ad debitam sacramenti susceptionem, etiam antecedenter, ut interna dispositio (contritio), vel consequenter, ut fructus sacramenti (satisfactio). Durando accessit *M. Cano* (Rel. de Poenitentia, p. 6, q. 16), docens contritionem esse tantummodo partem integrantem sacramenti.

Ut patet, haec opinio, sublato aequivoco circa modum quo contritio et satisfactio concurrere dicantur ad constituendum sacramentum, non differt a quarta et communi sententia infra exponenda; nam patroni istius docent tantummodo contritionem esse partem sacramenti prout exterius exprimitur, puta per ipsam confessionem dolorosam, et satisfactionem ut partem sacramenti intelligendam esse non pro ipsa executione satisfactionis, sed pro proposito satisfactionis exterius quodammodo significato.

[12] In "Opera omnia Scoti," t. 18, Parisiis, 1894, p. 141–147.

Secunda opinio a quibusdam (ut Suaresio) tribuitur *D. Soto* (In 4 Sent., dist. 14, q. 1) ac si iste docuerit solos actus poenitentis, non vero absolutionem, esse partes sacramenti, eo quod sacramentum sit quaedam poenitentia, absolutio vero non sit actus poenitentiae, quemadmodum contritio, confessio et satisfactio.

Attamen, ut recte observant Salmanticenses (Disp. 1, dub. 2, n. 90), inepte huiusmodi sententia tribuitur Soto, quippe qui diserte asserat formam sacramenti Poenitentiae pertinere ad eius essentiam eo quod sine illa non perficiatur sacramentum. Quod si etiam dicat actus poenitentis, non vero absolutionem, esse Poenitentiam, id recte intelligitur de suppositione sacramenti prout distinguitur ab eius significatione et de substantia sacramenti prout distinguitur ab eius essentia; ut enim explicatum est in tractatu De sacr. in gen., art. 4 (p. 109 sq.; cf. p. 54. 91. 415), quamvis tum materia tum forma includatur in significatione et essentia sacramenti, tamen, sacramentum, sicut alia artefacta, supponit pro sola materia et eius substantia consistit in sola materia.

Tertia opinio est dicentium *satisfactionem in re* pertinere ad essentiam sacramenti. In hoc sensu intelligi potest sententia *Petri de Osma* et *Conc. Pistoriensis*, ab Ecclesia damnata, de qua dicetur in art. 53.

Quarta opinio est aliquorum praesertim antiquorum, docentium *impositionem manuum* sacerdotis esse partem necessariam huius sacramenti. Quae quidem opinio potest intelligi etiam de necessitate manuum impositionis ad constituendam essentiam sacramenti; sed, utpote amplioris momenti et significationis, exponetur et discutietur, infra in art. 82, ubi ex professo statuetur quaestio de manuum impositione.

QUARTA SENTENTIA, affirmativa.

Omnes et soli praedicti quatuor actus requiruntur ad existentiam et constituunt essentiam sacramenti.

Ita communissime theologi *ex omni schola*, exceptis Scotistis fere omnibus et paucis aliis supra enumeratis; consentiunt etiam quidam Scotistae, ut *Mastrius* et *Laurentius Brancatus*. Ita docet manifeste *S. Thomas* (quem inepte quidam, ut Ballerini, ad suam sententiam trahere conantur, ut dicetur in Concl. 2, p. 188–190) et cum eo *Bonaventura* necnon substantialiter *Alexander Halensis* (In 4 Sent., q. 12, n. 2, a. 2), quamvis ipse videatur etiam manuum impositionem considerare ut materiam sacramenti.

Nota theologica.

Disputatur inter theologos, praesertim modernos, *an et quaenam censura assignanda si primae et secundae sententiae supra relatis*, attentis Ecclesiae documentis, nominatim Conc. Trid. (cap. 3 et can. 4), antiquioribus quidem severius, modernioribus vero, praesertim inter Moralistas, mitius judicantibus.

Antiquiores, explicite non distinguentes inter primam et secundam sententiam, opinionem Scoti, negantem actus poenitentis esse partes intrinsecas sacramenti, reiciunt ut erroneam (quo verbo saepe videntur intelligere "haereticam"), vel non tutam in fide, vel temerariam (cf. apud *Lugo*, Disp. 12, sect. 2, n. 20; *Salmanticenses*, Disp. 1, dub. 2, n. 75). Et imprimis *Cajetanus*, ante ipsum Conc. Trid. scribens, relatis verbis Conc. Florentini in Decr. pro Armenis (quod antiquiores theologi pro documento infallibili habebant), addit: "Ideo sanctae matris Ecclesiae doctrina monstrat tam Scoti quam Durandi opiniones deficere [i.e. esse errores in fide]." Item *Salmanticenses*, relatis Conc. Flor. et Trid., scribunt: "Ex quibus in unum collectis evidentissime apparet absque fidei dispendio negari non posse hoc Sacramentum essentialiter constitui ex actibus poenitentis, tamquam ex materia, et absolutione sacerdotis ut forma." "Haec conclusio vel est de fide, vel adeo fidei proxima, ut absque periculo erroris [i.e. erroris in fide seu haeresis] non possit oppositum defendi" (De Poen., disp. 1, dub. 2, n. 59).

Quidam tamen mitius judicant. *Billuart* ait: "Non asserimus sententiam Scoti esse in concilio damnatam; sed dumtaxat arguendo probare contendimus eam minus cohaerere cum mente, decretis et modo loquendi concilii" (Diss. 1, a. 2). *Collet*, relatis supradictis censuris Cajetani et aliorum, ait: "Absit . . . ut scholae admodum catholicae . . . ea labes inuratur" (De Poen., p. 2, c. 3, a. 2, n. 150).

Moderni vero coguntur distinguere inter primam et secundam sententiam, ratione ortus illius.

Quoad primam sententiam (Ballerini):

Pesch (Prop. 4), quamvis non explicite distinguat inter utramque sententiam, generaliter statuit: "Actus poenitentis: contritio, confessio, satisfactio, recte dicuntur esse materia *ex qua* sacramenti poenitentiae. *Theologice certa*", et inferius: "Inter catholicos constat tres actus poenitentis ad hoc sacramentum requiri".

Galtier, distincte se referens ad sententiam Ballerini, ait eam "nulla gaudere probabilitate intrinseca", "contradicere aperte traditioni Ecclesiae de judiciali natura Poenitentiae et Conc. Tridentino docente actus poenitentis esse quasi materiam et partes integrantes

sacramenti" (De Poen., n. 377). Addit contrariam sententiam esse ex argumentis intrinsecis certam (n. 379).

Hervé (n. 250) fere idem repetit.

Merkelbach (n. 437): "Ista sententia, utpote omnino recentior, non habet fundamentum in traditione Ecclesiae."

Omnes auctores infra citandi, condemnantes secundam sententiam, a fortiori adversantur primae.

Génicot vero (n. 263), explicite facta distinctione inter primam et secundam sententiam, absque distinctione judicat: "Illud tantum, ad scopum nostrum, hic advertendum est: nullo judicio Ecclesiae litem hanc inter scholas Thomisticam et Scotisticam fuisse diremptam. Imo, teste Pallavicini in celebri Historia Conc. Trid. (l. 12. c. 10), Patres Tridentini diserte caverunt quominus per sua decreta alterutri sententiae detrimentum inferrent. Quare integrum est quoad praxim alterutri sententiae inniti; neque propter opinionem theologicam damnanda sunt ea quae aliunde, puta e praxi vel approbatione Ecclesiae, licere constat."

Piscetta-Gennaro (n. 618) similiter, facta eadem distinctione, simpliciter concludit: "Quidquid est de valore sententiae Thomistarum et Scotistarum, quia Ecclesia neutram damnavit, alterutram theoretice et practice sequi licet . . . Nos a communi sententia non recedimus."

Cappello (n. 29), directe ad sententiam Ballerini se referens, ait: "Etiam [haec] . . . sententia probabilis videtur."

Quoad secundam sententiam (Scotistarum):

De Augustinis (art. 6, ante thes. 18) ait sententiam Scotistis adversam defendi argumentis gravissimis desumptis ex Conc. Trid.

Gihr (De Poen., § 7): "Dicimus hanc opinionem [Scotistarum] non posse ullam solidam probabilitatem sibi vindicare, saltem inde a Concilio Tridentino."

Billot (thes. 3): "A temporibus Tridentini, adeo communiter in hac doctrina asserenda conveniunt theologi, ut opinioni contrariae nulla sat solida relinquatur probabilitas."

Pesch (n. 73) ait quod post decisionem tridentinam "saltem Scoti loquendi modus est corrigendus, neque amplius dicendum est actus poenitentis nullo modo esse partes sacramenti." Confer praeterea eius verba nuper relata, ubi de prima sententia.

D'Alès (thes. 3): "Quatenus [thesis de actibus poenitentis quasi materia sacramenti] opponitur Scoto, exprimit doctrinam communem, nec potest sine offensione decreti tridentini negari ita ut asseratur actus poenitentis nullo modo esse partes Sacramenti."

Hugon (q. 1, a. 2, n. 7), citatis Conc. Flor., Trid. et Rituali Rom.,

ait: "Quocirca et opinio scotistica est derelinquenda, ut constat ex textibus adductis."

Prümmer (n. 327) ait sententiam communem, Scotisticae contrariam, esse "tutiorem et veriorem".

Merkelbach (n. 438) ait eandem sententiam esse "conformiorem sensui traditionali".

Galtier tamen (n. 378) ait: "[Scotistarum] sententia est vere et solide probabilis. Sufficienter servat indolem judicialem absolutionis, nec contra eam potest absolute urgeri definitio Tridentini, quod scitur voluisse abstinere a directa illius opinionis condemnatione."

Hervé (n. 250) verba Galtier sua facit.

Génicot et *Piscetta-Gennaro*, nuper cit.

Noldin (n. 224): "Quid in hac quaestione verum sit, certo definiri non potest; utraque sententia [thomistica et scotistica] probabilis, neutra certa est."

Cappello (n. 29): "Probabilitatem sententiae scotisticae negare non audemus, quia sufficienter servat indolem iudicialem absolutionis, neque contra eam urgeri potest absolute doctrina Concilii Trid."

Tanquerey (n. 778): "Libenter fatemur Scotistarum opinionem probabilitate non carere".

Vermeersch (n. 442): "Improbabilis tamen non est diversa sententia Scoti."

Attentis documentis Ecclesiae et nota theologica ex illis desumpta in art. praec. (p. 159), nobis videtur *primam sententiam* (Ballerini) non posse excusari a *nota temeritatis* (quae aequivalenter assignatur in verbis Galtier et Pesch supra relatis), tum quia vix in ea salvari potest doctrina Ecclesiae de indole judiciali huius sacramenti, tum quia manifeste contradicit doctrinae Concilii juxta quam actus poenitentis "requiruntur" ad integritatem et sunt "partes" sacramenti; ita enim vocari non possunt actus qui aut non existant aut non sint sensibiles. Indulgentia autem, qua *quidam pauci moderni doctores in re morali* hanc sententiam ab omni censura absolvunt, parvum pondus habere videtur in comparatione severitatis judicii dogmaticorum, in propria causa judicantium, praecipue si simul consideretur severitas qua de ipsa sententia Scotistica judicant dogmatici, praesertim antiquiores.

In *sententia autem Scotistica* modus loquendi ipsius Scoti ("Actus poenitentis nullo modo sunt partes sacramenti") est directe oppositus modo loquendi Conc. Trid., nec amplius adhiberi potest, meritoque ab ipsis Scotistis derelictus est. Ipsi vero doctrinae non videtur concedenda *ulla solida intrinseca probabilitas* (ita cum Billot et Gihr), nam adversatur indoli judiciali ipsius sacramenti (quamvis salvet

indolem judicialem solius absolutionis) et opponitur obvio sensui verborum Concilii docentis actus poenitentis esse partes et quasi materiam sacramenti, ut fusius explicabitur in Conclusione. Tota illius doctrinae probabilitas est extrinseca, nec magna; provenit nempe ex eo quod ipsa a paucis theologis defenditur et ut intrinsece probabilis a quibusdam aliis judicatur.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Absolutio, contritio, confessio et satisfactio necessario pertinent ad existentiam seu valorem sacramenti, ita ut sine illis omnibus sacramentum existere non possit.

Probatur 1. *Ex indole poenitentiali huius sacramenti.*

Ut jam contra Protestantes observavimus in art. praec. (p. 161 sq.), hoc sacramentum est poenitentia, nec tantum ritus simplicis remissionis sicut Baptismus; ergo, qua tale, nequit consistere absque actibus, et quidem externis, ipsius etiam poenitentis, nominatim manifestata contritione, in qua aliqua ratio confessionis et satisfactionis implicite continetur.

Probatur 2. *Ex indole judiciali huius sacramenti.*

Juxta constantem Ecclesiae doctrinam, supra (art. 1) stabilitam ex Scriptura et Traditione, hoc sacramentum exercetur per modum judicii, ita ut absolutio sit verus actus judicialis, ut ceterum expresse definivit *Conc. Trid.* (can. 9). Ergo necessario requirit, praeter externam prolationem sententiae, aliquam causae cognitionem, sine qua judicium exerceri nequit, ut etiam expresse docet *Conc. Trid.* (cap. 5).

Jamvero haec causae cognitio nequit haberi absque actu poenitentis eam manifestantis, cum agatur de re interna, ipsi soli nota, i.e. statu conscientiae, nec absque triplici actu manifestatae contritionis, confessionis et propositi satisfactionis, cum haec omnia sint in causa et haec omnia in subiecto requirantur ab indole huius judicii, quod non est remissivum nisi homini contrito (hinc necessitas contritionis), nec est simpliciter remissivum sed etiam vindicativum (hinc necessitas impositae satisfactionis), nec est simpliciter vindicativum sed potius reconciliativum (hinc necessitas voluntarii propositi satisfaciendi).

Ergo hoc sacramentum consistere nequit absque absolutione sacerdotis et actu poenitentis, et quidem triplici, scilicet contritione, qua homo fit accusator suiipsius, confessione, qua fit testis sui delicti, et satisfactione, qua fit executor illatae sibi sententiae.

Probatur 3. *Ex eo quod, juxta Conc. Trid., absolutio sit forma, actus vero poenitentis sint quasi materia et partes integrantes huius sacramenti.*

Quod exterior absolutio sit requisita ad valorem sacramenti a nemine dubitatur, docente Concilio "in ea praecipue ipsius vim sitam esse" (cap. 3). Quoad actus autem poenitentis nulla ratione intelligi potest quo pacto actus qui non existant, vel qui non sint sensibiles, dici possint quasi materia et partes integrantes sensibilis sacramenti.

Praeterea, etiam in *Baptismo* requiruntur in adulto actus interni fidei et attritionis, quos tamen nec Concilium (sess. 6, cap. 6) nec ullus unquam theologus cogitavit vocari posse quasi materiam vel partem illius sacramenti, sed tantummodo eiusdem dispositiones.

Praeterea, *saltem confessio* manifeste a Concilio accipitur pro actu externae confessionis, de quo agit in toto capite 5 sess. 14; inde iterum quaeritur quo pacto ipsa dici possit quasi materia et pars sacramenti, si ad huius existentiam non sit absolute necessaria.

Probatur 4. *Ex sequenti Conclusione,* in qua statuetur absolutionem et actus poenitentis esse partes essentiae sacramenti, quae proinde a fortiori sunt ad eius existentiam necessariae. Omnes ceterum rationes ibidem mox adducendae, valent etiam directe et a fortiori quoad praesentem Conclusionem. *Difficultas* vero quae ab adversariis adducitur ex casu *absolutionis moribundi,* sensibus destituti, solvetur infra in Resp. ad obj. 1.

Conclusio 2. Non solum absolutio, sed etiam actus poenitentis pertinent ad ipsam essentiam sacramenti ut partes eius constitutivae, et consequenter actus poenitentis se habent ut materia, absolutio vero ut forma sacramenti.

Primum ac praecipuum assertum probatur 1. *Ex proprie dicta indole sacramentali huius sacramenti.*

Secundum communissimam enim doctrinam theologorum, quam in tractatu De sacr. in gen. (art. 4, p. 91 sq.) diximus theologice certam, utpote explicite sancitam in documentis Ecclesiae, omne sacramentum constat ex materia et forma "quibus sacramenti essentia perficitur", ut ait Conc. Trid. agens de ipsa Poenitentia (cap. 2).

Jamvero a Conciliis non assignatur, nec est assignabilis, alia materia, ex qua essentialiter constet exterius sacramentum Poenitentiae, quam ipsi actus poenitentis.

Non enim talis materia possunt esse *ipsa peccata,* secundum se, cum sint aliquid interius, eorumque externa manifestatio nihil aliud sit quam ipsi actus contritionis, confessionis et satisfactionis.

Nec ullo modo materia dici potest *ipsa absolutio*, quatenus (juxta quorumdam adversariorum explicationem supra relatam, in p. 165 et 169) haec ut caeremonia est materia et ut habens significationem est forma, vel ut significans est materia et ut efficiens est forma. Nam, ut dictum est in tractatu De sacr. in gen. (art. 4, p. 103), in sacramento N.L., praeter compositionem relationis signi cum eius subiecto, datur in ipso subiecto alia compositio, pariter physica, de qua praecise est quaestio cum inquiritur de materia et forma sacramenti; unde in ipsa caeremonia, quae substernitur significationi sacramenti Poenitentiae, inveniendum est duplex elementum, materia nempe et forma; et proinde absolutio, etiam prout est caeremonia, nequit esse nisi unum elementum, et quidem formale, nec datur inveniri alterum elementum nisi in ipsis actibus poenitentis, cum, ut dicetur infra (art. 82), manuum impositio non sit essentialis aut necessaria pars sacramenti. Item, ut constat ex dictis in eodem tractatu (praecipue art. 2 et 4), significatio et efficientia possunt dupliciter considerari, vel scilicet in ordine physico, et sic conveniunt in unicam rationem formalem (signum practicum) quae est ultima forma compositi artefacti quod est sacramentum, vel in ordine metaphysico, et sic se habent ut materia seu genus (signum) et forma seu differentia specifica (practicum). Jamvero primo modo neutra est materia; secundo vero modo hic non considerantur, quia, ut dictum est, quaeritur de compositione physica sacramenti.

Probatur 2. *Ex indole poenitentiali huius sacramenti.*

Hoc sacramentum est essentialiter poenitentiale, et in hoc differt ab aliis sacramentis, nominatim ab ipso Baptismo, in quo etiam quidam poenitentiae actus requiruntur. Jamvero hoc sacramentum non est poenitentiale formaliter ex parte absolutionis, ex qua directe habet tantum ut sit judiciale; ergo tale est ex parte actus poenitentis, qui proinde ad eius essentiam pertinent, nec sunt tantum dispositiones vel conditiones, quemadmodum in Baptismo.

Confirmatur ex ipsa ratione nominum, quibus hoc sacramentum in Traditione vocatur quaeque ad ipsam eius essentiam referri intelliguntur. Vocatur enim frequenter sacramentum *Poenitentiae vel Confessionis,* sicut Baptismus vocari solet sacramentum ablutionis; ergo actus poenitentis et confessio ad eius essentiam pertinere intelliguntur, quemadmodum ablutio pertinet ad essentiam Baptismi.

Probatur 3. *Ex indole judiciali ipsius sacramenti.*

Hoc sacramentum est essentialiter institutum ad modum judicii seu processus judicialis, juxta *Conc. Trid.* (cap. 2: "Ante hoc tribunal"; cap. 8: "Sacramentum Poenitentiae esse forum"; cf. *Conc. Later. IV:* "Poenitentiale judicium").

Atqui ad essentiam judicii pertinet non tantum sententia judicialis, sed etiam actus accusatoris et testis, ex quibus judex acquirat notitiam de qua judicare debet.

Atqui in hoc sacramentali judicio non alia habetur accusatio vel testimonium quam ipsius poenitentis, cum ex una parte requiratur contritio, seu accusatio ipsius rei, et ex alia parte agatur de re ipsi soli nota, seu de statu conscientiae.

Ergo non solum absolutio, seu sententia sacerdotis, est de essentia huius sacramenti, sed etiam contritio, seu accusatio poenitentis, et confessio, seu eiusdem testimonium. Propositum vero satisfactionis deducitur, ut dictum est in Concl. praec., ex peculiari natura huius judicii, quod non est simpliciter remissivum, nec simpliciter vindicativum, sed reconciliativum et compensativum.

In sententia igitur Scotistica, qua docetur actus poenitentis esse partes extrinsecas sacramenti, salvatur quidem processus judicialis, sed non processus judicialis sacramentalis; sacramentum enim esset sola absolutio, seu sententia circa dispositiones subiecti; unde haberetur sententia sacramentalis, non vero processus sacramentalis.

Inepte autem quidam obiciunt ad essentiam judicii requiri tantum cognitionem causae et sententiam judicis, non vero accusationem et testimonium ipsius rei, et multo minus propositum satisfaciendi, quae in nullo judicio forensi requiruntur.

Nam primo, in omni judicio forensi non quaelibet cognitio sufficit (puta ea quam judex aliunde forte acquisierit) sed sola cognitio hausta ex accusatore et testibus, secus sententia judicialis invalida habetur. Unde ad judicium poenitentiale non sufficeret notitia causae quam sacerdos aliter haberet quam ex poenitente, sui dilicti accusatore et teste; nec ceterum eam ullatenus citra revelationem habere potest, cum non agatur de exteriori peccato, sed de interiori statu conscientiae judicando.

Secundo, quamvis in judicio forensi non requiratur ipsius rei accusatio, confessio et propositum satisfaciendi, haec requiruntur ex peculiari indole judicii sacramentalis, tum quia in hoc judicio non aliter haberi potest cognitio causae, tum quia agitur de judicio remissivo et reconciliativo, ut non semel dictum est.

Probatur 4. *EX DOCTRINA CONC. FLORENTINI ET TRIDENTINI.*

CONC. FLORENTINUM in Decr. pro Armenis ait "omnia sacramenta tribus perfici, videlicet rebus tanquam materia, verbis tanquam

forma, et persona ministri conferentis sacramentum" (Denz. 695), ac subinde, loquens de Poenitentia, addit quasi materiam huius sacramenti esse tres actus poenitentis (Denz. 699, cit. in art. 1, p. 63); ergo hi actus perficiunt sacramentum Poenitentiae, seu ad eius essentiam pertinent, non minus quam ipsa forma.

Obiciunt adversarii in his verbis duplicem haberi appositionem diminuentem, ex qua e contrario intelligitur actus poenitentis non pertinere ad essentiam sacramenti; nam ex una parte vocantur *quasi materia,* dum absolutio vocatur simpliciter forma, et ex alia parte coniunguntur *porsonae ministri,* quae constat esse quid extrinsecum essentiae sacramenti.

Respondetur. Expressio "quasi materia" explanabitur infra, ubi de Conc. Trid.; interim notetur eam contradicere non posse voci "materia" quae in priori textu refertur indistincte ad omnia sacramenta.

Ex appositione vero personae ministri non sequitur actus poenitentis non pertinere ad essentiam sacramenti, secus id sequeretur etiam de forma absolutionis. Voluit igitur Concilium sub una expressione colligere tria quae requiruntur ad perfectionem seu valorem sacramenti, i.e. res, verba et ministrum, ita tamen ut ex ipsa diversa eorum indole intelligatur modus quo ad valorem concurrunt, i.e. res et verba ab intrinseco, minister ab extrinseco; quae differentia sufficienter significatur ab ipso Concilio, cum ait res et verba concurrere ad perficiendum sacramentum tanquam materiam et formam, ministrum vero tanquam conferentem sacramentum. Propterea *Conc. Trid.,* sess. 14, cap. 2, veluti Florentinum explicans, ait: "Materia et forma . . . sacramenti *essentia* perficitur".

Ceterum et ipse minister, formaliter ut conferens, seu ipsa actio ministri, *constituit* essentiam sacramenti, prout nempe identificatur cum materia proxima (ita in Baptismo, Confirmatione, Extrema Unctione et Ordine; materia enim proxima Baptismi est ipsa ablutio, quae active est actio ministri) vel saltem cum forma (in omnibus sacramentis).

Unde in textu Concilii verbum *"perficere"* intelligi potest in sensu pleno, pro *"constituere",* etiam ut relatum ad ministrum seu ad actionem ministri, uti innuitur in ipsa expressione "persona ministri conferentis sacramentum", eo vel magis quod nulla alia mentio fiat ipsius materiae proximae, sed sola materia remota (res) memoretur. Propterea *Rituale Romanum* (cit. in art. praec., p. 161) non cunctatur explicite asserere: "Ad illud sacramentum [Poenitentiae] *constituendum* tria concurrunt: materia, forma, minister" et *S. Thomas* hunc dicendi modum applicat ad ipsum etiam subiectum, inquiens: "Ipse . . .

peccator confitens, est sicut materia in hoc sacramento" (Opusc. De forma absolutionis, c. 4).[13]

CONC. TRIDENTINUM in cap. 3 (cit. in art. praec., p. 160) *tria docet* in quibus aequivalenter continetur etiam actus poenitentis pertinere ad essentiam sacramenti, scilicet: actus poenitentis esse quasi materiam; eos esse partes sacramenti requisitas ad eius integritatem; vim sacramenti sitam esse praecipue in eius forma.

PRIMO, juxta Concilium absolutio est forma, actus vero poenitentis sunt *quasi materia* sacramenti. Jamvero, ut docet ipsum Concilium, "materia et forma . . . sacramenti essentia perficitur" (cap. 2, cit. in art. 1, p. 65 sq.).

Obiciunt adversarii quod ex ipsa appositione diminuente ("quasi") apparet Concilium non loqui de materia constituente seu ex qua, sed tantum de materia circa quam.

Resp. Conditio diminuens non refertur formaliter ad materiam acceptam sacramentaliter, sed ad materiam prout accipitur etiam physice pro re sensibili, ita ut illis verbis, concinne nec ambigue quantum fieri potest, duo Concilium exprimere intendit, scilicet actus poenitentis esse quidem materiam sacramentaliter (propterea adhibet vocem "materia"), non tamen etiam physice, sicut aqua in Baptismo et chrisma in Confirmatione (propterea apponit particulam "quasi").

Hunc esse sensum illorum verborum explicite *imprimis, nec absque auctoritate, declaratur a Catechismo Conc. Trid.,* relato in art. praec. (p. 161).

Inepte autem contra huius explicationem *obicit Henno* scotista, quod si verum esset ideo Concilium actus poenitentis vocare quasi materiam, quia non sunt quaedam substantia materialis, debuisset etiam absolutionem vocare quasi formam, cum nec ipsa sit quaedam materialis substantia.

Negatur enim paritas, quoniam forma in nullo sacramento est substantia, materia vero saltem in quatuor sacramentis, et quidem praecipuis, est quaedam res materialis; ex quo intelligitur ratio quare Concilium hanc differentiam signare voluerit apponendo particulam "quasi" materiae Poenitentiae.

Praedicta Henno objectio posset potius converti contra ipsum hoc modo: si Concilium ideo actus poenitentis vocavit quasi materiam quia non sunt proprie materia, debuisset similiter absolutionem vocare quasi formam, quia in illa hypothesi nec absolutio esset proprie dicta

---

[13] Quare Concilium non numeret etiam subiectum inter ea quibus sacramentum perficitur, dictum est in tractatu De sacr. in gen., art. 23, p. 349.

forma, cum nequeat haberi proprie dicta forma ubi non est proprie dicta materia. Propterea *S. Thomas,* ad inculcandam differentiam inter materiam ac formam compositi naturalis et materiam ac formam compositi artificialis (quale est sacramentum) non raro apponit aliquam particulam diminuentem tum materiae tum formae sacramenti; ita in q. 84, a. 3: "Ea quae sunt ex parte poenitentis . . . sunt *quaedam materia* hujus sacramenti; ea vero quae sunt ex parte sacerdotis, se habent *per modum formae.*"

Praeterea, idipsum patet ex doctrina *S. Thomae,* ex cuius Opusculo De articulis fidei et sacramentis Ecclesiae Conc. Florentinum ea verba desumpsit et ad Tridentinum transmisit; S. Doctor enim actus poenitentis habet pro vera materia sacramentaliter accepta (q. 84, a. 2: "Materia proxima hujus sacramenti sunt actus poenitentis"; cf. ibid., a. 1, ad 1; q. 90, a. 2) et simul, ad distinguendam materiam Poenitentiae (necnon Matrimonii) a materia ceterorum sacramentorum quantum ad ipsum esse physicum utriusque, saepe apponit conditionem aliquam diminuentem (ibid., a. 1, ad 1: "Ipsi actus humani sensibiles sunt *loco materiae*"; ibid., ad 2: "In sacramento Poenitentiae sunt actus humani *pro materia*"; ibid., a. 4, ad 3: "*Loco materiae* se habent ea quae sunt ex parte poenitentis").

En quidam textus, ex quibus manifeste apparet quod pro S. Doctore "esse veram materiam sacramentalem", "esse loco materiae vel pro materia" et "esse de essentia sacramenti" sunt unum et idem.

Q. 84, a. 1, ad 1: "Nomine corporalium rerum [seu materiae] intelliguntur large etiam ipsi exteriores actus sensibiles, qui ita se habent in hoc sacramento, sicut aqua in baptismo, vel chrisma in confirmatione. Est autem attendendum quod in illis sacramentis in quibus confertur excellens gratia, quae superabundat omnem facultatem humani actus, adhibetur aliqua corporalis materia exterius; sicut in baptismo, ubi fit plena remissio peccatorum et quantum ad culpam et quantum ad poenam; et in confirmatione, ubi datur plenitudo Spiritus sancti; et in extrema unctione, ubi confertur perfecta sanitas spiritualis, quae provenit ex virtute Christi, quasi ex quodam extrinseco principio. Unde si qui actus humani sunt in talibus sacramentis, non sunt *de essentia sacramentorum,* sed dispositive se habent ad sacramenta. In illis autem sacramentis quae habent effectum correspondentem humanis actibus, ipsi actus humani sensibiles sunt *loco materiae,* ut accidit in poenitentia et matrimonio; sicut etiam in medicinis corporalibus quaedam sunt res exterius adhibitae, sicut emplastra et electuaria, quaedam vero sunt actus sanandorum, puta exercitationes quaedam."

Ibid., a. 2: "Dictum est autem (art. praec. ad 1 et 2), quod *materia proxima* hujus sacramenti sunt actus poenitentis, cujus materia sunt

peccata, de quibus dolet et quae confitetur, et pro quibus satisfacit. Unde relinquitur quod remota materia poenitentiae sint peccata, non acceptanda, sed detestanda et destruenda."

Ibid., a. 1, ad 2: "In sacramentis quae habent *corporalem materiam,* oportet quod illa materia adhibeatur a ministro Ecclesiae, qui gerit personam Christi, in signum quod excellentia virtutis in sacramento operantis est a Christo. In sacramento autem poenitentiae, sicut dictum est (in solut. praec.), sunt actus humani *pro materia,* qui proveniunt ex inspiratione interna; unde *materia* non adhibetur a ministro, sed a Deo interius operante; sed complementum sacramenti exhibet minister, dum poenitentem absolvit."

Ibid., a. 3: "Ea quae sunt ex parte poenitentis, sive sint verba, sive facta, sunt *quaedam materia* hujus sacramenti; ea vero quae sunt ex parte sacerdotis, se habent *per modum formae.*"

Ibid., ad 1: "Poenitentis . . . actus *materialiter quodammodo* se habent in hoc sacramento, non autem in baptismo vel in confirmatione."

Ibid., a. 4, ad 3: "In sacramentis quae perficiuntur in usu materiae, minister habet aliquem actum corporalem exercere circa eum qui suscipit sacramentum, sicut in baptismo, et confirmatione, et extrema unctione; sed hoc sacramentum non consistit in usu alicujus materiae exterius appositae, sed *loco materiae* se habent ea quae sunt ex parte poenitentis: unde sicut in Eucharistia sacerdos sola prolatione verborum super materiam perficit sacramentum, ita etiam sola verba sacerdotis absolventis super poenitentem perficiunt absolutionis sacramentum. Et si aliquis actus corporalis esset ex parte sacerdotis necessarius, non minus competeret crucissignatio, quae adhibetur in Eucharistia, quam manus impositio, in signum quod per sanguinem crucis Christi remittuntur peccata; et tamen non est de necessitate hujus sacramenti, sicut nec de necessitate Eucharistiae."

Q. 86, a. 6: "Actus . . . humani, qui sunt ex parte peccatoris, *materialiter se habent* in sacramento poenitentiae. Omne autem sacramentum producit effectum suum non solum virtute formae, sed etiam virtute materiae; *ex utroque enim est unum sacramentum*".

Q. 90, a. 1: "Dictum est autem supra (quaest. lxxxiv, art. 2 et 3), quod in sacramento poenitentiae actus humani se habent *per modum materiae*".

Ibid., a. 2: "Quodlibet sacramentum distinguitur in *materiam* et formam, sicut in *partes essentiae*. . . Actus poenitentis . . . sunt materia hujus sacramenti."

Opusc. De forma absolutionis, c. 4: "Patet in omni sacramento quod verba ad materiam accedentia perficiunt sacramentum. In sacramento enim Eucharistiae sola verba prolata super materiam consecrandam perficiunt sacramentum. In baptismo etiam verba prolata super aquam

tantum non faciunt sacramentum, sed super aquam adhibitam in baptismo [i.e. per ablutionem], quia totum est *loco materiae. Ipse autem peccator confitens est sicut materia* in hoc sacramento. Unde verba absolutionis super eum prolata efficiunt poenitentiae sacramentum."

Tandem, ex ipsa doctrina utriusque concilii Florentini et Tridentini, apparet verba "quasi materia" intelligenda esse de ipsa materia ex qua. Nam Concilia (necnon *Rituale Romanum,* nuper citatum) asserunt omne sacramentum componi ex materia et forma "quibus sacramenti essentia perficitur" (Conc. Trid., cap. 2), nec aliam materiam Poenitentiae assignant nisi actus poenitentis, quos vocant "quasi materiam"; ergo haec "quasi materia" est idem ac ea materia quae, simul cum forma, essentiam sacramenti perficit.

Item ac explicitius, Conc. Trid. partes essentiales Poenitentiae appellat etiam materiam simpliciter et sine addito, docens Poenitentiam a Baptismo longissime differre "materia et forma, quibus sacramenti essentia perficitur" (cap. 2; cf. etiam *Conc. Constant.,* cit. in p. 63).

Ceterum, si Concilium verbis "quasi materia" intelligeret tantum materiam circa quam, non apparet quo sensu id convenienter diceret, cum absolutio versetur circa peccata et non circa actus poenitentis, non enim contritio, confessio aut satisfactio, absolvi dici potest. Item, sequeretur etiam actus poenitentiae in Baptismo requisitos, vocari posse quasi materiam Baptismi, et absolutionem dici posse quasi forman Poenitentiae, cum materia et forma sibi invicem correspondeant nec dari possit proprie dicta forma ubi non est propria dicta materia.

Dices. Teste *Pallavicini,* Hist. Conc. Trid., l. 12, c. 10 (cf. etiam *Theiner,* Acta, post sess. 13), Concilium, post theologorum in utramque partem discussiones, consulto adhibuit expressionem "quasi materia", ne ulli determinatae sententiae favere videretur. Non ergo in ea agitur de materia proprie dicta et ex qua, secus sententiae scotisticae determinate concilium adversatum esset.

Resp. Magis attendere oportet quid de facto docuit Concilium in finali redactione decisionum quam quid praecesserit in disputationibus conciliarium theologorum. Ceterum, mens Concilii explicite patefaciunt *auctores Catechismi Conc. Trid.* qui Synodo adfuerunt. Ex relatione autem eorum quae acta sunt in praeparatione decreti hoc certo scimus: Patres ob praedictum propositum abstinuisse a maiori determinatione doctrinae ac contentos fuisse referre *formulas florentinas;* jamvero istarum sensus, ut ostensum est, nullatenus ambiguus dici potest.

SECUNDO, Concilium actus poenitentis vocat *partes sacramenti,*

et quidem requisitas ad eius *integritatem,* eosque *connumerat formae absolutionis* sub eodem capite 3, cuius titulus seu obiectum est de partibus et effectu huius sacramenti (cap. 3, circa finem: "Haec de partibus et effectu huius sacramenti").

Ex hoc igitur quod actus poenitentis sunt partes, imo ad integritatem requisitae, sequitur quod non sint merae conditiones vel dispositiones, nam partes quomodolibet componunt totum et ea quae concurrunt ad rei integritatem sunt ipsi intrinseca, saltem ut partes integrales. Unde sincere et logice Scotus, habens illos actus pro meris dispositionibus, simpliciter negavit eos esse ullo modo partes sacramenti.

Ex hoc autem quod sub communi titulo "De partibus sacramenti" connumerentur ipsi formae, quae est pars essentialis et constitutiva sacramenti, sequitur et ipsos, juxta mentem Concilii, eandem habere rationem partium essentialium eiusdem, maxime si praeterea attendatur eos connumerari formae sub conceptu materiae vel quasi materiae.

Obiciunt adversarii quod ex ipsa appositione, imo explicita definitione partium, addita a Concilio ("Qui quatenus . . . ad *integritatem* sacramenti . . . requiruntur, hac ratione poenitentiae partes dicuntur") luculenter apparet non agi de partibus intrinsecis et essentialibus, sed tantummodo integralibus. "Si [enim], nervose inquit *Ballerini* (Opus morale, v. 5, n. 7), Patres tridentini statuere voluissent illas partes ad essentiam sacramenti pertinere, num adeo idiotae erant, ut non scriberent *ad essentiam,* sed inscite dicerent *ad integritatem.* Ignorabantne duo haec infinito intervallo distare?"

Respondetur.

Imprimis notandum est Concilium non praecise asserere actus poenitentis esse partes integrales, sed esse partes quae requiruntur ad integritatem, quod sic intelligi potest: "Quae requiruntur ad integrandum seu perficiendum sacramentum" (juxta id quod docet in cap. 2: "Materia et forma . . . sacramenti essentia perficitur"). Secundo, ea verba referuntur directe non ad actus complexive sumptos, sub qua ratione immediate antea vocantur quasi materia sacramenti, sed ad ipsos singillatim acceptos, et ita strictiori sensu verificatur quod sint ad integritatem requisiti, i.e. quod sint partes proprius integrantes. Ex hoc tamen non excluditur eos pertinere ad essentiam sacramenti, ut integrantes nempe ipsam materiam sacramenti. Est enim duplex genus partium integrantium, earum nempe quae integrant ipsam essentiam, ita quod sine ipsis essentia salvari non possit (v.g. caput et cor in corpore humano), et earum quae integrant tantum complementarem eius perfectionem, ita ut sine ipsis essentia rei consistere possit (v.g. manus et pedes in corpore humano). Dicimus

igitur, juxta Concilium, actus poenitentis esse partes integrantes essentiae huius sacramenti, non enim hi actus singillatim sumpti sunt materia Poenitentiae, sed eorum complexus, ut explicabitur in art. seq.

Cuius tritae distinctionis oblitus, *Ballerini* inepte asserit "pertinere ad essentiam" et "pertinere ad integritatem" infinito intervallo distare et Concilium nonnisi inscite dicere potuisse actus poenitentis pertinere ad integritatem, si putasset eos pertinere ad essentiam. Potuit quidem Concilium magis determinate et explicite hic dicere eos actus pertinere ad integritatem essentiae, et verisimile est ab ea determinatione abstinuisse ne sententia scotistica videretur explicite damnata, sed id nullatenus necesse fuit, cum in capite 2, immediate praecedenti, id explicite aequivalenter asseruerit, docens "hoc sacramentum . . . a baptismo differre . . . materia et forma, quibus sacramenti *essentia* perficitur". Numquid Patres adeo idiotae fuerunt ut, dum in capite 3 assererent actus poenitentis esse quasi materiam et partes integrantes sacramenti, obliti essent eius quod dixerant in capite 2, hanc nempe eandem materiam perficere essentiam sacramenti?

Instant. Concilium absque discretione aut distinctione ait contritionem, confessionem et satisfactionem esse partes sacramenti. Jamvero satisfactio non est pars essentialis sed tantum integralis. Ergo similiter contritio et confessio.

Resp. Saltem exinde sequitur, contra id quod asserunt Scotus et quidam eius asseclae, tres istos actus non esse materiam circa quam seu meras extrinsecas conditiones, cum pars omnis integralis (etiam non essentialis) sit id ex quo totum ipsum resultat.

Ceterum, negatur suppositum minoris et consequentia argumenti. Nam satisfactio dupliciter considerari potest: in proposito et in executione. Asserimus autem propositum satisfactionis esse partem essentialem, ipsam vero satisfactionem secundum executionem esse tantum partem integralem (cf. infra, art. 70). Concilium autem, loquens de satisfactione complexive et indeterminate, reliquit intelligenti theologo locum res distinguendi et applicandi pro subiecta materia, imo ex industria, ut quidam putant, adhibuit indeterminatam expressionem "partes requisitae ad integritatem", ut nempe haec conveniret omnibus partibus Poenitentiae, etiam satisfactioni in re, juxta tamen propriam indolem, scilicet in sensu partis integralis essentialis, vel tantum integralis.

Instant iterum. Concilium in cap. 4 ait attritionem esse dispositionem ad sacramentum: "Quamvis sine sacramento poenitentiae per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum

ad Dei gratiam in sacramento poenitentiae impetrandam disponit" (Denz. 898).

Resp. Concilium non dicit attritionem esse tantummodo dispositionem, imo in cap. 3 explicite asserit eam esse partem sacramenti. Est igitur simul dispositio ante sacramentum et pars in sacramento. Ex textu et contextu obiectorum verborum patet Concilium in cap. 4 hoc tantum docere: attritionem seu imperfectam contritionem, quamvis sine sacramento justificare non posse, tamen esse quid bonum et salutare, ac disponere ad justificationem suscipiendam in sacramento, cuius una pars, ut docuerat in cap. 3, est ipsa attritio.

TERTIO, Concilium in eodem cap. 3 asserit vim seu efficaciam huius sacramenti sitam esse praecipue in eius forma.

Ex quo legitime concluditur hanc vim sitam esse, quamvis non praecipue, etiam in actibus poenitentis, qui post formam ibidem numerantur inter partes sacramenti. Jamvero in sola essentia sacramenti vis sacramentalis residere potest. Ergo illi actus pertinent ad essentiam sacramenti.

Inepte autem quidam *Scotistae* ex his ipsis verbis *conantur argumentum conficere in suum favorem*, sequenti scilicet modo: Concilium ait vim huius sacramenti sitam esse praecipue in eius forma; ergo in sola forma absolutionis reponit essentiam huius sacramenti, nam de aliis sacramentis id non dicit, et praeterea, si etiam quasi materia seu actus poenitentis essent de essentia sacramenti, in eis vis sacramenti aeque principaliter resideret.

Respondetur. Negatur quod vis sacramenti aeque principaliter resideat in materia et forma; sicut enim a forma principaliter dependet esse cuiuslibet rei, ita et eius operari. Hanc generalem doctrinam, cuilibet novitio in re metaphysica bene notam, ideo Concilium opportunum duxit recolere in hoc loco, quia, cum materia huius sacramenti consistat in ipsis actibus poenitentis, qui habent etiam rationem dispositionum ad justificationem, aliquis posset putare virtutem huius sacramenti consistere in ipsa efficacia operis operantis illarum dispositionum, et non potius in efficacia operis operati ipsius ritus qui coalescit tum ac principaliter ex forma absolutionis tum ex ipsis actibus poenitentis prout subsunt formae, abstrahendo formaliter ab eorum indole dispositiva.

Ad rem faciunt sequentia verba *S. Thomae*, cuius iterum doctrina Concilium in praedicta expressione breviter ac solemniter confirmavit:

Q. 86, a. 6: "Poenitentia est virtus secundum quod est principium quorumdam actuum humanorum. Actus autem humani, qui sunt ex

parte peccatoris, materialiter se habent in sacramento poenitentiae. Omne autem sacramentum producit effectum suum non solum virtute formae, sed etiam virtute materiae; ex utroque enim est unum sacramentum, ut supra habitum est (qu. lx, art. 6 ad 2, et art. 7).

"Unde sicut remissio culpae fit in baptismo non solum virtute formae, sed etiam virtute materiae, scilicet aquae, principalius tamen virtute formae, ex qua et ipsa aqua virtutem recipit; ita etiam remissio culpae est effectus poenitentiae *principalius quidem ex virtute clavium* quas habent ministri, ex quorum parte accipitur id quod est formale in hoc sacramento, ut supra dictum est (quaest. lxxxiv, art. 3); *secundario autem ex vi actuum poenitentis* pertinentium ad virtutem poenitentiae; tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiae. Et sic patet quod remissio culpae est effectus poenitentiae, secundum quod est virtus, principalius tamen secundum quod est sacramentum."

Probatur 5. *EX DOCTRINA S. THOMAE.*

S. Doctoris non tantum mens sed verba, tam manifesta sunt in iisdem testimoniis supra relatis ex q. 84, 86. 90 ut judicatum videtur velle judicare qui contendat probare S. Thomam docere actus poenitentis esse partes essentiales sacramenti. Quia tamen unus vel alter, praesertim inter modernos et nominatim *Ballerini,* contrarium contendere ausus fuerit, non abs re erit praecipuum, vel fere unicum, textum, quem ex Commento super Sententias in suum favorem appellant, breviter discutere.

En incriminatus textus, *In 4 Sent., dist. 22, q. 2, a. 1, q. 1, ad 2:* "Materia quae est in aliis sacramentis signum sacramentale, in quantum ab exteriori datur, repraesentat exterius agens in sanctificatione; et ideo aliquo modo [i.e. physice dispositive, juxta junioris S. Thomae sententiam] competit ut gratiam causet, sicut dictum est [Dist. 1]. Sed poenitentia exterior, quae est signum sacramentale in hoc sacramento, repraesentat cooperationem recipientis, et *non influentiam quae est ex parte agentis extrinseci; et ideo non competit ei quod gratiam aliquo modo causet"* (cf. ibid., ad 3).

Inde adversarii arguunt: Juxta S. Thomam, soli absolutioni, non vero actibus poenitentis, competit vis causativa quae est propria essentiae sacramenti; ergo juxta S. Thomam sola absolutio pertinet ad essentiam sacramenti.

Respondetur.

1. *Ad consequens. Negatur.* Nam S. Doctor in ipsis verbis obiectis et in toto articulo 1 explicite asserit actus poenitentis esse ipsum

signum sacramentale. Unde ruit obiectio et frustratur intentum adversariorum.

2. *Ad antecedens, non uno modo sentiunt doctores.*

Quidam concedunt S. Thomam soli formae absolutionis vim causativam tribuere, materiae vero seu actibus poenitentis concedere tantum vim significativam. Et quidem, *Ferrariensis* (In C. Gent. 4, 72) sentit S. Doctorem idem docuisse etiam in Summa, et ad ipsius verba ex q. 86, a. 6 (supra citata) observat S. Thomam concedere aliquam virtutem actibus poenitentis, non ratione sui sed ratione formae cui coniunguntur ac ita ut proprie ea virtus sit tota ex parte formae. Sed quia haec explicatio videtur manifeste contraria litterae praedicti textus q. 86, a. 6, *Cajetanus* (hic, In a. 1 et 2) putat S. Doctorem in Summa mutasse sententiam seu altius sentiisse de indole et causalitate sacramentorum. Quae quidem sententia probabilis est. Sed quia ipse contextus obiecti loci Sententiarum nullatenus cogit ad hanc retractationem invocandam, ideo

Alii, ut *Salmanticenses* (Disp. 1, dub. 2, n. 87) et *Billot* (thes. 3, ad 4), *melius negant* S. Thomam excludere actus poenitentis ab influxu causativo sacramentali, vel potius sic distinguunt: S. Doctor in praefato loco Sententiarum dupliciter actus poenitentis considerat, primo nempe secundum se et ex parte subiecti, seu prout "repraesentant cooperationem recipientis" (ita in textu obiecto), secundo formaliter ut pars sacramenti ac veluti ex parte ministri, seu prout "coniunguntur cum actu ministri" (paulo inferius in solutione quaestiunculae secundae); in priori consideratione negat eos habere vim causativam, in altera affirmat.

Id patet:

Primo, ex obiectione cui in textu obiecto respondet S. Thomas cuique sufficiens fuit opponere actus poenitentis secundum se acceptos, ut subiectivas dispositiones, non habere vim causativam, quamvis eam habeant si accipiantur obiective ut pars sacramenti. Sic enim sonat obiectio: "Signa sacramentalia novae legis aliquo modo sunt causa gratiae. Si ergo exterior poenitentia est signum sacramentale, erit gratiae causa, *et sic gratia erit ex actibus nostris;* quod est haeresis Pelagiana."

Secundo, ex solutione ad quaestiunculam secundam, in qua explicite duplicem illam considerationem proponit, inquiens: "Res sacramenti cujuslibet suo sacramento, cujus dicitur res proportionatur. Exterior autem poenitentia, quae est sacramentum tantum in poenitentia, est sacramentum *ut signum tantum ex parte actus poenitentis, sed ut signum et causa simul, si coniungatur actus poenitentis cum actu ministri;* et ideo interior poenitentia est res exterioris poenitentiae;

sed ut significata tantum per actus poenitentis; ut significata autem et causata per actus eosdem, adjuncta absolutione ministri, per quam aliquo modo homo ad gratiam disponitur; sicut etiam in sacramento Eucharistiae corpus Christi verum est res significata tantum per species panis et vini, sed causata per verba ministri; et illa duo simul conjuncta, sunt signum et causa."

SECUNDUM ASSERTUM HUIUS CONCLUSIONIS, SCILICET ACTUS POENITENTIS SE HABERE UT MATERIAM, ABSOLUTIONEM VERO UT FORMAM SACRAMENTI, facile sequitur tum ex generali indole sacramenti N.L., tum ex specifica ratione huius sacramenti.

Ut enim statutum est in tractatu De sacr. in gen. (art. 4), omne sacramentum N.L. constat duobus elementis, quorum unum se habet ut materia, seu ut determinatum in genere signi, alterum vero ut forma, seu ut illud determinans in eodem genere.

Ceterum, ex ipsa duplici ratione remissiva et judiciali huius ritus sequitur tum existentia tum attributio utriusque elementi materiae et formae.

Primo enim, poenitentia non est simpliciter ritus quidam poenitentialis (si talis esset, utique actus poenitentis essent praecipuum et formale elementum, imo unicum) sed *ritus remissivus peccatorum,* et quidem homini poenitenti. Remissio autem non fit ex propria vi actuum subiecti, quippe qui ad justificationem non sufficiant, sed ab extrinseco agente, i.e., in casu, a Deo per actionem ministri absolventis; unde in hac ipsa absolutione residet primario et formaliter significatio et vis sacramentalis, adeoque ratio formae.

Aliunde autem actus subiecti, qui ad hanc remissionem, utpote non simplicem sed poenitentialem, necessario requiruntur, suam etiam habent significationem et vim in ordine ad remissionem, nam sine eis absolutio suam vim et significationem non haberet, quippe quae consistat in absolutione poenitentis; non tamen actus poenitentis se habent ut forma sed ut materia, cum non se habeant ex parte agentis remissionem sed ex parte patientis eam, nec ideo aliter significant et causant remissionem quam ut determinati per absolutionem. Igitur absolutio et actus poenitentis ita conveniunt in unicum et simplicem ritum, remissivum et poenitentialem, ut hic ex absolutione habeat quod sit remissivus, ex actibus vero poenitentis quod sit poenitentialis.

Secundo, poenitentia est *ritus judicialis;* in omni autem judicio sententia judicantis se habet ut forma, actus vero accusatoris et testium ut materia; nam ipsa sententia est quae complet, determinat et persolvit totam causam; unde in judicio sacramentali sententia absolutionis se habet ut forma, actus vero poenitentis, seu contritio (accusatio), confessio (testificatio) et propositum satisfactionis, se habent ut materia per absolutionem determinata.

Conclusio 3. Omnes et soli praedicti actus poenitentis et absolutionis pertinent ad essentiam sacramenti; quapropter nominatim propositum satisfactionis, sensibilis contritio et absolutio, sunt de essentia sacramenti; satisfactio vero in re et impositio manuum nec pertinent ad essentiam nec etiam requiruntur ad eius valorem et existentiam.

Probatur.

Haec conclusio, quae ponitur contra *secundarias quasdam opiniones theologorum* supra recitatas (p. 171 sq.), aequivalenter probata est, quoad utramque sui partem ("Omnes" et "Soli"), in praecedenti Conclusione; deducitur enim et continetur in omnibus fere rationibus ibidem allatis.

Ceterum, ut supra dictum est (p. 171 sq.), *duae priores opiniones* videntur sola aequivocatione laborare, quamvis a modo dicendi *Biel, Durandi* et *Cano* sit simpliciter abstinendum, utpote contrario documentis Ecclesiae, et modus dicendi *Soti* non sit absque aliqua saltem declaratione adhibendus.

Duae vero posteriores opiniones de necessitate satisfactionis in re et impositionis manuum, quae longius aberrant, aptius discutientur inferius (art. 53. 70. 82).

Item, de modo quo contritio et satisfactio ingrediuntur essentiam sacramenti, scilicet de sensibili ratione contritionis et de proposito satisfaciendi, dicetur in proprio loco, ubi de his actibus in particulari (Caput IV, art. 26, et Caput VI, art. 70).

RESPONSIO

Praeter supra relatas difficultates, respicientes textus *Conc. Flor., Conc. Trid.* et *S. Thomae,* quarum immediatam solutionem exigebat ipsa probatio Conclusionis, sequentes obiectiones, deductas praecipue *ex ipsa indole sacramenti,* adversarii opponere solent:

Obj. 1. (*Contra Concl. 1 et 2*). Juxta hodiernam praxim, licite absolvitur sub conditione moribundus, sensibus destitutus, in quo nullum sive antea sive in praesenti deprehendatur signum poenitentiae. Atqui id non liceret, si actus externi poenitentis essent de essentia sacramenti (ita *Scotistae*) vel ad eius valorem requirerentur (ita *Ballerini*), secus attentaretur invalidum sacramentum. Ergo actus externi poenitentis non sunt de essentia nec requiruntur ad valorem sacramenti.

Resp. *Negatur minor.* Nam liceitas talis praxis, satis recentis (de qua fusius agetur in proprio loco), fundari potest (et juxta fautores nostrae sententiae fundatur) tum in praesumptione (seu prudenter existimata probabilitate, quamvis tenuissima) quod tales externi actus reipsa adfuerint vel adsint, quamvis ignorentur vel non deprehendantur, tum in illo principio quod in extremis extrema tentare licet.

Si obiectio valeret, *retorqueretur* contra ipsos obicientes, praecipue *Scotistas.* Nam, juxta istos, actus externi sunt conditiones requisitae ad existentiam seu valorem sacramenti; unde pariter non liceret absolvere moribundum, talibus exterioribus signis apparenter destitutum, vel Scotistis pariter incumbit explicare fundamentum liceitatis, quod aliud nequit esse nisi praesumptio existentiae praedictorum actuum. Item, juxta *Ballerini* sicut juxta omnes theologos, actus internus attritionis est conditio necessario requisita ad valorem sacramenti; unde pariter non liceret absolvere moribundum, qui non ostendit signa usus rationis sine quo attritio non datur, nec aliud fundamentum liceitatis talis absolutionis assignari potest quam praesumptio ipsius usus rationis.

Inde apparet instabilitas positionis Ballerini, qui in hoc fere tantum casu absolutionis moribundi suam sententiam fundavit. Agitur enim de praxi sat recenti; agitur praeterea de sola eius liceitate, quam ceterum antiquiores theologi etiam post Conc. Trid. communius negabant, non vero de certa validitate sacramenti, ut patet ex ipsa conditionata ipsius administratione.

Ad rem apte *Galtier:* "Arbitrarium . . . est et illogicum totam de constitutivis sacramenti doctrinam eruere ex facto adeo incerto.

"*Nec dicatur:* Si sacramentum tunc adest, — ut ex praedicta praxi videtur possibile, — haud minus arbitrariae sunt interpretationes quarum ope aliae sententiae illud explicant. *Disparitas enim est maxima.*

"Interpretationes enim illae: a) oriuntur ex doctrina de sacramenti constitutivis solide fundata, et nituntur facto psychologico obvio, ex quo qui fidem catholicam servavit eo ipso servat voluntatem, saltem in morte, faciendi quod in se est ut a peccato solvatur; b) sunt tantum de occurrentibus per accidens, in quibus mens Christi jure censetur fuisse ut materia sufficiat qualis sit pro circumstantiis possibilis. — Praedicta econtra opinio theoriam generalem de eis quae sint per se educit tantum ex illo casu dubio et cogit doctrinam statutam a Tridentino interpretari omnino arbitrarie: quod enim dicitur a concilio integrare sacramentum, ita ut sine eo esse non possit, id in illa opinione admittitur posse simpliciter abesse; quod vocatur a concilio aliquo vero sensu materia sacramenti, id in illa opinione admittitur esse mera subjecti recipientis interna dispositio."[14]

[14] De Paenitentia, thes. 23, n. 377, Parisiis, 1931, p. 282 sq.

Obj. 2. (*Contra Concl. 2 cum Scotistis*). Sacramentum est essentialiter signum gratiae. Atqui sola absolutio significat effectum huius sacramenti, i.e. remissionem peccatorum. Ergo in sola absolutione consistit essentia huius sacramenti.

Resp. *Nego minorem, vel distinguo:* Sola absolutio significat remissionem peccatorum, sub omni respectu, *nego;* sub respectu activae infusionis gratiae, seu causae remissionis peccatorum, *subdist.:* absolutio ex se sola significat hanc infusionem quomodolibet et praecisive, *concedo;* modo concreto et qualiter fit in hoc sacramento, seu sive per modum judicii sive per modum judicii conciliativi et poenitentialis, *nego.*

Imprimis, quamvis absolutioni competat praecipua et expressior similitudo cum remissione peccatorum, quatenus haec consideratur in sua causa quae est infusio gratiae, etiam tamen actibus poenitentis inest aliqua similitudo cum eodem effectu, juxta diversos aspectus qui in eo considerari possunt vel, si placet, juxta quaedam elementa quae cum eo intime connectuntur, uti praeparationem ad gratiam per motum liberi arbitrii in peccatum, quae significatur per *contritionem,* vel per motum liberi arbitrii in Deum, quae significatur per *confessionem;* item curationem reliquiarum peccati, quae significatur per *satisfactionem.*

Ad rem *S. Thomas,* respondens simili obiectioni *In 4 Sent., dist. 22, q. 2, a. 1, q. 3, ad 2:* "Remissio peccatorum habet aliquam similitudinem cum his quae in poenitentia aguntur: quia gratiae infusio, quae remissionem peccati causat, significatur per absolutionem sacerdotis; praeparatio ad gratiam quantum ad motum liberi arbitrii in peccatum, per contritionem; quantum vero ad motum liberi arbitrii in Deum, per confessionem, per quam Deo se committit sanandum; sed curatio reliquiarum peccati per satisfactionem et significatur et efficitur."

Praeterea, ipsa propria significatio absolutionis relate ad infusionem gratiae est de se indeterminata, nec aliter quam ex actibus poenitentis concretam accipit determinationem quae est propria huius sacramenti. Nam verba sacerdotis "Ego te absolvo", nude sumpta, significant solam remissionem seu solutionem a peccato; remissio autem quae fit in hoc sacramento non est simplex remissio et solutio, sed tum judicialis tum conciliativa et poenitentialis; hanc autem judicialem et praecipue hanc conciliativam ac poenitentialem significationem verba sacerdotis non habent independenter ab actibus poenitentis a quibus intrinsece integratur causa judicialis et a quibus provenit indoles conciliativa et praecipue poenitentialis huius judicii.

Ex quo patet in hoc sacramento, non secus ac in ceteris, significationem residere tum in eius forma tum in ejus materia, imo formaliter

nec in forma nec in materia divisive, sed in utraque ad modum unius, seu in composito unite et indivisibiliter, quamvis ad hanc compositi significationem eius partes diversimode concurrant, una nempe ut determinans (forma), altera ut determinata (materia) in eodem ordine significandi (cf. q. 60, a. 6, corp., ad 1 et 2).

Imo, quamvis formaliter et simpliciter loquendo significatio sacramentalis principaliter sit ex parte formae, seu *dependeat* a forma (cf. ibid., corp. et ad 1), cum forma sit principium constituens rem in aliqua specie, tamen secundum quid et sub aliqua ratione dici potest significationem principaliter esse ex parte materiae, seu *residere* in materia, eo quod forma nihil aliud faciat quam accedere ad perficiendam et complendam significationem materiae (cf. ibid., ad 2). Quo sensu *S. Thomas, In 4 Sent., dist. 22, q. 2, a. 2, q. 2,* non cunctatur asserere: "In sacramentis in quibus est materia et forma, significatio est ex parte materiae principaliter, sed efficacia ex parte formae; et ideo cum actus poenitentis in hoc sacramento sint sicut materia, et absolutio sacerdotis sicut forma; principaliter hoc sacramentum quantum ad rationem significandi consistit in actu poenitentis; sed quantum ad efficaciam, in absolutione sacerdotis."

Obj. 3. Sacramentum est essentialiter causativum gratiae. Atqui sola absolutio, nullatenus vero actus poenitentis, causat effectum huius sacramenti seu remissionem peccatorum. Ergo in sola absolutione consistit essentia huius sacramenti.

Resp. *Quidam theologi,*[15] *concessa minori, negant consequentiam,* quoniam, aiunt, quamvis sacramentum totaliter consideratum causet gratiam, nequaquam tamen necesse est ut causet secundum omnes sui partes; unde actus poenitentis possunt esse partes essentiae sacramenti, quamvis huius causalitas exerceatur per solam formam. Et hoc sensu, ut diximus supra (p. 189), *Ferrariensis* interpretatur doctrinam S. Thomae et *Cajetanus* explicat textum S. Doctoris in Comm. super Sententias.

Sed haec sententia est explicite contra doctrinam S. Doctoris (prout saltem continetur in Summa Theol., ut diximus ibidem) et nullatenus quadrat cum generali doctrina de sacramento, exposita in tractatu De sacr. in gen. Nam, cum sacramentum sit ens unum per se et tota eius ratio sit significare simul et causare, imo indivisim significare causando et causare significando, oportet ut quidquid concurrit ad sacramentum constituendum, concurrat significative simul et causative, ita ut omnis intrinseca pars sacramenti participet quodammodo utramque rationem.

[15] Confer apud *Suarez,* Disp. 18, sect. 2.

Unde *negamus minorem argumenti* et affirmamus cum *S. Thoma* (q. 86, a. 6, cit. in p. 187 sq.) tum absolutionem tum actus poenitentis concurrere efficienter ad remissionem peccatorum, quamvis illam principaliter, hos vero secundario et ut illi subordinatos.

Stricte et formaliter loquendo, influxus causativus competit non formae aut materiae divisive, sed ipsi sacramento unite et indivisibiliter (contra *Lugo* qui ponit duplicem partialem significationem et causalitatem, alteram materiae, alteram formae) et ratione ipsius sacramenti competit consequenter partibus eius, scilicet materiae et formae, et quidem eo modo quo sunt partes, adeoque principaliter formae; nam materia habet rationem potentiae, forma vero rationem actus, unde principaliter ex forma compositum habet ut sit actuale, et consequenter operativum, cum operatio se habeat ex parte actualitatis. Et hoc est quod dicitur a *S. Thoma* in textu citato ad calcem praecedentis obiectionis.

Instes. Si actus poenitentis concurrerent active ad effectum sacramenti sequeretur:

1. Poenitentem *semetipsum justificare* et sibimetipsi remittere peccata, quod contradicit tum principio distinctionis causae et effectus, tum indoli ceterorum sacramentorum;
2. Poenitentem *semetipsum absolvere,* quod est contra indolem judicialem huius sacramenti, ex qua petitur distinctio inter judicantem et judicatum;
3. Poenitentem *esse partialiter ministrum* huius sacramenti, quod est tum contra indolem ceterorum sacramentorum, tum contra doctrinam Ecclesiae de distinctione ministri a subiecto, tum contra verba Christi conferentis solis sacerdotibus potestatem remissivam.

Resp. Admissa in actibus poenitentis praedicta ratione solius concursus ad modum materiae sacramenti, nullum ex adductis inconvenientibus sequitur. Profecto:

1. Non sequitur poenitentem dici posse simpliciter et proprie *justificare semetipsum* vel sibi ipsi remittere peccata, quia non ponit ipsam actionem justificativam quae est propria sacramenti, sed concurrit tantum ponendo actus qui partialiter et secundarie constituunt propriam causam ex qua sequitur illa actio, scilicet sacramentum. Ipsi quoque actus poenitentis, semel constituto sacramento, concurrunt quidem ad actionem remissivam, non tamen prout sunt actus poenitentis, sed prout sunt elementa sacramenti, adeoque cum sacramento et in sacramento, et quidem ut eius materia, adeoque ut affecti ab eius forma, et ratione istius formaliter ut est actu sacramenti forma.

Ex quo etiam patet hoc sacramentum (sicut et Matrimonium) non contradicere indoli ceterorum sacramentorum, sed tantummodo ab eis differre quantum ad materiam qua sacramentum constituitur; hoc enim, semel constitutum (parum refert an ex aliqua materia sensibili extrinseca subiecto vel ex ipsis actibus istius), influit ex vi propria in subiectum in quo suscipitur, ita ut non minus efficienter concurrat aqua in Baptismo, quam actus poenitentis in Poenitentia.

Ceterum, et in aliis sacramentis, quae in materia sensibili consistunt, ipsum subiectum suo modo concurrit ad efficientiam sacramenti, quia materia proxima, quae directe et proxime intrat constitutionem sacramenti, est ipse usus materiae, puta ablutio aquae, quae est active in ministro, passive vero in ipso subiecto. Imo in sacramento Ordinis, si dicatur eius materia olim fuisse traditio instrumentorum, subiectum intimius concurrisset ad constitutionem sacramenti, et consequenter ad eius causalitatem, quatenus ad validitatem necessarius fuisset tactus instrumentorum ab ordinando seu positiva actio tangendi instrumenta.

2. A fortiori non sequitur poenitentem *semetipsum absolvere,* quia hoc verbum explicat efficientiam sacramenti non quomodolibet, sed prout se habet ex parte formae et ministri, maxime si "absolutio" intelligatur in sensu sententiae judicialis. Potest tamen dici quod poenitens, vel potius actus poenitentis, concurrit ad hoc ut absolvatur, eo quod concurrat ad constituendum sacramentum, cuius forma est absolutio et per cuius influxum minister absolvit.

3. Nullo sensu sequitur *poenitentem esse etiam partialiter ministrum* sacramenti, quia minister non est qui quomodolibet subministrat solam materiam, sed qui applicat sacramentum, et quidem ut instrumentum humanum sub influxu Christi per illud agentis. Id autem fit a solo sacerdote, quatenus ponit ipsam formam, quae est principium dominans et determinans, ac inde coniungit formam materiae, ac inde facit ut actus poenitentis sint formaliter materia sacramenti, ac inde constituit sacramentum, et hoc sensu ponit totum sacramentum, ac tandem assumitur a Deo una cum sacramento ad causandam gratiam.

Nec refert quod in ceteris sacramentis (excepto ex parte Matrimonio et aliquatenus Ordine, in supradicta hypothesi) minister ponat etiam materiam, quoniam id accidentaliter se habet ad rationem ministri qua talis et confert tantum ad ostendendam excellentiam gratiae quae in illis datur supra omnem facultatem humani actus et excellentiam virtutis Christi quae in omnibus sacramentis operatur (q. 84, a. 1, ad 1 et 2, cit. in p. 182 sq.).

Etiam in corporali curatione, ut notat *S. Thomas* (ibid., ad 1), remedia quae adhibentur, quaedam sunt res exteriores ab ipso medico ministratae, quaedam sunt exercitationes et actus ipsorum sanandorum, a medico forte imperati; nec tamen ipse infirmus ullatenus dicitur esse medicus suae infirmitatis vel sempliciter causa suae curationis, quamvis praebeat concursum ad hoc ut a medico sanetur.

Urges. In naturalibus dicitur vere causa compositi non tantum qui ponit solam formam, ut ignis dicitur generare ignem, sed etiam qui ponit solam materiam, ut homo dicitur generare hominem; unde si actus poenitentis essent materia componens sacramentum, ipse etiam poenitens vere diceretur causa seu minister sacramenti.

Resp. Ut patet ex ipsis exemplis allatis, ad hoc ut qui ponit unam partem dicatur causa compositi non sufficit ut partem ministret (secus qui produxit atramentum quo utor, hunc librum scribendo, esset causa mei libri), sed requiritur ut unam partem alteri coniungat, vel quomodolibet sit ratio quare duae partes simul conveniant. Unde negatur paritas cum actibus poenitentis, quoniam hic ponit quidem materiam, sed eam non apponit formae, nec est ratio quare ambae simul conveniant, quemadmodum sacerdos, cui data est potestas ut per sua verba materiam determinet et ad rationem sacramentalem elevet.

Obj. 4. Hoc sacramentum consistit essentialiter in judicio, ut patet ex Conc. Trid., cap. 4. Jamvero judicium importat essentialiter solam sententiam, quae in casu est absolutio, cetera vero tantummodo connotantur ut praerequisita ad hoc ut sententia ferri possit. Ergo sola absolutio pertinet ad essentiam sacramenti.

Resp. *Neg. maj.*, intellecto judicio ut sumitur ab obiciente pro sola sententia judiciali et non, ut etiam sumitur, pro tota causa judiciali. Ut dictum est supra in Concl. 2 (p. 178 sq.), juxta Traditionem et notanter juxta Conc. Later. IV et Trid., hoc sacramentum est tribunal seu processus judicialis, ad cuius essentiam pertinet etiam actus accusatoris et testium. Inepte autem invocatur cap. 4 Conc. Trid., nam ibi agitur de sola absolutione, quae dicitur fieri "ad instar actus iudicialis, quo ab ipso [sacerdote] velut a iudice sententia pronuntiatur."

Obj. 5. Actio sacramentalis est *actio ministri et actio Christi;* actus autem poenitentis non sunt actiones ministri nec Christi; ergo non sunt actiones sacramentales nec ideo pertinent ad essentiam sacramenti.

Resp. In verbis "actio sacramentalis" latet aequivocatio. Actio quae est sacramentalis formaliter ut actio, qualis est ipsa applicatio et administratio sacramenti, vel eius constitutio per coniunctionem materiae et formae, vel ipsa prolatio seu positio formae, vel ipse causativus

influxus sacramenti, conceditur quod sit actio Christi et ministri; id vero negatur de actione quae est sacramentalis materialiter tantum, i.e. prout est quaedam entitas seu elementum sacramenti (cui accidit esse actionem vel secus), quemadmodum sunt actus poenitentis; secus etiam actus vel motus aquae decurrentis in ablutione baptismali, deberet dici actio Christi et ministri.

Obj. 6. Sacramentum ponitur a ministro; ergo actus poenitentis non pertinent ad essentiam sacramenti.

Resp. In verbo "ponitur" alia continetur aequivocatio (frequens apud adversarios) quae ex dictis supra (p. 195 sq.) sufficienter explosa manet. Minister nempe est causa totius sacramenti, et hoc sensu ponit totum sacramentum, quatenus scilicet, ponendo directe solam formam, est ratio quare per hanc determinetur materia ad esse sacramentale. Quo sensu non inepte diceres ministrum ponere ipsam materiam Poenitentiae, formalissime qua talem, quippe quae ita non ponatur a poenitente.

Obj. 7. Materia sacramenti debet esse quid sensibile et coexistere formae. Jamvero contritio et propositum satisfactionis non sunt quid sensibile, confessio vero et satisfactio non necessario coexistunt absolutioni, sed prior potest diu praecedere, altera subsequi.

Resp. Materia sacramenti non debet esse quid ex omni parte sensibile, sed sufficit ut sit aliqua ratione sensibilis et sub ista ratione ingrediatur constitutionem sacramenti, ut contingit contritioni et proposito satisfactionis. Ut dictum est in tractatu De sacr. in gen. (art. 4, p. 107), in sacramentis sufficit simultas moralis inter partes, et quidem maior vel minor juxta indolem cuiuslibet sacramenti; unde, attenta indole judiciali Poenitentiae, confessio potest diu praecedere absolutionem, sicut declaratio testium sententiam judicis. Satisfactio autem in re non pertinet ad essentiam sacramenti sed potius se habet ut executio sententiae punitivae; unde potest subsequi absolutionem.

ART. 5. **Utrum Actus Poenitentis Sint Partes Integrales Materiae Poenitentiae Ac Ita Huic Sacramento Proprium Sit Partes Habere** (q. 90; cf. In 4 Sent., dist. 16, q. 1, a. 1).

STATUS QUAESTIONIS

In art. praec. vidimus de his quae pertinent ad ipsam essentiam physicam huius sacramenti, seu de materia et forma, quae dicuntur

partes essentiales; jam inquiritur de his quae pertinent directe ad solam eius integritatem, seu *de partibus integralibus quantitativis*, quae accipiuntur ex parte materiae. Cum enim statutum sit materiam huius sacramenti residere in tribus actibus poenitentis complexive sumptis, quaeritur quomodo tres illi actus, divisim considerati, concurrant ad materiam sacramenti continendam, dividendam et componendam, utrum nempe ut partes subiectivae, an potentiales, an integrales.

In documentis etiam Ecclesiae huic sacramento, secus ac ceteris, ratio partium specialiter tribuitur; *Concilium Flor.* ait "actus poenitentis in tres distingui partes" (Denz. 699), *Conc. Trid.* signantius docet actus poenitentis "quatenus ad integritatem sacramenti requiruntur, poenitentiae partes dici" (cap. 3, cf. can. 4; Catech. Conc. Trid., p. 2, c. 5, q. 13). *S. Thomas* huic rei specialem quaestionem (q. 90) consecrat, cui titulus "De partibus poenitentiae . . . in generali".

Ad cuius quaestionis intellectum, aliquid ex philosophia praelibandum est de ratione partium et totius, sibi invicem respondentium.[16]

Ut apte praemittit *S. Thomas* in a. 1, "partes rei sunt in quas materialiter totum dividitur; habent enim se partes ad totum sicut materia ad formam; unde in lib. ii Physic. [text. 31] partes ponuntur in genere causae materialis, totum autem in genere causae formalis. Ubicumque igitur ex parte materiae invenitur aliqua pluralitas, ibi est invenire partium rationem."

Totum distinguitur duplex: integrale et potestativum; vel triplex: integrale, potentiale et universale; vel quadruplex: essentiale, quantitativum, potentiale et universale. Haec quatuor membra sic logice disponi possunt:

- Totum integrale (partes integrales)
  - totum essentiale (partes essentiales)
  - totum quantitativum (partes quantitativae, vel integrales simpliciter dictae)
- Totum potestativum (partes potestativae)
  - totum potentiale (partes potentiales)
  - totum universale (partes subiectivae)

Haec divisio accipitur juxta diversum modum quo totum et partes ad invicem referuntur. In *toto integrali* attenditur perfectio rei et partes considerantur ut constituentes seu integrantes illam; cum autem perfectio rei alia sit essentialis et alia quantitativa, duplex habetur

[16] Cf. *S. Thomam*, hic, a. 1. 2. 3; In 4 Sent., dist. 16, q. 1, a. 1, q. 3; 1 p., q. 76, a. 8; In Met., lib. 5, lect. 21 (editio Cathala, n. 1089. 1093 sqq.); lib. 7, lect. 10 (ibid., n. 1486 sqq.); lect. 12 (ibid., n. 1546); *Cajetanum*, In 1 p., q. 76, a. 8; *Joannem a S. Thoma*, Ars Logica, cap. iv De divisione (editio Reiser, p. 21 sq.); *Gredt, Remer, Monaco*, in Logica ubi de Divisione.

genus totius integralis eiusque partium, i.e. *totum essentiale*, cuius partes essentiales sunt materia et forma (tum in ordine physico, tum in ordine metaphysico in quo genus et differentia se habent ut materia et forma), et *totum quantitativum*, cuius partes quantitativae (integrales stricte dictae) sunt iterum duplicis ordinis: aliae nempe sine quibus ipsa essentia salvari nequit (partes integrales quodammodo essentiales), uti caput et cor in corpore humano, et aliae quae pertinent ad accidentale rei complementum et sine quibus essentia rei consistere potest (partes mere integrales, seu integrales strictissime dictae), uti pedes et manus in corpore humano.

In *toto vero potestativo* attenditur virtus rei et partes considerantur ut subiectae virtuti totius; cum autem haec virtus et subiectio duplex sit, alia nempe in ordine reali efficientiae et operationis, alia vero in ordine logico praedicationis et attributionis, duplex etiam habetur genus totius potestativi eiusque partium, i.e. *totum potentiale*, cuius partes potentiales sunt varii modi influendi et operandi, sicut vegetativum, sensitivum et intellectivum, aut cognoscitivum et appetitivum, sunt partes animae humanae, vel judicativum, consiliativum et imperativum sunt partes prudentiae, et *totum universale* seu logicum (a quibusdam etiam potentiale appellatum), quod nihil aliud est quam genus relate ad species et differentias specificas, quae dicuntur partes subiectivae, eo quod dividunt et quodammodo componunt genus tanquam id quod de eis praedicatur et in eis subiectatur ac continetur, quemadmodum animal continetur in homine et bruto, in rationali et irrationali.

Quoad modum continentiae et praedicationis nota cum *S. Thoma* (a. 3) quod *totum universale* perfecte continetur in singulis partibus quoad suam essentiam et virtutem, adeoque potest de singulis simpliciter praedicari, ut de homine et de bruto praedicatur animal; *totum vero potentiale* continetur in singulis partibus perfecte quoad essentiam sed non perfecte quoad virtutem adeoque potest aliqua tantum ratione praedicari de singulis, ut cum dicitur quod principium vegetativum in homine est anima rationalis; *totum autem integrale*, tam essentiale quam quantitativum, non continetur perfecte in singulis partibus nec quoad essentiam nec quoad virtutem, adeoque per se nullo modo potest de singulis praedicari, ut si diceretur quod materia est homo, vel animal est homo, vel caput est corpus humanum.

Contra quosdam antiquos, tacito nomine relatos a S. Thoma, qui docuerunt actus poenitentis esse partes subiectivas vel potentiales huius sacramenti, docent communiter theologi cum Angelico eos esse tantummodo partes integrales, modo mox explicando.

CONCLUSIO

Actus poenitentis non sunt partes sacramenti subiectivae vel potentiales, sed integrales, et quidem non essentiales sed quantitativae, ita tamen ut integrent ipsam materiam sacramenti. Hoc autem nulli alio sacramento convenit ac propterea solum sacramentum Poenitentiae dicitur habere partes.

Probatur per partes.

1A PARS. *Actus poenitentis non sunt partes subiectivae sacramenti*, sicut nempe tres species eiusdem sacramenti Poenitentiae (a. 3).

Etenim de ratione partium subiectivarum est ut singulis adsit tota essentia et virtus totius, simul et aequaliter, quemadmodum tota essentia et virtus animalis, inquantum est animal, salvatur in homine et bruto, quae simul et aequaliter dividunt animal. Hoc autem non convenit singulis actibus poenitentis; nam in eis non salvatur forma sacramenti, quae est distinctus actus absolutionis, nec etiam tota materia sacramenti, quae, ut dictum est in duobus art. praec., coalescit ex tribus actibus contritionis, confessionis et satisfactionis, qui nec sunt aequales sed diversae rationis, nec sunt simul sed successivi, ordine saltem naturae.

2A PARS. *Actus poenitentis non sunt partes potentiales sacramenti*, sicut nempe tres activitates eiusdem formae (a. 3).

Etenim de ratione partium potentialium est quod singulis adsit tota essentia totius, sicut tota essentia animae adest cuilibet eius virtuti et potentiae, uti cognoscitivo et appetitivo, intellectui et voluntati, et quod singulis competat specialis et distinctus modus influendi et operandi, ut patet in cognoscitivo et appetitivo. Singulis autem actibus poenitentis non convenit primum, ut nuper dictum est, nec etiam secundum, quoniam non influunt in justificationem distincte, et inaequaliter, quasi contritio uno modo et confessio aut satisfactio alio modo, sed aequaliter et ad modum unius, quatenus ex eis resultat unum quod necessario requiritur ad judicium poenitentiale.

3A PARS. *Actus poenitentis sunt partes integrales* (a. 3).

Cum actus poenitentis sint verae partes sacramenti, ut probatum est in art. praec. cumque triplex sit genus partium, subiectivarum nempe, potentialium et integralium, ex exclusione duplicis prioris generis "relinquitur quod praedicta tria [contritionem, confessionem et satisfactionem] sint partes integrales poenitentiae; ad quarum rationem exigitur ut totum non adsit singulis partibus, neque secundum totam virtutem ejus, neque secundum totam ejus essentiam, sed omnibus simul."

Res ceterum manifesta est ex consideratione sacramentalis indolis actuum poenitentis; omnes enim concurrunt ad constituendam seu integrandam perfectionem sacramenti, et quidem simul et aequaliter, si consideratur simultas relationis et aequalitas proportionis.

4A PARS. Actus poenitentis non sunt partes essentiales sed quantitativae, integrantes tamen materiam sacramenti (a. 2).

Actus poenitentis dupliciter considerari possunt: vel collective et in comparatione ad formam aut ad totum sacramentum, et ita sunt partes essentiales (seu potius pars essentialis) quoniam ita non differunt ab ipsa materia sacramenti quae ex ipsis coalescit, vel divisim et in comparatione ad compartes et ad materiam sacramenti quae ex ipsis componitur, et ita non sunt partes essentiales, adeoque se habent ad modum partium quantitativarum.

Nam in composito naturali duplex tantum datur genus partium constituentium, scilicet partes essentiales, quae sunt materia et forma, et partes quantitativae, cum in materia nulla partium diversitas inveniatur nisi ratione quantitatis. Unde in composito sacramentali, quod naturale compositum analogice imitatur per modum artefacti, actus poenitentis se habentes ex parte materiae se habent analogice ad modum partium quantitativarum.

Ad rem *S. Thomas:* "Duplex est pars, ut dicitur in lib. vii Metaph. [text. 33 sq.], scilicet pars essentiae, et pars quantitatis. Partes essentiae sunt naturaliter quidem forma et materia, logice autem genus et differentia. Hoc autem modo quodlibet sacramentum distinguitur in materiam et formam, sicut in partes essentiae. Unde et supra dictum est (quaest. lx, art. 5 et 6), quod sacramenta consistunt in rebus et verbis. Sed quia quantitas se tenet ex parte materiae, partes quantitatis sunt partes materiae. Et hoc modo sacramento poenitentiae specialiter assignantur partes . . . quantum ad actus poenitentis, qui sunt materia hujus sacramenti."

Cum autem in composito naturali partes quantitativae sint duplicis generis, aliae sine quibus ipsa essentia rei salvari non possit, ut caput et cor in corpore humano, et aliae sine quibus essentia consistit, ut manus et pedes, ad primum genus pertinent actus poenitentis, quippe qui integrent ipsam essentiam seu materiam sacramenti. Excipitur tamen satisfactio in re, eo quod, ut ostendetur in art. 70, ipsa non requiratur ad integrandam essentiam sacramenti, sed complementarem eius perfectionem.

Considerando adaequate hoc sacramentum, *quatuor genera compositionum, totalitatum et partium invenimus,* quorum tria priora conveniunt omnibus sacramentis, ultimum vero soli Poenitentiae.

Primo enim invenitur compositio metaphysica ex ratione signi (materia) et ratione signati (forma), ubi habentur totum essentiale et partes essentiales; secundo datur compositio physica ex relatione signi (forma) et eius fundamento (materia), ubi pariter adsunt totum et partes essentiales; tertio in praedicto fundamento invenitur compositio ex absolutione (forma) et actibus poenitentis (materia), ubi iterum habentur totum et partes essentiales; quarto in praedicta materia quae est actus poenitentis datur compositio ex triplici actu, in qua continentur totum integrale et partes integrales, simul et aequaliter concurrentes ad compositionem.

Quia autem sacramentum, sicut omne artefactum, supponit pro materia[17] et materia hic simpliciter sunt actus poenitentis, cum dicitur Poenitentiam habere partes, id simpliciter intelligitur de partibus integralibus huius materiae seu de ipsis actibus poenitentis. Et quia in sola Poenitentia contingit materiam tales partes habere, ut mox ostendetur, ideo de hoc tantum sacramento simpliciter praedicatur quod habeat partes.

5A PARS. Solum sacramentum Poenitentiae habet huiusmodi partes quantitativas, ac propterea ipsi soli "specialiter assignantur partes" (a. 2) et de ipso solo simpliciter praedicatur habere partes.

Ratio est quia tantummodo Poenitentia et Matrimonium (in quo tamen non est pluralitas partium) materia consistit non in aliqua re exteriori vel eius usu, sed in actibus humanis ipsius subjecti, in quibus tantum inveniri potest aliqua *formalis seu sacramentalis diversitas partium.* Ad rem *S. Thomas:* "In aliis . . . sacramentis materia non sunt actus humani, sed aliqua res exterior una, sive simplex, ut aqua vel oleum; sive composita, ut chrisma. Et ideo aliis sacramentis non assignantur partes" (*a. 1, ad 2*).

Confirmatur ex communi modo loquendi Conciliorum et theologorum, qui inquirere solent de partibus sacramenti Poenitentiae, non vero aliorum sacramentorum; quod signum est, peculiariter et simpliciter huic soli sacramento convenire habere partes.

Praefatae rationi et verbis S. Doctoris opponit Suarez quod etiam in aliis sacramentis, quippe quae in usu consistunt (excepta Eucharistia), inveniuntur actus humani qui sunt materia proxima illorum et ex quibus accipi potest multiplicitas partium, ut constat in pluribus unctionibus adhibitis in Extrema Unctione. In ipso etiam Matrimonio, quod consistit in actu subiecti, duplex habetur actus, seu duplex partialis traditio. Unde non est simpliciter et universaliter verum in aliis sacramentis, praeter Poenitentiam, non posse accipi partes, quinimmo in solo Baptismo id verificatur.

[17] Cf. art. praec., p. 172; tractatum De sacr. in gen., p. 54. 91. 109 sq. 415.

Respondetur obicientem materialiter tantum considerare rationem sacramenti in genere et peculiarem indolem Poenitentiae, ex quo ei praecluditur intelligentia profundae rationis eorum quae Angelicus hic meditatissime asseruit. Cum enim ratio formalis sacramenti consistat in significando, ibi attenditur formaliter pluralitas sacramentalis ex parte materiae ubi haberi potest pluralitas rerum in significando, ita ut quaelibet alia pluralitas sit ad rem impertinens et accidentalis. Jamvero ex solis actibus humanis praedicta pluralitas in materia sacramentorum exsurgere potest, quia in ipsis solis inveniri potest quaedam sibi propria significatio, immediate elevabilis ad rationem sacramentalem.

Ad cuius rei intelligentiam *notandum est imprimis* quod, simpliciter loquendo materia sacramenti (seu partiale subiectum significationis sacramentalis) est id quod immediate coniungitur cum forma, scilicet materia proxima, adeoque actus subiecti in Poenitentia et Matrimonio, species in Eucharistia et usus rei sensibilis (non ipsa res sensibilis) in ceteris sacramentis; unde tantummodo ex parte materiae proximae accipienda est pluralitas sacramentalis in materia sacramenti, ita ut impertinens et accidentalis sit omnis pluralitas quae invenitur in materia remota, puta in aqua, oleo, pane, et in ipso chrismate.

Praeterea, significatio sacramentalis, qua materia proxima refertur ad effectum sacramenti, non eodem modo ei convenit in omnibus sacramentis.

Nam in *Poenitentia et Matrimonio* significatio competit materiae seu actibus subiecti tanquam *ex vi propria,* quia haec sacramenta "habent effectum correspondentem humanis actibus",[18] quatenus Deus producit v.g. gratiam sacramentalem justificationis per ipsos actus poenitentiales, quibus homo etiam ad justificationem extrasacramentalem concurrit; nec refert quod actus poenitentis non sint formaliter materia sacramentalis nec habeant formaliter sacramentalem significationem nisi cum uniuntur formae absolutionis et ratione istius, nam forma praedictam significationem in eos non inducit sed invenit, ac tantum vivificat, elevat et formalizat in ratione sacramenti.

Ex quo sequitur quod omnis pluralitas quae in praedictis actibus invenitur est eo ipso sacramentalis et est vera ac formalis pluralitas partium materiae sacramenti qua talis. Quod quidem accidit in sola Poenitentia, ut patet ex diversa ratione et finalitate actuum contritionis, confessionis et satisfactionis; in Matrimonio vero unicus habetur formaliter actus bilateralis seu contractualis traditionis, in quo pluralitas duarum partialium traditionum necessario quidem requiritur, sed est quid materiale et impertinens ad praesentem quaestionem, cum agatur de unico actu formali et de unica significatione.

[18] 3 p., q. 84, a. 1; cf. In 4 Sent., dist. 22, q. 2, a. 1, q. 1, ad 2.

In ceteris vero sacramentis significatio sacramentalis advenit materiae *ab extrinseco,* quia, ut ait *S. Thomas,* eorum materia "in quantum ab exteriori datur, repraesentat exterius agens in sanctificationem . . . [non vero] cooperationem recipientis"[19] et quia effectus significatus ab istis sacramentis non est aliquis effectus correspondens humanis actibus sed quaedam "excellens gratia, quae superabundat omnem facultatem humani actus . . . [quaeque] provenit ex virtute Christi, quasi ex quodam extrinseco principio";[20] aliis verbis: in istis sacramentis, secus ac in Poenitentia et Matrimonio, Deus non eligit aliquam materiam, ex se aliunde ordinata ad consecutionem gratiae eamque ex propria vi quodammodo significans, sed materiam ex se neutram, cui oporteat talem significationem infundere (quamvis de cetero sit remote apta ad eam suscipiendam).

Jamvero virtus exterioris agentis, ex qua descendit significatio sacramentalis in materiam istorum sacramentorum, est una et simplex, ut patet ex unitate finis et effectus uniuscuiusque sacramenti, adeoque comparatur ad illam materiam ad modum simplicis principii ex quo descendit in eam significatio sacramentalis per modum simplicis effectus. Unde in materia istorum sacramentorum ex nulla ratione peti potest sacramentalis distinctio et pluralitas partium, et omnis pluralitas quae in eis invenitur est mere accidentalis et impertinens, ut quod in Eucharistia sit duplex species (quae ceterum integrat unum signum convivii), in Confirmatione duplex actio impositionis manuum et unctionis, in Extrema Unctione plures unctiones.

RESPONSIO

Obj. 1. Omne sacramentum est quid unum et simplex, ut patet ex unitate significationis, effectus et virtutis divinae in eo operantis. Ergo Poenitentiae nequeunt partes assignari.

Resp. Unitas et simplicitas sacramenti in ratione signi et causae non excludit multiplicitatem, et quidem diversorum generum, ex parte fundamenti relationis signi et subiecti virtutis causativae, cum plura possint ordine quodam concurrere ad eamdem significationem exprimendam vel virtutem exercendam. Hoc ultimum maxime patet in instrumentis divinae virtutis quae, una et simplex existens, "propter sui

[19] In 4 Sent., dist. 22, q. 2, a. 1, q. 1, ad 2.
[20] 3 p., q. 84, a. 1.

magnitudinem operari potest et per unum et per multa, ratione quorum alicui sacramento possunt partes assignari" *(a. 1, ad 1)*.

Nota tamen quod sive significatio, sive praecipue causalitas, nullo modo, ne quidem materialiter, multiplicatur pro pluralitate partium sacramenti, ita ut diversis partibus competant partiales significationes et causalitates, ex quibus resultet una totalis ac formaliter indivisibilis significatio et causalitas (ut quidam putant), sed una omnimode indivisibilis significatio et causalitas residet in omnibus partibus, prout sunt unum fundamentum et unum subiectum ex illis constitutum. Nec obstat quod sacramentum sit ens successivum, quia, ut dictum est in tractatu De sacr. in gen., in ultimo instanti terminativo et in ultima sui parte sacramentum, sicut praecise omne ens successivum, existit, significat et causat, in virtute omnium instantium et partium quae praecesserunt.

Obj. 2. Actus poenitentis non sunt partes virtutis Poenitentiae, quippe quae sit habitus quidam seu simplex qualitas mentis. Ergo similiter nec sunt partes sacramenti, quod est simplex signum et instrumentum.

Resp. *Negatur paritas.* Nam actus comparantur ad habitum sicut effectus, non sicut partes, possunt autem comparari ad sacramentum sicut partes materiae, et ideo "poenitentiae, secundum quod est virtus, non assignantur partes", quamvis ei partes assignentur prout est sacramentum (a. 1, ad 2; cf. In 4 Sent., dist. 16, q. 1, a. 1, q. 4).

Obj. 3. Materia sacramenti Poenitentiae est peccatum. Sed peccato non assignantur partes. Ergo nec Poenitentiae.

Resp. Peccatum est tantum materia remota sacramenti, quatenus est obiectum actuum poenitentis, qui sunt partes materiae proximae (a. 1, ad 3).

Ceterum, etiam peccato assignari possunt partes tum subiectivae, tum integrales, quamvis non ex istis praecise desumatur divisio partium integralium sacramenti. Partes enim subiectivae peccati sunt peccatum cordis (quod est in solo corde), peccatum oris (quod est in corde et in ore) et peccatum operis (quod est in corde, ore et opere); nam, cum "bonum sit ex integra causa, malum vero ex quocumque defectu", ratio peccati potest etiam in uno tantum defectu consistere, adeoque peccatum cordis est una perfecta species peccati, et similiter duae aliae species sunt peccatum oris et peccatum operis. Praeterea, tum in peccato oris tum in peccato operis partes quasi integrales

distingui possunt, scilicet id quod est in corde, id quod est in ore et in quod est in opere (a. 3, ad 1; cf. *Cajetanum,* In h. l.).

Simili autem modo distinguuntur tres actus poenitentis, scilicet actus cordis (contritio), actus oris (confessio) et actus operis (satisfactio), non ita tamen quod hi tres actus correspondeant tribus praedictis peccatis, quinimmo circa unumquodque ex his peccatis oportet simul ponere tres illos actus poenitentiae, quia hi non sunt etiam partes subiectivae poenitentiae, cuius ratio non salvatur nisi in tribus actibus simul sumptis. Nam, ut observat *S. Thomas,* "plura requiruntur ad bonum, 'quod procedit ex integra causa, quam ad malum, quod procedit ex singularibus defectibus,' secundum Dionysium [De div. nom., 4, 4]. Et ideo licet peccatum perficiatur in consensu cordis, ad perfectionem tamen poenitentiae requiritur et contritio cordis, et confessio oris, et satisfactio operis" *(a. 2, ad 4;* cf. In 4 Sent., dist. 16, q. 1, a. 1, q. 3, ad 1).

Obj. 4. Peccatum dividitur in peccatum cordis, oris et operis tanquam in partes subiectivas. Ergo etiam sacramentum Poenitentiae dividitur in poenitentiam cordis, oris et operis (contritionem, confessionem et satisfactionem) tanquam in partes subiectivas.

Resp. Ut nuper dictum est, non valet paritas inter peccatum et poenitentiam, nisi in hoc quod in utroque elementum cordis, oris et operis, sunt quodammodo partes integrantes (a. 3, ad 1).

Obj. 5. Totum integrale nequit praedicari de sua parte, quemadmodum totum universale; non enim dici potest pedem esse hominem, sicut dicitur hominem esse animal. Atqui Poenitentia recte praedicatur de confessione, cum dicitur: Confessio est sacramentum Poenitentiae. Ergo saltem confessio non est pars integralis, sed subiectiva, sacramenti Poenitentiae.

Resp. Maior est vera tum formaliter et per se, tum etiam de facto in concretis substantialibus. In concretis vero accidentalibus seu artefactis, quale est sacramentum, aliunde contingit ut totum praedicetur de parte eius materiali, eo quod, ut dictum est in tractatu De sacr. in gen. (p. 54. 91. 109 sq. 415), in praedicatione simplici, concreta accidentalia supponant pro sua materia. Unde sicut recte praedicatur: Lignum est cathedra et Homines sunt societas, ita recte dicitur: Confessio est sacramentum, eo vel magis quod nomine confessionis intelligi solet etiam contritio, a qua confessio informatur, et propositum satisfactionis, quod in contritione continetur, seu tota materia sacramenti.

Obj. 6. Nulla pars integralis continet in se aliam partem, sibi condivisam. Atqui actus poenitentis sibi invicem continentur, ut patet de contritione, quae implicat propositum confitendi et satisfaciendi, et de confessione, quae continet contritionem. Ergo actus poenitentis non sunt partes integrales.

Resp. Una pars integralis potest aliam, imo ipsum totum, in se aliquo modo continere, non tamen simpliciter et secundum essentiam, quemadmodum pars subiectiva. Ita cor continet quodammodo caput, scilicet virtute, inquantum juxta communem aestimationem est principium vitae, qua et caput vivit, et vicissim caput virtute continet cor, inquantum est principium sensationis, quae residet etiam in corde. Similiter confessio continet contritionem tanquam eius effectum et signum, et praecipue contritio continet virtute confessionem et satisfactionem, tanquam eorum principium et fundamentum; quo sensu dici potest contritionem continere virtute totam poenitentiam.

Ad rem *S. Thomas:* "Una pars integralis potest continere totum, licet non secundum essentiam; fundamentum enim quodammodo virtute continet totum aedificium, et hoc modo contritio continet virtute totam poenitentiam" (*a. 3, ad 2*).

Obj. 7. Ex partibus integralibus, simul et aequaliter constituitur totum, sicut linea ex suis partibus. Atqui hoc non contingit in actibus poenitentis relate ad sacramentum. Ergo ipsi non sunt partes integrales sacramenti.

Resp. Partes integrales aliae sunt homogeneae, sicut partes lineae, et generaliter partes corporis non viventis, aliae sunt heterogeneae, sicut partes corporis viventis. Non autem in omnibus requiritur materialis aequalitas et physica simultas, quemadmodum in partibus lineis, sed in omnibus habetur, quamvis diversimode, simultas et aequalitas ordinis, seu simultas relationis et aequalitas proportionis.

Ad rem *S. Thomas:* "Omnes partes integrales habent *ordinem* quemdam ad invicem; sed quaedam habent ordinem tantum *in situ*, sive consequenter se habeant, sicut partes exercitus; sive se tangant, sicut partes acervi; sive etiam colligentur, sicut partes domus; sive etiam continuentur, sicut partes lineae; quaedam vero habent insuper ordinem *virtutis*, sicut partes animalis, quarum prima virtute est cor, et aliae quodam ordine virtutis dependent ab invicem; tertio modo ordinantur ordine *temporis*, sicut partes temporis et motus. Partes igitur poenitentiae habent ad invicem ordinem virtutis et temporis, quia sunt actus; non autem ordinem situs, quia non habent positionem" (*a. 3, ad 3*).

ART. 6. Utrum Peccata Sint Materia Remota Huius Sacramenti (q. 84, a. 2; q. 90, a. 1, ad 3).

STATUS QUAESTIONIS

Agitur de *MATERIA REMOTA* huius sacramenti, circa quam duae moventur quaestiones:

1. An peccata sint materia, et quidem remota.
2. Quaenam peccata sint materia remota, an nempe omnia et sola peccata post Baptismum commissa.

Prima quaestio est obiectum huius articuli; altera considerabitur in articulis sequentibus, et quidem secundum triplicem sui partem, scilicet: an materia huius sacramenti sint omnia peccata post Baptismum commissa (art. 7), an etiam peccata ante Baptismum commissa (art. 8), an pariter peccata Baptismum concomitantia (art. 9). Ceterum, generalis quaestio de habitudine peccati ad Poenitentiam ulterius complebitur ubi de obiecto virtutis Poenitentiae (art. 14) et de effectu sacramenti seu de remissione peccatorum tam mortalium quam venialium (Cap. VIII).

S. Thomas utramque quaestionem breviter sed essentialiter resolvit in q. 84, a. 2, corp. et ad 3, immediate post disputationem de materia proxima (ibid., a. 1). In pluribus praeterea locis tum Summae Theol. tum Comm. super Sententias, infra citandis, per transennam easdem quaestiones complet et illustrat.

Circa praesentem quaestionem, de qua nulla est theologorum disputatio, recole binas divisiones explicatas in tractatu De sacr. in gen. (art. 4, p. 88 sq.), materiae scilicet proximae et remotae, et materiae ex qua, circa quam, in qua. Quae triplici sequenti ordine disponi possunt:

a.
- Materia proxima, seu quae secundum se et immediate coniungitur cum forma et ex qua immediate resultat sacramentum, v.g. ablutio.
- Materia remota, seu quae non immediate coniungitur formae.
    - Intrinseca aut *ex qua*, ex qua nempe componitur sacramentum, quamvis mediate, v.g. aqua quae componit Baptismum, mediante ablutione.
    - Extrinseca, seu quae non componit sacramentum, sed cum eo ab extrinseco coniungitur.
        - *In qua*, seu quae coniungitur cum sacramento ut subiectum in quo recipitur.
        - *Circa quam*, seu quae coniungitur cum sacramento ut obiectum quod ab eo respicitur, et quidem dupliciter:
            - Vel ut obiectum acceptandum (materia *ad quam*), quemadmodum jus in alienum corpus in Matrimonio.
            - Vel ut obiectum auferendum (materia *contra quam*), quemadmodum substantia panis ac vini in Eucharistia et peccata in Poenitentia.

b.
- Materia intrinseca, seu ex qua
  - proxima
  - remota
- Materia extrinseca (necessario remota, immo remotior)
  - in qua
  - circa quam

c.
- Materia ex qua
  - proxima
  - remota
- Materia in qua
- Materia circa quam

Nota autem quod in *forma* sacramenti proprie et sacramentaliter non fit distinctio inter formam proximam et formam remotam. "In forma [enim] . . . non est ratio ejusdem distinctionis, nec hactenus ab aliquo fuit excogitata ob actualitatem, et ultimam determinationem, quam ex se includit; cum tamen materia de se importet potentialitatem, et admittat gradualem indeterminationem, vi cujus proximius accedat, vel remotius, ad actualitatem, et ultimam completionem formae."[21]

CONCLUSIO

Peccata sunt materia huius sacramenti, non tamen proxima sed remota, nec intrinseca et ex qua, sed extrinseca et circa quam.

Probatur.

Illud recte dicitur materia sacramenti quod aliquo modo concurrit ad constituendum sacramentum ex parte sui elementi determinabilis et materialis. Jamvero tria concurrunt ad constituendam materiam Poenitentiae, scilicet ipsi actus poenitentis, tanquam id quo ipsa formaliter constituitur (materia proxima ex qua), ipse poenitens, tanquam principium elicitivum et subiectum illorum (materia remota in qua), et peccata, tanquam obiectum seu principium extrinsecum quodammodo specificativum eorumdem. Ergo peccata sunt ac recte vocantur materia huius sacramenti, imo a *S. Thoma* (q. 84, a. 2, obi. 1, 2 et 3) dicuntur "propria materia".

Non tamen sunt materia proxima, sed tantum *remota*, quia id quod proxime et immediate coniungitur cum forma, non sunt peccata sed actus poenitentis; quo sensu *S. Thomas* in alio loco (q. 90, a. 1, ad 3) nomen "propria materia" reservat solis actibus poenitentis. Ceterum, alio sensu (qui hic non est directe ad rem) peccata dici possunt proxima

[21] *Salmanticenses*, De Poenitentia, disp. 1, dub. 2, § 1, n. 58, Parisiis, 1883, p. 30.

et immediata materia huius sacramenti, accepta nempe materia ex parte effectus, seu pro materia influxus sacramenti, quod directe et immediate operatur ad destructionem peccatorum.

Praeterea, peccata non sunt remota materia ex qua, sed tantum *circa quam*, quia nec partialiter nec remote ingrediuntur ipsam constitutionem actuum poenitentis, sed tantummodo se habent ab extrinseco ex parte obiecti specificativi illorum, quod est operari ad destructionem peccati; sunt nempe obiectum quod ab illis actibus respicitur ut destruendum seu detestandum, quemadmodum lignum est obiectum et materia combustionis et morbus est obiectum et materia medicinae. Propterea a quibusdam theologis dicitur in sacramento Poenitentiae non haberi materiam remotam.

Unde probandus non est sequens modus dicendi *Lugonis:* "Respondeo, physice loquendo negari non posse, quin praeteritio peccati aliquo modo intret saltem in obliquo ad constituendum sacramentum hoc [nempe ut forma denominans] . . .: neque id esse contra mentem conciliorum assignantium pro materia illos tres actus poenitentis; nam in illis includunt peccata in obliquo: quando enim assignatur pro materia confessio, et dolor de peccatis, intelligitur de peccatis veris, nam peccata ficta non sunt simpliciter peccata, cum ergo materia sit dolor de peccatis veris, hoc est, quae vere extiterunt; dolor autem de peccatis veris includat in obliquo ipsa peccata, a quorum praeteritione vera denominatur nunc dolor de peccatis veris, etc. Consequens est, quod ipsa peccata praeterita includantur in materia, quae assignatur in conciliis; imo frequentissime ipsa peccata appellantur materia hujus sacramenti.

"Solent tamen appellari materia remota; quia sicut lignum dicitur materia remota ignis, ad cujus productionem destruitur lignum, sic in sacramento poenitentiae, peccata, quorum destructio intenditur per hoc sacramentum, dicuntur ejus materia remota, licet revera illorum existentia praeterita debeat intrare in obliquo ad denominandam materiam proximam in ratione talis materiae proximae."[22]

ART. 7. Utrum Omnia Peccata Commissa Post Baptismum Sint Propria Materia Sacramenti Poenitentiae (q. 84, a. 2, ad 3; Suppl., q. 8, a. 5, ad 4; q. 18, a. 2, ad 4; In 4 Sent., dist. 16, q. 1, a. 2, q. 1. 2 et 3; dist. 17, q. 3, a. 3, q. 5, ad 4).[23]

[22] Disp. Schol., t. 4, De Poenit., disp. 12, sect. 2, n. 23, Parisiis, 1892, p. 686 sq.

[23] Cf. *Suarez*, Disp. 18, sect. 1; *Lugo*, Disp. 13, sect. 3, n. 72 sqq.; *Salmanticenses*, Disp. 2, dub. 1, n. 37 sqq.; *Collet*, De Poenit., pars 2, cap. 3; *De Augustinis*, Art. 6, circa initium; *Billot*, Thes. 5; *Pesch*, Prop. 14; *Diekamp*, § 49, 3; *Galtier*, N. 457–460.

STATUS QUAESTIONIS

Quamvis ordine naturae non detur medium inter peccata commissa ante et post Baptismum, ordine tamen temporis, relate nempe ad ultimum instans temporis in quo Baptismus completur ac perficitur, tria genera peccatorum a theologis apte distinguuntur in hac quaestione, ea scilicet quae praecedunt illud instans, ea quae fiunt in eodem, ac ideo comitantur Baptismum, et ea quae post illud deinceps committuntur.

Haec ultima, de quibus tantum est praesens quaestio, distinguuntur in mortalia et venialia (originale enim necessario praecedit Baptismum), et utraque in jam remissa et nondum remissa, in remissa per sacramentum, seu confessa, et nondum confessa.

Quaeritur igitur an haec omnia sint materia huius sacramenti; determinate autem quaeruntur quatuor:

1. An omnia peccata postbaptismalia, absque distinctione, sint materia Poenitentiae, quamvis non aequali modo et ratione.
2. An peccata mortalia, nondum remissa, sint materia principalis et necessaria.
3. An peccata mortalia, jam confessa, sint materia minus principalis, non necessaria, sufficiens.
4. An peccata venialia, etiam jam remissa et confessa, sint materia secundaria, non necessaria, sufficiens.

PARS NEGATIVA

Petrus de Osma (Petrus Martinez ab urbe natali de Osma), doctor salmanticensis, negavit peccata mortalia esse materiam necessariam huius sacramenti, ut patet ex sequentibus propositionibus damnatis a *Sixto IV* in Bulla "Licet ea" 9 aug. 1479:

"Peccata mortalia, quantum ad culpam et poenam alterius saeculi, delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves.

"Pravae cogitationes confiteri non debent, sed sola displicentia delentur sine ordine ad claves.

"Confessio debet esse secreta, id est de peccatis secretis, non de manifestis" (Denz. 724. 726. 727).

Inter Protestantes, Lutherus peculiariter impugnavit ipsam convenientiam confitendi omnia peccata et ipsam liceitatem confitendi venialia. Id patet ex Conc. Trid., sess. 14, cap. 5 et can. 7 (mox citand.) et magis directe ex sequentibus duabus propositionibus Lutheri, damnatis a *Leone X* in Bulla "Exurge Domine" 15 iunii 1520:

"Nullo modo praesumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia, quia impossibile est, ut omnia mortalia cognoscas. Unde in primitiva Ecclesia solum manifesta mortalia confitebantur.

"Dum volumus omnia pure confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiae Dei nihil volumus relinquere ignoscendum" (Denz. 748 sq.).

Franciscus de Osuna († circa 1540), O. Min. Reg. Obs., commissarius generalis Indiarum, docuit in suo Abecedario spirituali peccata venialia non esse materiam sufficientem huius sacramenti. Eius sententiam sic referunt *Salmanticenses:*

"Hac objectione [i.e. Conc. Trid. definivisse peccata venialia licite confiteri non vero sola sufficere ad valorem sacramenti] Franciscum de Osuna motum suspicamur ad asserendum in suo Alphabeto secundo tract. 4, cap. 5, litt. D. peccata venialia non esse materiam sufficientem hujus Sacramenti ac subinde, in solius peccati venialis confessione nullam gratiam conferri ex opere operato a Sacramento: imo tenetur asserere nullum reipsa confici Sacramentum, si consequenter loquatur. Ejus tamen sententia in hac parte male audivit apud supremum Tribunal, et ut haeretica expungi jussa est ab Illustrissimo Domino Antonio de Soto Major in expurgatorio anni 1640."[24]

PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica.

Peccata mortalia, eaque omnia, esse materiam necessariam sacramenti, est *de fide definita* a Conc. Trid. (sess. 14, can. 7). Eadem esse materiam principalem, est *de fide* aequivalenter definita in eodem can. 7 (opponente necessitatem confessionis mortalium liceitati confessionis venialium) et in magisterio ordinario Ecclesiae, tum explicite tum implicite contento in praxi antiquae Ecclesiae, usque ad saec. 4, non confitendi nisi mortalia.

Peccata jam confessa (sive mortalia sive venialia) esse materiam sufficientem sacramenti, est *theologice certum*. Id patet ex praxi fidelium, explicite et absque restrictione approbata a Conc. Trid. et Pio VI, et ex explicita doctrina tum Benedicti XI tum Codicis J.C.

Peccata venialia licite accusari in confessione, est *de fide definita,* ex supradicto can. 7; ea quomodolibet remitti per sacramentum est *saltem theologice certum* (videtur fidei proximum, collatis can. 7 et cap. 5 eiusdem sessionis 14); ea esse materiam sufficientem, est *theologice certum*, ut patet ex usu fidelium, ab Ecclesia approbato, et ex Codice J.C.

[24] De Poenitentia, disp. 2, dub. 1, § 4, n. 41, Parisiis, 1883, p. 115.

Documenta Ecclesiae.

Leo M. (cit. in p. 61 sq.) docet sacramentum Poenitentiae esse institutum pro lapsis, "qui regenerationis dona violassent".

Conc. Later. IV, Cap. 1, definit: "Si post susceptionem baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram potest semper poenitentiam reparari" (Denz. 430).

Benedictus XI, Const. "Inter cunctas" 17 febr. 1304: "Licet . . . de necessitate non sit, *iterum eadem confiteri peccata:* tamen, quia propter erubescentiam, quae magna est poenitentiae pars, ut eorundem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre, districte iniungimus, ut Fratres [Praedicatores et Minores] ipsi confitentes attente moneant, et in suis praedicationibus exhortentur, quod suis sacerdotibus saltem semel confiteantur in anno, asserendo, id ad animarum profectum procul dubio pertinere" (Denz. 470).

Sixtus IV damnavit supracitatas propositiones Petri de Osma.

Leo X damnavit supracitatas propositiones Lutheri.

CONC. TRID., sess. 6, cap. 14 (cit. in p. 64): "Pro iis, qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus sacramentum instituit poenitentiae".

Ibid., *can. 29* (cit. ibid.) definit "eum, qui post baptismum lapsus est" non posse sine sacramento Poenitentiae amissam justitiam recuperare.

Sess. 14, De Poenit., cap. 1 (cit. in p. 65), docet hoc sacramentum esse institutum "ad peccatorum remissionem" eo quod homo post Baptismum possit amittere justitiam, ad applicandum beneficium mortis Christi "lapsis post baptismum", "ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos".

Ibid., *cap. 2* (cit. in p. 65 sq.) docet "Ecclesiam in neminem iudicium exercere, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus"; fideles, tales per Baptismum effectos, "si se postea aliquo crimine contaminaverint . . . ante hoc tribunal tanquam reos sisti [debere]"; "hoc sacramentum poenitentiae lapsis post baptismum ad salutem necessarium [esse]".

Ibid., *cap. 5* (cit. in p. 66) docet "integram peccatorum confessionem . . . omnibus post baptismum lapsis iure divino necessariam exsistere" et hanc necessitatem intelligendam esse de "omnibus mortalibus criminibus . . ., in quae Christi fideles ceciderint". "Nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur et in quae frequentius labimur, quamquam recte et utiliter citraque omnem praesumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat: taceri tamen citra culpam multisque aliis remediis expiari possunt" (Denz. 899).

Ibid., *can. 1* (cit. in p. 52), definit sacramentum Poenitentiae esse institutum "pro fidelibus, quoties post baptismum in peccata labuntur, reconciliandis".

Ibid., *can. 7:* "Si quis dixerit, in sacramento poenitentiae ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia . . .; aut dixerit, eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinae misericordiae ignoscendum; aut demum non licere confiteri peccata venialia: A.S." (Denz. 917; cf. *Catechismum Conc. Trid.,* p. 2, c. 5, q. 46).

Pius VI, Bulla "Auctorem fidei" 28 aug. 1794, doctrinam Conc. Pistoriensis sic refert et damnat: "Declaratio synodi de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur huiusmodi confessiones: — temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a sacro Concilio Tridentino probatae contraria" (Denz. 1539).

Codex J.C., can. 901: "Qui post baptismum mortalia perpetravit, quae nondum per claves Ecclesiae directe remissa sunt, debet omnia quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habeat, confiteri et circumstantias in confessione explicare, quae speciem peccati mutent." *Can. 902:* "Peccata post baptismum commissa, sive mortalia directe potestate clavium iam remissa, sive venialia, sunt materia sufficiens, sed non necessaria, sacramenti poenitentiae."

CONCLUSIO

Conclusio 1. Peccata commissa post Baptismum sunt materia sacramenti Poenitentiae, et quidem omnia, non tamen aequali ratione et eodem genere necessitatis.

Probatur.

Peccata postbaptismalia esse materiam Poenitentiae, sequitur ex dictis in art. 1 circa indolem remissivam et judicialem Poenitentiae eiusque distinctionem a Baptismo.

Omnia vero peccata postbaptismalia esse materiam Poenitentiae, patet ex eo quod omnia habent veram rationem peccati, sunt remissibilia per gratiam huius sacramenti, sunt hominis baptizati ac subditi Ecclesiae, sunt obiectum veri judicii.

Non omnia tamen esse materiam aequali ratione et eodem genere necessitatis, patet ex diversa indole peccatorum mortalium et venialium, quae diversimode participant rationem peccati, et ex diversa habitudine quam peccata jam confessa et nondum confessa habent ad sacramentum, ex quo variat in singulis modus se habendi ut materia sacramenti.

Attenta enim necessitate ex parte sacramenti, seu conditione ad hoc ut eius influxus exerceatur, omnia peccata indistincte et in confuso sunt materia necessaria et sufficiens, quatenus nempe aliquod peccatum requiratur et quodlibet sufficiat, ita tamen ut peccata mortalia sint materia principalis, venialia vero materia secundaria. Attenta vero necessitate ex parte subiecti et peccati, seu obligatione peccata subiciendi sacramento, omnia et sola peccata mortalia nondum confessa sunt materia necessaria, mortalia vero jam confessa et quaelibet venialia sunt materia libera.

Quae omnia distincte explicantur et probantur in sequentibus Conclusionibus, in quibus singillatim considerantur tres classes peccatorum, scilicet mortalia nondum remissa (itemque remissa sed nondum confessa), mortalia jam confessa, venialia.

Conclusio 2. Peccata mortalia nondum remissa sunt materia principalis et necessaria.

Probatur.

Peccata mortalia sunt peccata principaliter et simpliciter dicta, adeoque *principaliter* respiciuntur tum ab actibus poenitentis, tamquam materia de qua possit et oporteat poenitere, tum consequenter ab influxu justificativo sacramenti, tamquam materia quae possit et debeat deleri.

Ex quo etiam sequitur haec peccata esse materiam *necessario* subicienda sacramento; cum enim hoc sacramentum sit necessarium lapsis post Baptismum, eius necessitas cadit saltem super materiam eius principalem.

Ex hac autem absoluta necessitate subiciendi sacramento peccata mortalia sequitur quod, si peccata mortalia remittantur per contritionem ante ipsum sacramentum, haec remissio fit ex voto sacramenti et cum permanente obligatione ea postea subiciendi ipsi sacramento, et ideo etiam *peccata remissa sed nondum confessa* sunt pariter materia principalis et necessaria. Nec valet obicere quod circa ea, utpote jam remissa, non possit exerceri influxus justificativus sacramenti; nam imprimis hic influxus jam exercitus est circa eadem peccata, veluti antecedenter, in ipsa contritione, quae justificat ex voto seu ex virtute sacramenti, et praeterea in ipso sacramento re suscepto aliquatenus iterum exercetur, ut explicabitur infra quoad ipsa peccata jam confessa.

Conclusio 3. Peccata mortalia jam confessa sunt materia minus principalis, nec necessaria, sed tamen sufficiens.

Probatur.

Haec peccata sunt quidem materia principalis in comparatione ad peccata venialia, quia, quamvis jam remissa, sunt secundum essentiam suam mortalia et circa ea principaliter potest exerceri dolor et poenitentia; attamen se habent ut materia *minus principalis* in comparatione ad peccata nondum confessa, quia cum non amplius habeant suam existentiam in subiecto, nequit circa ea simpliciter exerceri influxus sacramenti formaliter ut deletivus, justificativus et vivificativus.

Ex quo etiam sequitur ea *non esse materiam necessariam.*

Sunt tamen *materia sufficiens,* quia, quamvis non amplius existant in subiecto secundum se, tamen olim taliter fuerunt et nunc etiam manent in suo esse obiectivo ut praeterita, necnon quodammodo subiective in suis causis et effectibus, et ideo, ut infra explicabitur (cf. resp. ad Dices), potest circa ea exerceri influxus sacramenti, praecipue ut est medicinalis et reparativus, in quo residet intima ratio gratiae sacramentalis Poenitentiae.

Idque confirmatur ex paritate cum peccatis jam per contritionem remissis ante sacramentum, quamvis ex voto sacramenti. Quod enim haec non fuerint remissa nisi ex voto sacramenti et cum obligatione ea deferendi ad sacramentum, nullam infert formalem disparitatem quantum ad rationem sufficientiae ut sint materia sacramenti, quoniam nec in contritione ipsum sacramentum egit prout in re susceptum sed tantum prout in voto, nec postmodum ipsum sacramentum solvit tantum praedictam obligationem, sed intelligitur actu remittere ipsa peccata.

Eadem veritas, contenta explicite in can. 902 *Codicis J.C.*, deducitur ex supracitata Constitutione *Benedicti XI*, in qua horum peccatorum confessio commendatur uti salubris et ad animarum profectum pertinens.

Nec valet opponere S. Pontificem tantummodo commendare ut, una cum aliis peccatis, accusentur etiam peccata jam confessa et totam istius accusationis utilitatem repetere non directe ex vi sacramenti sed indirecte ex erubescentia per quam excitatur dolor de peccatis.

Nam S. Pontifex docet et jubet ideo exhortandos esse fideles ad confitendum, quia etiam peccatorum jam confessorum accusatio est utilis; cujus obvius sensus est hanc accusationem esse fructuosam, etiam cum poenitens nihil aliud accusandum habeat, adeoque talia peccata esse per se sola materiam sufficientem sacramenti. Unde fructum hujus accusationis nequaquam Papa repetit ex sola erubescentia sed ex ipso sacramento. Ceterum, ipse manifeste loquitur de confessione sacramentali, quae nempe essentialiter ordinatur ad absolutionem.

DICES. Ex indole Poenitentiae, tum judiciali, tum sacramentali, excluditur eam exerceri posse circa peccata jam confessa.

Imprimis, obstat ejus indoles *judicialis*, tum quia judicium in genere nequit bis exerceri circa eandem causam nisi sit reformabile (quod in casu non contingit), tum quia hoc judicium sacramentale exercetur in utramque partem, i.e. ad remittendum vel retinendum, peccata autem jam absoluta, etsi dicatur iterum remitti posse, certe retineri non possunt, quippe quae sint irrevocabiliter remissa.

Secundo, obstat ejus indoles *sacramentalis*, propter defectum tum ex parte *materiae*, seu peccatorum quae non amplius existunt et de quibus jam acta est poenitentia; tum consequenter ex parte *formae*, quae, salva veritate verborum, nequit ad absentem materiam dirigi nec eandem materiam bis informare aut super eam iterato proferri (sicut enim fallaciter super panem jam consecratum dicitur: Hoc est corpus meum, cum intentione illum consecrandi, ita falso super peccata jam absoluta dicitur: Te absolvo a peccatis), nec exprimere effectum qui de facto non producitur; tum praecipue ex parte *effectus*, qui, cum sit gratia formaliter ut remissiva, nequit infundi ubi nulla est remissio facienda.

RESP. Si haec obiectio valeret, deberet similiter urgeri etiam contra validitatem confessionis peccatorum jam per contritionem ante sacramentum remissorum, quae tamen tam certa est, ut vicissim ex ea valida conficiatur confirmatio nostrae sententiae.

Obiectae rationes ex parte indolis judicialis non valent.

Nam validum judicium potest bis exerceri circa idem obiectum, si primo, non sit ad reformandam priorem sententiam, sed ad eam confirmandam, maxime cum ex hac confirmatione sequuntur ampliores effectus juridici (ex quo sententia fiat quodammodo ampliativa praecedentis), ut accidit in hoc sacramento, quo iterum gratia confertur et poena temporalis extinguitur; secundo, si adsit nova ratio id agendi et possit institui novus processus, seu accusatio et testificatio, ut accidit in hoc sacramento ex eo quod ponatur nova confessio, contritio et satisfactio.

Praeterea, potestas judicialis huius sacramenti prout est ad ligandum et solvendum, formaliter et quantum est ex vi propria, exerceri potest etiam circa peccata jam confessa, pro subiecta quidem materia. Nec refert quod haec de facto non possint ligari, nam id est accidentale et ex parte obiecti, quemadmodum etiam circa peccata quae actu accusantur, si sint dolore informata, nequit de facto exerceri potestas ligandi, nisi eo sensu quod feratur judicium de eorum aptitudine vel non aptitudine ut remittantur, non secus ac de peccatis, nondum confessis sed jam remissis, fieri potest.

Ceterum, etiam si res materialiter et ex parte obiecti consideratur (quatenus nempe ex peccatis nondum confessis nec remissis, quaedam possunt remitti et alia ligari, peccatorum vero jam absolutorum nullum possit de facto ligari), notandum est quod, quamvis potestas judicialis huius sacramenti in sua plena ratione sit ad ligandum et solvendum et plenario quidem modo exerceri debeat circa principale suum obiectum (i.e. peccata nondum confessa), non est inconveniens quod de facto exerceatur secundum unam tantum rationem, et quidem potiorem, circa secundarium aliquod obiectum.

Quod quidem confirmari potest ex consuetudine *civilium tribunalium*. "Nam etiam in humanis contingit ut causis quae principaliter attribuuntur alicui tribunali, aliae quaedam per modum appendicis adiungantur. Accessorium autem sequitur principale, ut fert regula iuris. Quapropter, etsi peccata venialia vel rite iam confessa non requirerent per se processum iudicialem qui pro aliis adhibetur, quisquis tamen ad bonum animae suae, et ad specialem gratiam sacramenti Poenitentiae percipiendam, afferre vult materiam eiusmodi, omnino debet observare rationem procedendi huic tribunali propriam; quae quidem procedendi ratio regulatur, ut par est, ex principali et necessario obiecto, non autem ex secundario ac mere accessorio."[25]

Obiectae etiam rationes ex parte indolis sacramentalis non tenent.

Materia sacramenti imprimis nequaquam deficit. Actus enim poenitentis, qui sunt materia *proxima*, possunt repeti circa eadem peccata, et sic habetur nova materia novi sacramenti, quae materiae proximae novitas est sufficiens et omnino requisita ad novitatem sacramenti, quippe quae sola sit eius immediatum et proprium constitutivum. Ipsa peccata, quae sunt materia *remota*, adsunt, ut dictum est, in suo esse obiectivo, sub quo valent esse obiectum seu materia actus poenitentis, nec aliunde in materia remota unius sacramenti requiritur per se et necessario novitas seu numerica distinctio a materia remota alterius sacramenti eiusdem speciei, ut patet in Baptismo, Confirmatione, Extrema Unctione et Ordine, quae possunt iterari cum eadem aqua, eodem oleo et iisdem manibus, et a fortiori valet in Poenitentia, in qua peccata nec sunt materia remota ex qua et intrinseca, sed circa quam et extrinseca.

Formae veritas proinde non impeditur ex absentia peccatorum a subiecto, cum ipsa sint aliter praesentia, neque ex identitate materiae, cum actus poenitentis sint novi ac distincti et peccata sint tantum materia remota et circa quam (quod autem in Eucharistia etiam materia remota oporteat esse distincta provenit tantum ex peculiari ratione huius sacra-

[25] *Billot*, De Poenitentia, thes. 5, § 2, Romae, 1930, p. 56.

menti, cuius materia permanenter consecratur, quod non accidit in aliis sacramentis, uti in aqua Baptismi in qua tantum transeunter fluit efficacitas sacramenti, et multo minus in Poenitentia, cuius peccata non consecrantur sed execrantur), neque ex absentia effectus, tum quia haec non impedit veritatem formae etiam in aliis sacramentis, ut dicetur in art. 79, tum quia de facto effectus expressus in forma absolutionis, sub aliqua vera ratione producitur cum absolvuntur peccata jam remissa, ut modo explicabitur.

Ad *effectum* tandem quod attinet, imprimis notandum est quod etiam si nullatenus remissio peccati fieri posset, id non obstaret validitati sacramenti (ut accidit in omni sacramento valido et informi, quod principali suo effectu frustratur), quoniam, ut dictum est in tractatu De sacr. in gen. (p. 68; cf. etiam *S. Thomam*, q. 84, a. 3, ad 5), aliqua causa vere existit et vere influere potest, quamvis effectus non sequatur in subiecto ob defectum requisitae conditionis, quae in casu esset absentia peccati remittendi, vel si placet ipsa remissio jam facta (cf. infra, art. 79, ubi de sensu formae absolutionis).

De facto tamen per absolutionem peccatorum jam remissorum, aliquis effectus in subiecto produci potest.

Primo enim produci potest *gratia sacramentalis* de se remissiva peccatorum (in qua nempe tanquam in causa formali continetur remissio peccatorum); nec refert quod haec de facto non exerat suum formalem effectum ob conditionem subiecti et sacramentum non pertingat ad suum ultimum effectum nisi in sua causa immediata et formali. Ad rem *Salmanticenses:* "Licet non adsit ullum peccatum saltem veniale (quod raro accidet) delendum per Sacramentum . . . , adest tamen *radicalis et virtualis illorum expulsio* inclusa in ipso augmento gratiae. . . [Nam] *in visceribus ipsius gratiae* ut est effectus, seu terminus inspectus, et productus media Poenitentia, *includitur vis expulsiva peccati,* a qua in esse termini nequit praescindere. Quia tamen actualis expulsio est effectus secundarius ipsius, sine quo proinde conceptus ejus primarius potest salvari; bene cohaeret, et quod de facto non remittatur peccatum, quia non est, et quod ipsa gratia ut remissiva est, vel si mavis, ut quantum est ex se remittens, sit effectus absolutionis. Licet enim non semel effectus secundarius separetur a primario, ut inductive constare potest; nunquam tamen reperitur conceptus primarius, quin contineat in radice de se sufficienti secundarium, et illius exigentiam aptitudinaliter importet."[26]

Secundo, etiam produci potest sub aliqua ratione *ipsa remissio peccatorum.*

[26] De Poenitentia, disp. 3, dub. 2, § 3, n. 94 sq., Parisiis, 1883, p. 182.

Ad cuius rei explicationem *Billot* iterum introducit hic suam theoriam de causalitate intentionali sacramentorum, glorians nonnisi per eam posse praesentem difficultatem solvi ac inde obtineri insignem confirmationem suae theoriae. Ait nempe effectum proprium et immediatum absolutionis sacramentalis esse tantum aliquid ordinis intentionalis (sicut in omnibus sacramentis), i.e. titulum exigitivum absolutionis seu remissionis peccatorum; unde concedit quod in absolutione peccatorum jam remissorum effectus remissionis secundum se non habetur, sed negat quod effectus sacramenti non producitur, quoniam hic est titulus ad remissionem, qui semper producitur.[27] *Attamen* haec explicatio tantum valet quantum ipsa theoria in qua fundatur et quam falsam esse ostendimus in tractatu De sacr. in gen. (art. 10) atque iterum refutabimus infra in art. 79.

Unde dicimus effectum qui in casu producitur esse ipsam remissionem peccatorum jam aliter remissorum.

Ad cuius rei intelligentiam advertas duo in peccato, sicut in omni offensa, importari, scilicet ipsam imputabilitatem, quae se habet potius ex parte personae offensae, et eius effectus in ipso offensore, seu poenam et maculam peccati; unde in remissione peccati duo consideranda sunt: ablatio *imputabilitatis* et ablatio effectuum illius, seu poenae et maculae peccati. Ex parte igitur prioris ablationis peccata dici possunt iterum remitti seu non imputari, non quidem proprie loquendo, ac si Deus adhuc retineat jus imputabilitatis erga illa (ut probabitur contra *Lugo* in art. 79), sed aliqua impropria ratione, quatenus nempe, etsi Deus in prima remissione ea simpliciter et absolute remiserit, ita ut proprie loquendo non sint amplius imputabilia, tamen potest eundem actum benevolentiae, quo ea prius remisit, iterare, ad modum cujusdam confirmationis jam factae remissionis, eo fere modo quo quis, ad confirmandam susceptam obligationem, iterat religiosam professionem ante

[27] Ad rem ipse *Billot:* "Si doctrinam praecedentis propositionis de *re et sacramento* in memoriam revoces, considerando traditam ibi expositionem verborum formae, *sacramentum absolutionis tibi impendo* [id est, sacramentalem titulum absolutionis], videbis evanescere difficultatem. Sive enim peccatum supponatur aliunde remissum, sive non, semper sacramentum habet eamdem significationem et totum suum immediatum effectum, quia semper significatur et est nova poenitentia de peccato commisso, quae per claves elevatur ad rationem tituli exigitivi, quantum in se est, remissionis peccatorum. Porro, sicut titulus ille, salva veritate formae, potest totaliter suo termino privari sicut accidit in casu sacramenti validi et informis: ita etiam inadaequate tantum potest ipsum consequi, attenta capacitate quae est in subiecto. Et sic accidit in praesenti. Semper enim accipit homo sacramentalem titulum remissionis, sed ubi non potest amplius destrui imputatio offensae quae iam ablata supponitur, titulus de facto valet ad solum augmentum illius gratiae ad Deum conversivae, per quam, ut alias dictum est, formaliter tollitur aversio. Nihil igitur repugnat quominus peccata per contritionem perfectam condonata, adhuc debeant subiici tribunali Poenitentiae. Adhuc enim vere circa illa versatur *Sacramentalis* absolutio; vere etiam sequitur sacramentalis effectus; denique solvitur obligatio qua, ratione culpae commissae, homo erga claves ligatus remanebat" (l. c., § 1, p. 54 sq.).

elapsum tempus obligationis vel renovat matrimonialem consensum jam praestitum.

Unde tota difficultas in praesenti devolvitur ad modum quo remissio peccati quantum ad *ablationem poenae et maculae* fieri dici possit in absolutione peccatorum jam remissorum.

Cui respondemus eam vere fieri et contineri in ipsa iterata infusione gratiae tum communis tum praesertim sacramentalis. Quamvis enim per hanc iteratam gratiae infusionem peccata jam remissa nequeant iterum absolvi et auferri secundum suam formam absolute consideratam, cum hoc simpliciter et irrevocabiliter factum sit per praecedentem absolutionem, tamen vere dici possunt absolvi et auferri tum in suis causis et radicibus, tum in suis effectibus et reliquiis, tum etiam quodammodo secundum seipsa, sub relativa consideratione privationis gratiae.

Auferuntur imprimis in suis *causis et radicibus*. Radix enim illorum peccatorum, tam sub generica ratione peccati quam sub specifica, est sive vertibilitas humanae voluntatis sive positiva inclinatio in malum ab originali peccato relicta per vulnus malitiae. Utrique causae et radici remedium affert repetita infusio gratiae sacramentalis Poenitentiae, roborans humanam voluntatem contra relapsum in ea peccata, ac ita ipsa quodammodo delens in sua radice.

Auferuntur praeterea in suis *effectibus et reliquiis*, quae sunt tum poena temporalis pro peccato debita tum peculiaris inclinatio in malum ab unoquoque peccato in homine relicta (ex actibus enim humanis paulatim generatur dispositio vel habitus, bonus aut malus), quaeque per iteratam gratiam sacramentalem minuuntur.

Auferuntur tandem quodammodo *secundum seipsa*, non quidem secundum suam formam absolute consideratam, quae est macula jam perfecte deleta per praecedentem absolutionem sed sub relativa consideratione privationis gratiae, seu formalissime inquantum sunt privatio gratiae.

Cum enim privatio et positio formae sint correlativa, forma autem gratiae augeatur secundum maiorem radicationem habitus in subiecto, sequitur quod ex quo gratia augetur et magis radicatur, inde eius privatio (quod est peccatum) longius recedit ac veluti minuitur, non quidem secundum suam essentiam quae jam recessit per positionem essentiae gratiae, sed secundum negativos, ut ita dicatur, eius gradus qui correspondent positivis gradibus gratiae. Quod videtur etiam exprimi in his verbis *S. Thomae:* "In secunda absolutione gratiae confertur augmentum; et quanto major gratia recipitur, tanto minus de impuritate praecedentis peccati manet" (*Suppl., q. 18, a. 2, ad 4*).

Nec valet opponere peccata hoc modo deleri per gratiam sacramentalem cuiuslibet sacramenti vivorum, imo per omne augmentum gratiae extrasacramentaliter. *Nam*, sacramenta mortuorum referuntur per se et directe ad deletionem peccati, seu respiciunt effectum gratiae formaliter ut est privativus et remotivus peccati. *Item, non valet opponere* quod ex allata explicatione sequeretur omnem gratiae infusionem esse peccatorum remissionem, etiam ubi nullum fuerit peccatum, ut in sanctificatione Christi, Angelorum et Adami. *Nam*, gratia est remissiva non praecise ut importat simplicem absentiam seu negationem peccati, sed ut importat ejus privationem; privatio autem est negatio seu absentia rei debitae, et ideo supponit praeteritionem vel debitum peccati. Praeterea, remissio peccati se habet ut terminus ad quem totius motus justificationis, quae non est transitus a non esse gratiae ad esse gratiae, sicut simplex sanctificatio, sed ab esse peccati ad esse gratiae, et ideo gratia non est remissiva peccati, ubi peccatum non praecessit. *Item, non valet opponere* quod ex allata explicatione sequeretur validum esse sacramentum administratum ei qui accusat unicum peccatum dubium quod revera non commisit, cum absolutio ejusque effectus gratiae remissivae possent cadere super alia peccata praeterita jam remissa. *Nam*, in tali casu deest sacramentum, deficiente confessione, contritione et absolutione, ob defectum objecti, ac ideo deest effectus sacramenti seu gratia remissiva.

Ad rem *Salmanticenses:* "Consequentius videtur doctrinae D. Thomae. . . quod per repetita Sacramenta fit major, et major peccatorum remissio. . . Id autem explicare haud arduum erit, si prius animadvertamus ex ipso S. Doctore quaest. 8, de verit. art. 6: 'Remissionem culpae non solum importare ablationem absentiae gratiae, sed ablationem impedimenti gratiae, quod erat ex actu peccati praecedenti, non ut actus ille non fuerit, quia hoc est impossibile, sed ut propter illum influxus gratiae non impediatur'. Hinc tract. de Peccatis disp. 16, dub. 3, § 5, n. 74 statuimus, et tract. de Justif. disp. 1, latius prosecuti sumus, terminum a quo justificationis non esse nudam carentiam, aut privationem gratiae, sed insuper importare omnia impedimenta, quibus praepeditur homo a consecutione gratiae, qualia sunt peccata actualia moraliter permanentia, nondum retractata.

"Ex hac ratione salvavimus (et salvant communiter Thomistae) loco allegato de peccatis dub. 5, § 7, n. 150, *pluralitatem peccati habitualis* in uno, et eodem peccatore; quia nimirum licet privatio gratiae non sit nisi una *in esse rei*, sicut non est, nisi una gratia; *in esse tamen termini, et privationis moralis* tot sunt simul in eodem peccatore peccata habitualia, quot praecesserint actualia; quia licet reipsa gratia non excludatur, nisi per primum peccatum actuale, quodlibet tamen eorum de se est illius destructivum, et novum apponit impedimentum ejus praesentiae. Unde privationes gratiae tot sunt moraliter, quot fuerint peccata actualia. Qua etiam prorsus ratione ubi nuper disp. 18, dub. 1, § 3, n. 18, sustinuimus, *carentiam visionis beatificae*, in qua consistit poena damni, una cum sit *in esse rei*, eo esse majorem *in ratione poenae* damni quo plura aut majora intervenerint peccata: *quo enim quis magis elongatur a forma, eo magis crescit, et augetur carentia formae*. Quocirca rectissime docuit Angelicus Praeceptor in 2, dist. 43, q. 2, art. 5, 'quod magis caecus dicitur cui ex toto erutus est oculus, quam qui ex aliquo humore ad pupillam concurrente visum amittit, quamvis uterque caecus sit'. Quia nimirum ex fortiori causa oritur illa carentia, quam ista,

et quo fortior est causa, aut major, eo etiam fit major elongatio a forma, subindeque carentia, aut privatio.

"Ex quibus principiis locis citatis expensis, et ex professo firmatis satis, superque constat ad rationem excludendi formam, et inducendi ejus carentiam, non tam attendi ad ipsam formam, seu terminum exclusum (alias nunquam esset nisi una carentia, aut privatio, sicut non est nisi unica forma, aut terminus exclusus) quam ad titulos, seu *causas exclusionis, ad quarum incrementum crescit carentia, seu terminus expulsus, licet non in esse rei; bene tamen in esse termini, seu ratione exclusi.* Constat insuper, quod licet aliqua privatio ex parte formae dicatur in facto esse, quatenus nihil formae relinquitur in subjecto; queit tamen illamet reddi major quasi intensive per ordinem ad causas, et obstacula, quibus magis elongatur a subjecto.

"Ad hunc itaque sensum, licet peccatum in prima justificatione sit penitus exclusum, quoad maculam, et offensam, et consequenter nihil remaneat excludendum per sequentia Sacramenta, et . . . ipse etiam reatus ad poenam temporalem sit extinctus, ita ut maneat absque illo onere aliquam poenam luendi, ut esse possibile nemo ibit inficias. Adhuc *per iterata Sacramenta fiet major, et intentior remissio in esse remissionis, licet non in esse rei.* Cum enim remissio, ut supra audivimus a D. Thoma, non tantum importat exclusionem absentiae gratiae, sed etiam ablationem impedimentorum ejusdem gratiae, et per iterata Sacramenta Poenitentiae ex una parte poenitens eliciat plures actus detestationis, quibus magis elongatur ab actibus contrariis gratiae obsistentibus; et ex alia per ipsa Sacramenta augeatur gratia sub ratione medicinalis, quo pacto est terminus, et effectus hujus Sacramenti; consequens esse videtur eo majorem fieri remissionem quo magis iterantur praedicta Sacramenta; siquidem *magis elongatur homo a peccato,* et magis Deo conjungitur."[28]

Ceterum tres illi modi, quibus diximus peccata jam confessa iterum remitti et absolvi per sacramentum, convergunt in unam propriam rationem gratiae sacramentalis Poenitentiae, quae est gratia medicinalis et reparativa peccati actualis. Pluribus enim modis spiritualis curatio morbi peccati efficitur per infusionem contrariarum virium gratiae et pluries in infinitum repeti seu continuari potest, juxta propriam infinitatem quae competit correlativis rationibus peccati et gratiae.

Recapitulando igitur, *quadruplíciter* verificatur absolutionem jam remissorum habere sacramentalem effectum, imo remittere peccata: *primo,* quia quantum est de se influit in hanc remissionem, etiamsi ob conditionem subiecti ipsa de facto non sequatur; *secundo,* quia confert gratiam de se formaliter remissivam peccatorum, quamvis ob eamdem rationem hic formalis effectus gratiae impediatur; *tertio,* quia sub aliqua impropria ratione iterum absolvit peccatorem a morali imputabilitate peccatorum, dependente a voluntate Dei offensi; *quarto,* quia, infundendo augmentum gratiae sacramentalis reparativae, delet quodammodo ipsa peccata tum in sua radice, tum in suis reliquiis, tum in sua ratione privationis vel oppositionis cum gratia secundum suos gradus.

[28] De Poenitentia, disp. 3, dub. 2, § 3, n. 100 sq., Parisiis, 1883, p. 184 sq.

S. Thomas, Suppl., q. 18, a. 2, ad 4 (cf. ibid., q. 8, a. 5, ad 4), loquens de remissione poenae temporalis per hoc sacramentum, haec scribit quae ad praesentem quaestionem referuntur:

"Quidam dicunt quod in prima absolutione tantum dimittitur vi clavium, quantum dimitti potest; sed tamen valet iterata confessio, tum propter instructionem, tum propter majorem certitudinem, tum propter intercessionem sacerdotis vel confessoris, tum propter verecundiae meritum.

"Sed hoc non videtur verum, quia etsi esset ratio confessionem iterandi, non tamen esset ratio iterandi absolutionem, praecipue in eo qui non habet aliquam causam dubitationis de praecedenti absolutione; ita enim poterit dubitare post secundam absolutionem, sicut post primam; sicut videmus quod sacramentum extremae unctionis non iteratur super eumdem morbum, eo quod totum quod per sacramentum fieri potuit, semel factum est. Et praeterea in secunda confessione non requireretur quod haberet claves ille cui fit confessio, si nihil ibi vis clavium operaretur.

"Et ideo dicunt alii, etiam in secunda absolutione aliquid vi clavium dimitti de poena, quia in secunda absolutione gratiae confertur augmentum; et *quanto major gratia recipitur, tanto minus de impuritate praecedentis peccati manet,* et ideo minor poena purgans debetur. Unde etiam in prima absolutione alicui plus et minus dimittitur vi clavium de poena, secundum quod plus se vel minus ad gratiam disponit; et potest esse tanta dispositio, quod etiam ex vi contritionis tota poena tollatur, ut praedictum est (quaest. v, art. 2). Unde etiam non est inconveniens, si per frequentem confessionem etiam tota poena tollatur, ut peccatum omnino remaneat impunitum, pro quo poena Christi satisfecit."

Conclusio 4. Peccata venialia (remissa vel nondum remissa, confessa vel nondum confessa) sunt materia secundaria nec necessaria, sed tamen sufficiens.

Probatur.

Ea peccata esse materiam tantum *secundariam* patet ex eo quod non sint peccata principaliter et simpliciter dicta, cum non importent directam aversionem a Deo, in qua essentia peccati simpliciter consistit.

Ea esse materiam *non necessariam,* sequitur tum ex eadem ratione, tum ex eo quod non necessario ipsa delentur per sacramentum, secus ac mortalia, cum ad id requiratur actualis displicentia, tum ex eo quod multis aliis remediis deleri possunt, ut explicite docet *Conc. Trid.* (cap. 5, supra cit., p. 214). Praeter explicitam doctrinam Ecclesiae id etiam ostendit tum communis sensus fidelium tum

consuetudo primitivae ecclesiae (usque ad saec. 4) ea peccata non subiciendi clavibus ac propterea hoc sacramentum rarius suscipiendi.

Ea tamen esse materiam *sufficientem* patet:

1. Ex eo quod sunt vera peccata, quamvis non simpliciter dicta, et Christus dedit potestatem remittendi omnia peccata.

2. Ex eo quod gratia seu effectus et finis huius sacramenti est spiritualis medicina ac reparatio, et haec possunt applicari etiam levioribus morbis et deperditionibus, quae praeterea disponunt ad morbum lethale.

3. Ex eo quod secus non sufficienter protegeretur secreta ratio confessionis, quia eo ipso quod quis ad confessionem accederet, reus peccati mortalis, saltem praeteriti, se proderet, ac ita accessus ad sacramentum ob humanam fragilitatem difficilis redderetur, quippe quod esset dura medicina et onerosum valde beneficium. Ex quo sequitur non potuisse convenienter hoc sacramentum institui, nisi valeret etiam ad sola venialia remittenda.

4. Ex eo quod secus plures animae sanctae arcerentur ab usu huius sacramenti eiusque gratiae roborativae; multae animae piae non possent uti sacramento nisi semper recogitando et confitendo aliquod peccatum grave praeteritum, quod tamen non semper expedit, imo satis frequenter timoratis conscientiis nocet; subtraheretur omnibus fidelibus efficacissimum medium frequenter et serio examinandi propriam conscientiam et profectum virtutum promovendi.

5. Ex communi praxi fidelium vindicata etiam a *Conc. Trid.* contra Lutherum et a *Pio VI* contra Jansenistas Pistorienses (cf. supra, p. 215). Nec valet opponere cum ipso *Luthero* (supra cit., p. 212 sq.) supradictam praxim antiquae ecclesiae omittendi confessionem venialium. Ex ea enim deduci tantum potest non inde ab initio accidentalem hanc virtutem et utilitatem huius sacramenti plene cognitam aut aequo aestimatam esse. Ceterum, venialium confessio jam saec. 4 in usu erat in monasteriis regulae *S. Basilii* (cf. Basilium, Reg. fusius tract. 26). Ad sacramentalem confessionem venialium videtur etiam alludere *Augustinus,* In Psal. 88, 16: "Semper confitere, semper habes quod confitearis. Difficile est in hac vita, ut sic homo mutetur, ut nihil inveniatur in eo quod reprehendatur" (M.L. 37, 1281). De eadem jam mentionem faciunt *Tertullianus,* De pudicitia, 18 sq., et *Cyprianus,* De lapsis, 28, citati in art. 1 (p. 104 et 113).

6. Ex *Conc. Trid.* (cap. 5 et can. 7, supra cit., p. 214 sq.). Definit enim contra Lutherum licitum esse confiteri venialia; non autem convenienter intelligitur huius confessionis liceitas nisi circa eadem peccata exerceatur vis sacramenti, cum ad hunc finem confessio sacramentalis ordinetur. Nec valet opponere quod liceitas vel necessitas confitendi peccata dubia non probat ea esse materiam sufficientem; nam peccata subiective dubia, formaliter qua talia, ex ipsa sua natura nequeunt ullatenus esse materia sacramenti quod certis verbis absolutoriis confertur, et ratio quare licite vel necessario accusentur non est quia sunt subiective dubia, sed quia possunt esse obiective certa, i.e. vera peccata, quae propterea possint deleri per sacramentum.

Docet etiam Concilium peccata venialia "multis aliis remediis expiari posse"; quo aequivalenter asserit etiam per hoc sacramentum ipsa expiari.

Approbat praeterea pium usum fidelium confitendi peccata venialia.

Nec valet obicere ex doctrina Conc. Trid. solum sequi peccata venialia esse materiam quae possit deleri per sacramentum, non vero ea esse materiam sufficientem, ita ut in confessione solius peccati venialis possit esse validum sacramentum. *Nam,* quamvis hoc non dicatur explicite, colligitur ex toto contextu. Concilium enim approbat usum fidelium, qui est confitendi etiam sola venialia; asserit aequivalenter, ut dictum est, peccata venialia expiari posse per sacramentum nec ullam innuit restrictionem ad casum quo accusentur simul cum mortalibus; absque restrictione etiam docet (cap. 5): "Dum omnia, quae memoriae occurrunt; peccata Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia divinae misericordiae ignoscenda exponunt."

DICES. Peccata venialia non esse sufficientem materiam huius sacramenti ostendunt sequentes rationes, quarum tres priores deducuntur *ex natura ipsorum peccatorum,* ceterae vero *ex indole ipsius sacramenti:*

1. Peccata venialia non sunt peccata simpliciter dicta nec claudunt regnum coelorum.

2. Non tolluntur formaliter per gratiae infusionem, quae est proprius sacramenti effectus.

3. Non possunt retineri, adeoque non respiciuntur ab indivisibili potestate remittendi et retinendi.

4. Poenitentia importat potestatem judicialem, quae nequit bis circa idem obiectum exerceri; ergo saltem venialia jam absoluta nequeunt iterum absolvi.

5. Ipsa est sacramentum mortuorum; ergo non respicit viventes in gratia cum solis venialibus.

6. Ipsa importat influxum ex opere operato, quod nequit exerceri circa sola venialia, quippe quae saltem per attritionem (quae requiritur in hoc sacramento) semper delentur antequam influxus sacramenti exerceatur.

RESP.

1. Peccata venialia sunt vera peccata, quamvis analogice tantum conveniant cum mortalibus quae sunt peccata simpliciter dicta; et quamvis regnum coelorum simpliciter non claudant, ab eius tamen ingressu retardant et, dum manent, excludunt, donec perfecte purgentur, saltem in Purgatorio.

2. Quamvis peccata non tollantur immediate per infusionem gratiae tanquam per causam formalem, tamen eorum deletio supponit statum gratiae et fit per actum gratiae tanquam per causam, ut ita dicatur, efficientem. Et ideo hoc sacramentum per infusionem gratiae potest delere venialia, ut explicabitur infra in Cap. VIII.

3. Ad hoc responsum est supra (p. 218 sq.), ubi de mortalibus iterum absolutis. Ceterum, peccata venialia, quamvis nequeant retineri ex parte subiecti, quasi hoc non possit aliter quam per sacramentum consequi eorum remissionem, possunt retineri quantum est ex parte ministri et sacramenti, quatenus minister possit absolutionem differre vel negare, ubi non sint sufficientia indicia displicentiae.

4. Responsum est supra (ibid.).

5. Poenitentia est sacramentum mortuorum per se et de primaria intentione, ex quo non excluditur ipsum posse se extendere ad venialia de secundaria intentione, cum praesertim aliqua principali ratione etiam respiciat homines actualiter vivos, cum nempe hi absolvuntur a mortalibus jam remissis per contritionem vel praecedentem absolutionem. Ceterum, ut dictum est in tractatu De sacr. in gen. (art. 13), distinctio sacramentorum in mortuorum et vivorum non est stricte formalis; formaliter enim Poenitentia est sacramentum gratiae reparativae, quae convenit peccatis venialibus.

6. Influxus sacramenti ex opere operato exercetur circa peccata venialia mediante infusione gratiae per cuius actum ipsa delentur, sicut magis directe exercetur circa peccata mortalia mediante gratia qua ipsa formaliter auferuntur. Unde negatur peccata venialia auferri per attritionem; auferuntur enim per contritionem formalem vel virtualem quae ex gratia procedit, ut explicabitur in Cap. VIII.

Theologi vero qui dicunt venialia posse remitti aliter ac per contritionem[29] respondent: 1. saltem venialia quae simul cum mortalibus accusantur a peccatore mere attrito remittuntur per ipsum sacramentum, cum peccatum veniale nequeat remitti ante mortale; 2. peccata venialia jam remissa per attritionem possunt absolvi et iterum remitti per sacramentum, non secus ac mortalia jam remissa, ut supra dictum est; 3. probabile est ad remissionem venialium in sacramento nec requiri ipsam attritionem per quam ea delentur extra sacramentum, sed sufficere absentiam obicis seu actualis complacentiae

[29] Cf. *Pesch*, n. 199; *Galtier*, n. 458.

peccati; unde si quis cum hac dispositione et sine attritione confitetur venialia, haec per ipsum sacramentum delentur.

Nota. Quaeritur an peccata dubia et peccata imaginaria seu existimata sint materia huius sacramenti.

Haec quaestio tripliciter intelligi potest:

1. An haec peccata sint materia necessario *subicienda* sacramento seu confitenda. De hoc aptius agetur in proprio loco (art. 39, notas 10, 11 et 12), ubi de necessitate confessionis eiusque obiecto, et resolvetur affirmative quoad peccata imaginaria, negative (cum restrictione) quoad peccata dubia.

2. An sint materia *delebilis* per sacramentum. Respondetur affirmative quoad peccata dubia, in solo casu, ut patet, quod haec de facto et obiective sunt peccata; negative vero quoad peccata imaginaria, nam haec, ex sua ipsa definitione, non sunt commissa sed existimantur commissa, adeoque non existunt, cum existentia rei non pendeat ab hominis existimatione.

3. An sint materia *sufficiens,* ita ut circa ea sola possit confici validum sacramentum. Respondetur negative quoad peccata imaginaria (nam, ut dictum est, haec nullatenus in se existunt); sub distinctione vero quoad peccata dubia: haec nempe, formaliter ut dubia, nequeunt esse materia sufficiens nec in ea proferri potest valida absolutio, cum verba absolutionis consistant in absoluta affirmatione ("Ego te absolvo"); cum tamen obiective et de facto ipsa possint esse peccata vera et certa, possunt in quibusdam casibus absolvi conditionate (et ita per se sola constituere materiam sufficientem sacramenti), eo quod, ratione appositae conditionis, absolutio dirigitur ad ea non prout sunt dubia, sed prout hypothetice sunt obiective certa, ac proinde, si de facto validum est sacramentum, ipsa sunt eius materia sufficiens, non ut dubia sed ut certa.

ART. 8. Utrum Peccata Commissa Ante Baptismum Sint Materia Sacramenti Poenitentiae (q. 84, a. 2, ad 3; q. 69, a. 10, ad 2 et 3; In 4 Sent., dist. 4, q. 3, a. 2, q. 3, Sed Contra; dist. 16, q. 1, a. 2, q. 2).[30]

STATUS QUAESTIONIS

Peccata praebaptismalia dividuntur in originale (quod nequit proprie dici commissum sed contractum) et actualia (seu strictius personalia, adeoque proprie commissa), quae subdividuntur in mortalia et

[30] Cf. *Cajetanum*, In. q. 69, a. 10; *Suarez*, De Poenit., disp. 18, sect. 1; In 3 p., disp. 28, sect. 5; *Vasquez*, Disp. 159 sq.; *Lugo*, Disp. 3, sect. 1, n. 12 sq.; De sacr. in gen., disp. 9, sect. 3, n. 22 sqq. (praecipue n. 40 sqq.); sect. 4; *Salmanticenses*, Disp. 2, dub. 1, n. 4 sqq.; *Billot*, De baptismo, thes. 30; *Pesch*, De sacr. in gen., n. 314–316.

venialia. Haec ultima distinctio nullum habet particulare momentum in hoc et sequenti articulo, sed quaecumque dicuntur de peccatis mortalibus valent quoque de venialibus (uti quod sint materia Baptismi potius quam Poenitentiae), servatis tamen propriis differentiis notatis in art. praec. (ut quod venialia sint tantum materia sufficiens sed non necessaria sacramenti tam Poenitentiae quam Baptismi).

Quaestio igitur est an peccata praebaptismalia, tum originale tum praecipue actualia, sint materia sacramenti Poenitentiae (post susceptum Baptismum, ut patet) et non simpliciter solius Baptismi. Duo autem distincte a theologis quaeri solent:

1. An haec peccata sint *per se* materia Poenitentiae, saltem libera.
2. An sint materia Poenitentiae *saltem per accidens,* seu in solo casu justificationis hominis ficte baptizati.

Hae quaestiones a theologis agitari solent aut in hoc loco, aut ubi de effectu vel reviviscentia Baptismi, aut in generali quaestione de reviviscentia sacramentorum.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica.

Peccata praebaptismalia non esse materiam Poenitentiae antequam ipse Baptismus suscipiatur, est *de fide aequivalenter definita* a Conc. Trid., sess. 14, can. 1 (cit. in p. 52) et continetur in tota doctrina fidei de indole Baptismi, ut primi sacramenti et januae Ecclesiae.

Peccatum originale non esse materiam Poenitentiae ut virtutis (seu aliquem non posse proprie poenitere de hoc peccato), nequit negari absque *aliqua nota* seu censura. Nam Alexander VIII sub aliqua censura (indeterminata; cf. Denz. post 1321) hanc Jansenistarum propositionem damnavit: "Homo debet agere tota vita poenitentiam pro peccato originali" (Denz. 1309).

Peccata actualia (et a fortiori originale) non esse materiam necessariam huius sacramenti, seu necessario confitenda, est *saltem theologice certum* (a quibusdam, ut Vasquez, dicitur de fide); contrarium enim videtur directe adversari Concilio Trid. definienti hoc sacramentum esse institutum pro fidelibus reconciliandis quoties post Baptismum in peccata labuntur (can. 1) ac inde immediate inferenti necessitatem confitendi omnia peccata mortalia (can. 7).

Eadem peccata non esse per se sola materiam sufficientem, non videtur posse negari sine *nota saltem temeritatis,* ut patet ex eadem doctrina Concilii.

Documenta Ecclesiae.

Huc faciunt documenta citata in art. praec. (p. 214 sq.), quae, quamvis directe solummodo statuant peccata postbaptismalia esse materiam Poenitentiae, eo ipso tamen indirecte excludunt peccata praebaptismalia esse materiam eiusdem sacramenti. Quoad peccatum originale addendum est documentum *Alexandri VIII* modo citatum.

Theologi.

Quoad primam quaestionem nulla fere est controversia inter theologos, qui unanimiter docent peccata praebaptismalia non esse per se materiam Poenitentiae. Excipitur praedicta sententia *Jansenistarum* de peccato originali, damnata ab Alexandro VIII, et *peregrina opinio* unius vel alterius ex antiquioribus theologis, dicentis hominem teneri ex divino praecepto ad confitenda peccata actualia ante Baptismum commissa.

Quoad alteram vero quaestionem a communi sententia theologorum, docentium ea peccata nec per accidens esse materiam Poenitentiae (ita ut, etiam in casu justificationis hominis ficte baptizati, remittantur per ipsum Baptismum reviviscentem), dissentiunt *Scotus, Biel* et *Vasquez,* docentes, saltem ut probabilius, in praedicto casu peccata praebaptismalia remitti per ipsam Poenitentiam, auferentem peccatum fictionis ac consequenter et per accidens cetera simul peccata.

Ad rem ipse *Vasquez,* Disp. 159, sect. 1, n. 38: "Probabilis etiam est interpretatio, quam Scotus adhibet, tametsi et praecedentem aliquo modo defendere Scotus et Gabriel contendant. . . [Ipsi nempe] denegant baptismo, recedente fictione, remissionem alicuius culpae ex opere operato, hanc enim totam dicunt fieri virtute solius contritionis seu sacramenti paenitentiae removentis fictionem, sed solam ei remissionem concedunt totius poenae etiam temporalis pro peccatis dumtaxat, quae ante baptismum et cum ipso commissa sunt".

CONCLUSIO

Conclusio 1. Peccata praebaptismalia non sunt per se materia, etiam libera, sacramenti Poenitentiae.

Probatur *ex propria indole huius sacramenti.*

PRIMA RATIO est quia hoc sacramentum est specifice *distinctum a Baptismo.* Ergo nequit per se respicere obiectum proprium istius sacramenti, quod est tum deletio peccati originalis tum prima remissio peccati actualis, quorum utrumque pertinet ad spiritualem regenerationem.

Nec valet obicere specificam distinctionem Baptismi et Poenitentiae desumi ex peccato originali et peccato actuali, quorum primum respicitur a Baptismo, alterum a Poenitentia, adeoque saltem peccata actualia ante Baptismum commissa referri ad Poenitentiam.

Nam si id verum esset, Baptismus vel non remitteret peccata actualia, quod est contra doctrinam Ecclesiae (Conc. Trid., sess. 5, can. 5), vel ea remitteret in voto Poenitentiae, et tunc ex una parte Poenitentia quodammodo praecederet Baptismum et esset primum sacramentum, utpote in cuius virtute Baptismus ageret, et ex alia parte in Baptismo non sufficeret attritio sed requireretur contritio in qua praedictum iustificans votum contineatur, quod est pariter contra doctrinam Ecclesiae. Distinctio autem duorum sacramentorum desumitur formaliter ex bina ratione spiritualis regenerationis et reparationis, adeoque tam peccatum originale quam peccata actualia, ante Baptismum commissa, pertinent ad hoc sacramentum, tanquam terminus a quo spiritualis regenerationis.

SECUNDA RATIO est quia Poenitentia est sacramentum *spiritualis reparationis* seu, ut docet Conc. Trid. (cit. in art. praec., p. 214 sq.), est institutum pro lapsis post Baptismum. Ergo nullatenus, neque ut materia libera, respicit peccata antecedentia Baptismum.

Nec valet obicere ex verbis Concilii tantum sequi Poenitentiam non posse exerceri ante Baptismum, non vero non posse exerceri post Baptismum relate ad peccata antea commissa, cum homo recte post Baptismum denominetur lapsus ex peccatis antea commissis.

Nam obvius sensus verborum "Pro lapsis post Baptismum" est "Pro iis qui lapsi sunt post Baptismum", ita ut conditio temporis "post Baptismum" non referatur tantum ad homines lapsos vel ad usum sacramenti (ac si diceretur: Poenitentia est instituta pro hominibus, applicanda post Baptismum pro suis quibusvis culpis), sed ad ipsa peccata, vel si placet ad homines formaliter ut lapsos. Ceterum, hic sensus explicite proponitur in aliis verbis Tridentini (cit. ibid.).

TERTIA RATIO est quia hoc sacramentum est *judiciale*. Ergo nequit exerceri nisi in peccata subditorum Ecclesiae, seu in ea quae subsequuntur Baptismum, per quem homo constituitur subditus Ecclesiae. Ceterum, peccatum originale, cum non sit voluntarium, est etiam ab intrinseco iniudicabile.

Nec valet obicere exinde tantum sequi ante Baptismum non posse peccata actualia subicii judicio sacramentali, non vero id non posse post Baptismum cum homo fit subditus Ecclesiae.

Nam susceptio Baptismi mutat quidem conditionem hominis, qui ex non subdito fit subditus, sed non conditionem ipsorum actuum praeteritorum, de quibus adhuc verificatur quod fuerint commissa

extra Ecclesiam; unde post Baptismum ipse homo eiusque novi actus subiciuntur Ecclesiae, non vero praeterita peccata.

QUARTA RATIO est quia hoc sacramentum est *poenitentiale*, seu habet pro essentiali constitutivo actus poenitentiae. Ergo nequit absolute habere pro materia peccatum originale, de quo homo non potest conteri et poenitere, cum non sit personali voluntate commissum.

Nonnisi enim accipiendo improprie virtutem poenitentiae pro qualibet detestatione mali praeteriti, dici potest *peccatum originale* esse obiectum virtutis poenitentiae, quatenus nempe possit ac debeat homo circa illud peccatum (quod fuit offensivum Dei, deordinativum naturae, exclusivum gloriae, inductivum poenalitatum et concupiscentiae, ad peccatum personale impellentis) ponere actum displicentiae et detestationis, elicitum non a virtute poenitentiae sed ab aliis variisque virtutibus, uti pietate et charitate erga Deum, amore ordinis et justitiae, desiderio et spe gloriae, charitate erga seipsum et alios homines.

Ad rem *S. Thomas, q. 84, a. 2, ad 3*, postquam dixerit de peccato mortali poenitentiam esse proprie et principaliter, de veniali vero proprie sed non principaliter, addit: "De peccato vero originali poenitentia nec principaliter est (quia contra ipsum non ordinatur hoc sacramentum, sed magis baptismus), nec etiam proprie, quia peccatum originale non est nostra voluntate peractum, nisi forte inquantum voluntas Adae reputatur nostra, secundum modum loquendi quo Apostolus dicit [Rom. 5, 12]: 'In quo omnes peccaverunt'. Inquantum tamen large accipitur poenitentia pro quacumque detestatione rei praeteritae, potest dici poenitentia de peccato originali, sicut loquitur *Augustinus in lib. De poenitentia* [mox citando]" (cf. a. 8, corp.).

In 4 Sent., dist. 16, q. 1, a. 2, q. 2: "Poenitentia . . . potest sumi large et proprie. Proprie quidem poenitentia importat dolorem de peccato commisso in praeterito; et sic nullo modo potest esse poenitentia de originali peccato, quia non est commissum. Large autem potest dici poenitentia omnis displicentia mali praeteriti; et sic in eo qui liberum arbitrium habet, debet esse poenitentia de originali: quia ex hoc ipso quod alicui placet aliquid, displicet ei quod ad illud impedimentum praestitit. Peccatum autem originale impedimentum gloriae fuit, ad quam quilibet desiderio tendere debet. Non tamen de eo debet esse confessio, quae non est nisi factorum; nec satisfactio; quia pro peccato originali non debetur nisi poena damni, poenitentia autem importat poenam sensus" (cf. dist. 17, q. 2, a. 2, q. 2).

Anonymus auctor libri De vera et falsa poenitentia (cf. supra, p. 5), a S. Thoma nuper sub nomine *Augustini* relatus, haec habet, 8, 19–22: "Poenitentia . . . baptizandis non est necessaria: sed baptizatis de

majoribus et minoribus peccatis dolendum sive poenitendum est. Per fidem enim Ecclesiae sola remittuntur peccata, quae contraxit homo in origine: ut sicut a patre peccante damnationem accepit, ita per matris Ecclesiae fidem consequatur remissionem. Sed qui per se peccavit, per dolorem proprium et per fidem Ecclesiae indulgentiam acquisivit. . . Doleamus esse exules a patria, doleamus vivere in corruptibili materia [quae sunt sequelae peccati originalis]. Hic dolor magis ex desiderio, quam ex vindicta sit. (Unde differt a poenitentia. Poenitentia enim est quaedam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet commisisse. Qui autem dolet quod detinetur in mortali corpore, desiderat quod amat, plorans quod tardat. Omnis poenitentia est de male usa libertate. Iste vero dolor magis in necessitate est. Nullum autem peccatum est necessarium. Ipsum autem peccatum originis ob hoc est malum, quia fuit in Adam spontaneum. . .) Iste dolor [de peccato originali] factus est, non ex conscientia peccatrice, sed ex operante charitate; non puniens malum, sed augmentans bonum; non impatienter habitus, sed ex desiderio susceptus. . . Sic itaque non omnis dolor est poenitentia" (M.L. 40, 1119–1121).

Inde probandus non est modus loquendi *Lugonis*, qui videtur concedere *ipsam virtutem poenitentiae* posse exercere sub aliqua ratione actum detestationis relate ad peccatum originale. Scribit enim: "P. Suarez in praesenti disp. II, sect. v, n. 11, constituit discrimen inter peccatum habituale et originale in ordine ad poenitentiam; quod habituale quia voluntarium est, pertinere possit ad poenitentiam praecise consideratam: originale vero, quia non est ex actione nostra, sed ex peccato Adae, solum possit pertinere ad poenitentiam late sumptam, prout potest exercere actum odii circa illud, tanquam circa statum injustitiae erga Deum, undecumque ortum habuerit. Quoad secundam partem facilius concedam, *posse virtutem poenitentiae detestari culpam originalem*, ut oppositam paci cum Deo, et ut offensivam divinae majestatis; non tamen posse exercere actum retractationis circa illam, quia non potest aliquis proprie, et physice retractare quod ipse physice non fecit, licet de hoc ipso posset aliquis dubitare: quia formaliter loquendo, poenitentia solum videtur velle non dare Deo occasionem aversionis, ergo non possum per hanc virtutem dolere de occasione a me non data, sed ab alio, qualis est culpa originalis: de hoc tamen non multum contendam, quia potest haec virtus detestari fortasse offensam Dei undecumque proveniat, et sine ulla limitatione; si formaliter solum intendat bonum pacis: hoc est non habere Deum inimicum, cui bono adversatur culpa originalis."[31]

[31] Disp. Schol., t. 4, De Poenit., disp. 3, sect. 1, n. 12, Parisiis, 1892, p. 398 sq.

Dices 1. Nihil videtur obstare quominus peccata, saltem actualia, commissa ante Baptismum sint *materia saltem libera et sufficiens* huius sacramenti; non ex parte hominis, nam est subiectus potestati Ecclesiae et gaudet privilegiis christianorum; neque ex parte materiae proximae, nam homo potest elicere actum contritionis de illis etiam peccatis; neque ex parte materiae remotae, nam illa peccata sunt eiusdem rationis ac alia commissa post Baptismum; neque ex parte influxus sacramenti inquantum est remissivus, nam eadem peccata possunt pluries remitti, ut patet de ipsis peccatis postbaptismalibus quae pluries subiciuntur potestati clavium.

Resp. Obstant tres priores rationes super allatae (imprimis ipsa indoles judicialis huius sacramenti), quibus ceterae conditiones, ab obiciente invocatae, accommodari et satisfacere debent.

Dices 2. Quamvis ex ipsa indole huius sacramenti non sequatur eius materiam esse etiam peccata praebaptismalia, id tamen provenire potest ex positivo Christi praecepto, quod de facto videtur contineri in verbis Joan. 20, 23 et Matth. 16, 19; 18, 18, quippe quae simpliciter et sine distinctione contineant potestatem peccata retinendi et remittendi.

Resp. Ex ipsa indole huius sacramenti non tantum non sequitur ea peccata esse eius materiam, sed positive et directe excluditur; ex quo etiam praecluditur ipsa possibilitas praefati praecepti, quod contrariaretur naturae sacramenti et implicaret contradictionem in voluntate institutoris.

Conclusio 2. Peccata praebaptismalia neque per accidens sunt materia sacramenti Poenitentiae, in casu nempe justificationis hominis ficte baptizati.

Probatur iisdem fere rationibus supra adductis.

PRIMA RATIO est quia spiritualis regeneratio est proprius et inalienabilis effectus Baptismi, juxta illud Joan. 3, 5: "Nisi quis renatus fuerit ex aqua . . . " et *Conc. Trid.*: "[Translatio ex statu peccati originalis in statum gratiae] sine lavacro regenerationis aut eius voto fieri non potest" (sess. 6, cap. 4; cf. sess. 5, can. 3 et 5). Jamvero si in praedicto casu peccata praebaptismalia essent materia Poenitentiae, spiritualis regeneratio fieret per Poenitentiam, non vero per Baptismum nec in re nec in voto, et ita de homine in eo casu non verificaretur quod sit renatus ex aqua.

Dices ad mentem Vasquezii. In eo casu multipliciter retinetur influxus Baptismi, ex quo consequenter verificatur hominem regenerari

ex aqua et justificari ex Baptismo in voto. Nam imprimis Baptismus aquae praecessit; secundo, ex ipso provenit quod homo possit recipere sacramentum Poenitentiae et quod hoc influere valeat cum removetur obex ad remittenda peccata praebaptismalia; tertio, Poenitentia hoc ipsum non facit nisi connotando Baptismum ex quo habet ut suam virtutem exerere possit, quemadmodum in justificatione praebaptismali contritio remittit eadem peccata ex voto seu cum connotatione Baptismi (contritio enim eandem habet rationem tum ante tum post Baptismum et ad ipsum in utroque casu refertur); quarto, potest admitti etiam directus influxus seu reviviscentia Baptismi quoad gratias sacramentales (uti totalem remissionem poenae), quae perficiunt gratiam communem directe collatam per Poenitentiam.

Resp. Haec omnia extrinsece et remote se habent relate ad ipsam ablationem peccati originalis et primam justificationem regenerativam, quae in casu maneret directus effectus solius sacramenti Poenitentiae.

Quod enim Baptismus praecesserit et ex ipso quodammodo dependeat ut Poenitentia influere possit, est mere extrinsecum et conditionale ac competit indiscriminatim efficacitati omnium sacramentorum. Idem valet quoad connotationem Baptismi; negatur autem paritas inter justificationem praebaptismalem ex contritione cum voto Baptismi et praesentem casum, tum quia hic non agitur de contritione sed de sacramento justificante, tum quia in sacramento Poenitentiae non requiritur contritio perfecta sed sufficit attritio, tum quia non habetur votum Baptismi (quod semper antecedit rem desideratam) sed simplicem eius connotationem. Tandem influxus seu reviviscentia Baptismi quoad solas gratias sacramentales, ut distinctas a deletione peccati originalis et prima justificatione regenerativa, adhuc esset quid extrinsecum ipsi essentiae spiritualis regenerationis, nec ceterum convenienter intelligi potest, ut mox explicabitur.

SECUNDA RATIO est quia Poenitentia est sacramentum reparativum, judiciale et poenitentiale; tale autem nequit esse relate ad peccata praebaptismalia, ut explicatum est supra; nequit ergo haec peccata in praedicto casu remittere, nisi exuat propriam indolem et naturam, seu nisi sit simul ipsa et non ipsa, quod est contradictorium in terminis.

TERTIA RATIO est quia Baptismus nec per accidens et indirecte potest remittere peccata futura, commissa intra Ecclesiam; ergo a pari nec Poenitentia potest tali modo remittere peccata praeterita, commissa extra Ecclesiam.

QUARTA RATIO est quia nullum sacramentum potest, etiam per accidens et indirecte; producere proprium effectum alterius sacramenti,

secus non salvaretur specifica eorum distinctio, quae praecise desumitur ex effectu significato.

Dices 1. Sacramenta vivorum causant per accidens primam gratiam quae est propria sacramentorum mortuorum et haec causant per accidens secundam gratiam quae est propria sacramentorum vivorum.

Resp. Ut dictum est in tractatu De sacr. in gen. (art. 13), proprius et formalis effectus, seu gratia sacramentalis singulorum sacramentorum, non est prima vel secunda gratia, sed gratia regenerativa, vel roborativa, vel cibativa, vel reparativa, etc., quae nonnisi a correspondente sacramento confertur.

Dices 2. In casu in quaestione, sacramentum Poenitentiae non produceret proprium effectum seu gratiam sacramentalem Baptismi (scilicet totalem remissionem poenae, peculiaria auxilia ad vitam christianam ducendam, aliaque enumerata in tractatu De Baptismo, art. 7), sed tantum deletionem peccatorum per collationem gratiae communis, quae non pertinet ad gratiam sacramentalem Baptismi, ut patet ex eo quod fiat etiam per contritionem ante sacramentum Baptismi, dum gratia sacramentalis nonnisi per sacramentum conferri potest.

Resp. Prima deletio peccatorum per collationem gratiae communis, quamvis non sit stricte et formaliter gratia sacramentalis Baptismi, manet tamen proprius eius effectus, qui nonnisi a Baptismo in re vel in voto conferri possit, ac pro tanto assimilatur quodammodo gratiae sacramentali.

Cuius ratio est quia ipsa non tantum est gratia prima (in oppositione ad augmentum gratiae seu gratiam secundam), quemadmodum gratia propria sacramenti Poenitentiae, sed etiam est justificatio prima (in oppositione ad secundam justificationem quae confertur per sacramentum Poenitentiae); unde nequit conferri nisi per primum sacramentum Baptismi in re vel in voto, non vero per aliud sacramentum in quo veluti votum Baptismi contineri possit. In quo patet differentia cum sacramento Poenitentiae, cuius effectus gratiae primae communis potest non solum per contritionem, quae est Poenitentia in voto, suppleri, sed etiam accidentaliter per quodlibet sacramentum vivorum quod, in bona fide susceptum, influit primam gratiam per accidens ac veluti in voto sacramenti Poenitentiae.

Ceterum, si sacramentum Poenitentiae produceret gratiam baptismalem quantum ad deletionem peccatorum, deberet simul etiam producere proprie dictam gratiam sacramentalem Baptismi, secus haec irrevocabiliter frustraretur in eo qui Baptismum ficte susceperit, cum ex nulla alia causa produci posset.

Nec valet dicere eam produci a Baptismo tunc reviviscente, nam si

Baptismus reviviscens non causat gratiam communem, nequit causare gratiam sacramentalem, quia haec (saltem juxta communiorem sententiam Thomistarum) est quaedam modalitas et modificatio gratiae communis, eiusdem autem est causare substantiam rei et eius modalitates nec istae causantur nisi mediante substantia.

Nec valet opponere casum contritionis justificantis ante Baptismum, a qua causatur sola gratia communis, supplente deinceps Baptismo gratiam sacramentalem. Nam, praetermisso quod contritio, secus ac Poenitentia, praecedit Baptismum et agit in eius voto (ita ut eius effectus quoad collationem gratiae communis sit tribuendus ipsi Baptismo agente in voto ipsius, non secus ac gratia sacramentalis tribuitur eidem Baptismo agente in re), gratia sacramentalis non collata per contritionem suppletur per Baptismum non divisim a gratia communi, sed cum ea et per eam, cum Baptismus homini jam justificato conferat gratiam secundam (quae, ut dictum est in tractatu De sacr. in gen., art. 13, non differt substantialiter a gratia prima) et hac mediante producit eius modalitatem quae est gratia sacramentalis.

QUINTA RATIO est quia, juxta communem sententiam theologorum post Augustinum et S. Thomam (cf. tractatum De sacr. in gen., art. 11), Baptismus, remoto obice fictionis, reviviscit; jamvero, si in hoc casu peccata remitterentur per sacramentum Poenitentiae, negaretur tum necessitas, tum etiam possibilitas *reviviscentiae Baptismi*. Ratio enim, quam pro necessitate huius reviviscentiae assignant theologi, est defectus alterius causae, praeter ipsum Baptismum, quae possit delere peccatum originale;[32] possibilitas vero reviviscentiae supponit materiam in quam Baptismus influere possit.

Nec potest dici Baptismum posse ac debere reviviscere ad gratiam sacramentalem conferendam, relicta gratia communi efficacitati Poenitentiae; nam id non esset reviviscentia simpliciter dicta nec reviviscentia ad tollendum peccatum originale, qualis intelligitur a theologis, et ceterum non videtur id fieri posse, ut nuper dictum est.

Haec ratio non multum valet contra *Vasquez*, qui e converso ob assertam efficacitatem Poenitentiae in peccata praebaptismalia, ultro inclinat in negandam perfectam et simpliciter dictam reviviscentiam Baptismi. Unde verba *Augustini* (De bapt. 1, 12, 18), a S. Thoma ad eam probandam invocata (3 p., q. 69, a. 10), scilicet "[Baptismus] tunc valere incipit ad salutem, cum fictio recesserit", sic arbitrarie interpretatur ut Baptismus, recedente fictione, valeat ad salutem non

[32] Ad rem *S. Thomas, In 4 Sent., dist. 4, q. 3, a. 2, q. 3, Sed Contra:* "Cuilibet culpae in statu viae potest remedium adhiberi. Sed contra originalem culpam non est aliud remedium quam baptismus. Ergo cum ficte accedentibus originale non remittatur, oporteret baptismum iterari si recedente fictione baptismus effectum suum non haberet quod est inconveniens et haereticum."

quatenus gratiam conferat, sed quatenus homo per susceptionem Baptismi, etsi fictam, satisfaciat praecepto suscipiendi Baptismum et solvatur ab obligatione suscipiendi alium baptismum; item quatenus Baptismus, etsi ficte susceptus, conferat potentiam ad suscipienda alia sacramenta; item quatenus, etsi gratiam non conferat, possit esse conditio requisita ad gratiae productionem quae nonnisi baptizatis confertur; item quatenus possit diluere totam poenam temporalem peccatis debitam, quam non diluit sacramentum Poenitentiae cum remittit peccata praebaptismalia.[33]

SEXTA RATIO est quia motivum quare in casu fictae susceptionis Baptismi peccata praebaptismalia debeant remitti per Poenitentiam, duplex esse posset: vel nempe quia Baptismus jam transierit nec reviviscere queat ad delendam propriam peccatorum materiam, adeoque necesse sit ut ei alterum sacramentum mortuorum substituatur ad talem effectum inducendum, vel quia, quamvis Baptismus reviviscere possit, tamen de facto eius reviviscentem influxum exercere nequeat, ob defectum materiae delendae, quatenus scilicet ipsum sacramentum Poenitentiae, delendo actualia peccata post Baptismum commissa, necessario delere debeat in eodem homine etiam peccata praebaptismalia quae simul reperiuntur.

Jamvero Baptismus, quamvis transierit, reviviscere seu influere potest ratione characteris, in quo ipsa eius virtus instrumentalis remanet, quemadmodum virtus generativa animalis remanet in eius semine; eius etiam influxus in remissionem peccatorum praebaptismalium exerceri potest, vel solus, quando fictio fuit tantum materialis (haec enim removetur per attritionem quae a sacramento Poenitentiae non dependet), vel simul cum influxu Poenitentiae, quando agitur de fictione formali (haec enim removetur per sacramentum Poenitentiae in re vel in voto); hic enim simultaneus influxus Poenitentiae, remittentis peccatum fictionis, non tantum non obstat influxui Baptismi, sed cum ipso concurrit ipsumque adjuvat in ratione removentis prohibens fictionis, quae influxum Baptismi impedit.

Ad rem *S. Thomas, q. 69, a. 10, ad 2:* "Fictio non removetur per baptismum, sed per poenitentiam subsequentem, qua remota, baptismus aufert omnem culpam, et reatum omnium peccatorum praecedentium baptismum, et etiam simul existentium cum baptismo. Unde Augustinus dicit in libro De Baptismo: 'Solvitur hesternus dies, et quidquid superest solvitur, etiam ipsa hora momentumque ante baptismum et in baptismo; deinceps autem continuo reus esse incipit.' Et sic ad baptismi effectum consequendum concurrit baptismus et poeni-

[33] Hanc praeposteram Vasquezii interpretationem apte refellunt *Salmanticenses,* De Poenit., disp. 2, dub. 1, n. 14 sqq., et *Lugo,* De sacr. in gen., disp. 9, sect. 3, n. 23 sqq.

tentia; sed baptismus sicut causa per se agens, poenitentia sicut causa per accidens, id est removens prohibens."

Ibid., ad 3: "Effectus baptismi non est tollere peccata futura, sed praesentia vel praeterita; et ideo, recedente fictione, peccata sequentia remittuntur quidem, sed per poenitentiam, non per baptismum. Unde non remittuntur quantum ad totum reatum, sicut peccata praecedentia baptismum."

Ad horum intelligentiam *triplex casus justificationis hominis ficte baptizati* distinguendus est: eius nempe qui Baptismum suscepit cum sola *fictione materiali* vel negativa (i.e. bona fide, cum inconscio defectu sufficientis attritionis) nec post baptismum commisit alia peccata mortalia; eius qui praeterea haec peccata addidit; et eius qui accessit ad sacramentum cum *fictione formali* vel positiva (i.e. cum conscientia talis defectus, adeoque sciens et volens baptizari absque necessaria dispositione).

In priori casu unicum genus peccatorum delendorum habetur, eorum scilicet quae Baptismum praecesserunt, et tunc manifestum est, ex sententia communi theologorum contra *Vasquez* (Disp. 160, cap. 2) fere solitarium, ea peccata remitti per solum Baptismum reviviscentem, remoto obice defectus attritionis per ipsam positionem solius attritionis, ita ut si ponatur sacramentum Poenitentiae (de peccatis venialibus) vel actus contritionis, haec non influant nisi ut conditiones removentes prohibens, et quidem in quantum continent attritionem (contritio quidem aequivalenter et eminenter, Poenitentia vero saltem ut pars sacramenti).

Ratio est quia ex una parte ea peccata sunt obiectum efficaciae Baptismi et ex alia parte ad hoc ut haec efficacia influat sufficit ut auferatur impedimentum, ratione cuius antea influere non potuit, quod quidem fit per ipsam positionem attritionis, cum aliunde novum impedimentum seu peccatum non intervenerit, quod requirat aliam causam sui remotivam, sacramentum nempe Poenitentiae in re vel in voto.[34]

In altero et tertio casu tria genera peccatorum delendorum interveniunt, scilicet peccata commissa ante Baptismum, ipsum peccatum fictionis formalis seu sacrilegae susceptionis Baptismi (hoc habetur tantum in tertio casu) et peccata commissa post Baptismi susceptionem. Priora sunt materia Baptismi, cetera vero, i.e. peccatum fictionis et peccata posteriora, sunt materia Poenitentiae. Unde utrumque sacramentum (Baptismus quidem ut reviviscens, Poenitentia vero in re vel in voto contritionis) eodem instanti et ad eandem justificationem concurrit, delendo suam propriam materiam.

[34] Cf. *Lugo*, De sacr. in gen., disp. 9, sect. 4.

Nec obstat quod agatur de eodem effectu seu de eadem justificatione, nam plures causae possunt ad eundem effectum concurrere, diverso tamen influxu et diversa ratione, juxta propriam earum indolem. Sic ad eundem effectum concurrunt privatio et forma, corruptio et generatio, materia et forma, agens principale et instrumentum, duae causae principales partiales (ut duo homines portantes lapidem vel duo equi trahentes currum). Idque maxime tenet et facilius intelligitur cum, sicut in ultimis tribus exemplis, agitur de inducendis in eundem effectum pluribus rationibus, quarum unaquaeque singillatim expostulat diversam causam, ita ut nulla causa per se solam possit exercere suum specialem influxum ad productionem totius effectus nisi simul concurrant aliae causae cum suis specialibus influxibus.

Sic igitur in casu, sacramenta Baptismi et Poenitentiae concurrunt efficienter per duos diversos speciales influxus, ad invicem diversa ratione dependentes, ad unicum effectum justificationis, qui utrique tribuitur. Cum enim haec justificatio nequeat fieri nisi auferantur peccata tum praebaptismalia tum postbaptismalia, cumque priora nonnisi per Baptismum et posteriora nonnisi per Poenitentiam auferri possint, oportet quod utriusque concursus simul operetur, ita ut per duplicem distinctum effectum negativum, nempe duplicem deletionem peccatorum, unicus effectus positivus justificationis ab utroque inducatur.

Nec obstat quod, in casu, influxus alterutrius causae non solum requirat sed praesupponat influxum alterius, quatenus nempe Poenitentia non possit influere nisi prius Baptismus influat (cum non possit reparari nisi qui prius regeneratus sit) et Baptismus nequeat influere nisi prius Poenitentia influat (cum Baptismus nequeat reviviscere nisi prius auferatur fictio per Poenitentiam), ex quo videtur sequi justificationem, quae in indivisibili consistit (cum omnia peccata simul necessario remittantur per infusionem unius et eiusdem gratiae), fieri vel per solum Baptismum, vel per solam Poenitentiam, vel per neutrum.

Id, inquam, nullatenus obstat, nec additam sequelam infert. *Nam* praedicta prioritas et posterioritas inter influxum Baptismi et influxum Poenitentiae non importat ordinem temporis, sed naturae, imo nec importat ordinem naturae inter duplex signum rationis *in quo* (quasi nempe in aliquo priori signo rationis intelligatur *esse* influxus unius sacramenti absque influxu alterius et in alio signo vicissim), non enim refertur ad existentiam utriusque influxus sed importat ordinem naturae inter duo elementa eiusdem signi in quo, adeoque solummodo prioritatem et posterioritatem a quo, quia refertur tantum ad dependentiam utriusque influxus ad invicem.

Unde in eodem instanti tum temporis tum naturae, imo in eodem

signo rationis in quo, uterque influxus Baptismi et Poenitentiae exercetur, et quidem uterque relate ad omnia peccata, attamen in diverso genere causae pro diversis peccatis et cum aequali dependentia ab invicem tanquam a necessaria conditione. Ita ad remissionem peccatorum praebaptismalium utrumque sacramentum concurrit, in diverso tamen genere causae et cum diversa prioritate et posterioritate dependentiae, Baptismus nempe ut causa efficiens (adeoque ut prior in genere causae efficientis et posterior ac dependens in genere causae materialis), Poenitentia vero ut conditio (adeoque ut prior in genere causae materialis et posterior ac dependens in genere causae efficientis); et similiter ad remissionem peccati fictionis aliorumque peccatorum postbaptismalium utrumque sacramentum concurrit, sed Poenitentia ut causa, Baptismus vero ut conditio.

Quae omnia non arbitrarie dicuntur, sed sunt mera applicatio generalis doctrinae peripatetico-thomisticae de *mutuo influxu et prioritate causarum ad invicem dependentium* et ad eundum effectum concurrentium.

Ad rem apte *Salmanticenses:* "[Haec doctrina] solum erit ardua illis quibus infensa fuerit mutua prioritas diversarum causarum, in qua multi offendunt, nescio quid monstruosum, et horrendum in illa concipientes; cum tamen sit plane Peripatetica veritas, vel solius naturalis rationis lumine nota, quam saepe usurpavit *Angelicus Doctor* ad plura, eaque aliter non satis pervia, sive naturae, sive gratiae mysteria explananda, interim videndus l. 2, quaest. 113, art. 8, ad 1, ubi eam statuit, et manifestis exemplis illustrat docens, quod 'ex parte solis prius est illuminare, quam tenebras removere, et ex parte aeris illuminandi prius est purgari a tenebris, quam consequi lumen, ordine naturae, licet utrumque sit simul tempore'.

"Ex quibus constat ex pluribus causis simul concurrentibus ad eandem prorsus illuminationem aeris, stare prioritatem cujuslibet earum in proprio genere, siquidem ex parte solis efficienter concurrentis prior est illuminatio activa, cujus est effectus purgatio tenebrarum media luce exclusarum: ex parte autem aeris illuminandi prius est in genere causae materialis purgari a tenebris, quam luce perfundi; alias coirent simul tenebrae, et lux in eadem parte aeris, quod est repugnans, et sic de aliis innumeris exemplis, tam vere, quam frequenter usurpatis ab . . . S. Doctoris discipulis. Nec inde sequitur (ut aliqui obtendunt plus quam par est imaginationi deferentes) aut unum sine altero esse, vel fieri, aut bis eandem illuminationem produci. Sed quod sequitur est in eodem prorsus instanti produci effectum a pluribus causis, unaquaque earum diverso modo concurrente, juxta uniuscujusque conditionem, et ut sic dicamus indolem. . .

"Causae quae adinvicem pendent in causando, licet sub diversa ratione influant, non solum sunt, sed etiam intelliguntur in eodem signo rationis *in quo,* altera ut dependens in illo signo, ac subinde posterior, altera vero ut independens, atque ideo prior prioritate *a quo,* seu naturae. . .[35] [Haec] est communis et vera Thomistarum doctrina nunquam labefactata, nec labefactanda, quantumvis adversantium impetu conquatiatur, eamque praeclare explicant N. *Complut. abbreviati* 2 physicorum disp. 8, quaest. 2, § 1, n. 6, his verbis: 'Unde licet aliqua duo sint in eodem instanti reali imo in eodem signo rationis, nihilominus id quod non dependet, dicitur secundum illam rationem prius, id vero quod dependet, appellatur posterius. Quare in hoc genere prioritatis non valet haec Consequentia. A est prior natura quam B, ergo A, in illo priori est sine B, sed ita debet inferri: A est prius natura quam B, ergo in illo genere, seu priori A non dependet a B, sed B, dependet ab A.' Quocirca rectissime admonent haec prioritatis genera maxime observanda esse, utpote ex cujus ignorantia non levis confusio in rebus arduis generari soleat."[36]

Ex dictis ruit praecipua ratio et *obiectio in qua Vasquez fundat sententiam suam.* Sic enim arguit: Baptismus nequit influere ad deletionem peccatorum praebaptismalium nisi prius auferatur fictio per Poenitentiam. Jamvero fictio aufertur infusione gratiae, quae expellit omnia peccata. Ergo etiam peccata praebaptismalia auferuntur per Poenitentiam, nec quidquam relinquitur quod possit remitti per Baptismum reviviscentem, nisi dicatur bis eadem peccata remitti.

In affirmanda maiori huius argumenti, quae distinguenda est ad tramitem supra dictorum, Vasquez non attendit quod Poenitentia aufert fictionem ut causa efficiens, sed cum simultaneo concursu ipsius Baptismi ut conditione; qui concursus consistit praecise in eo quod Baptismus aufert peccata praebaptismalia ut causa efficiens. Unde illegitime concludit Poenitentiam auferre ipsa peccata praebaptismalia, quamvis ipsa simul concurrat ut conditio causalitatis Baptismi.

---

[35] Observa aliquid simile in *mysterio Trinitatis* seu in processionibus divinis. Pater (non causa sed principium Filii) et Filius sunt in eodem instanti naturae et intelliguntur in eodem signo rationis *in quo,* et tamen est inter eos ordo naturae, non dependentiae sed originis. An hic ordo originis fundet aliquam prioritatem et posterioritatem *a quo,* ita ut Pater possit proprie dici prior et Filius posterior, disputatur. Id negamus cum S. Thoma. Si autem quis cum aliis theologis id affirmet, exinde etiam poterit illustrare praesentem quaestionem; quatenus, sicut Pater et Filius intelliguntur in eodem prorsus signo rationis in quo, quamvis habeant inter se prioritatem et posterioritatem a quo, ita possunt influxus Baptismi et Poenitentiae esse simul non obstante eodem genere prioritatis et posterioritatis.

[36] De Poenitentia, disp. 2, dub. 1, § 3, n. 33. 36, Parisiis, 1883, p. 111. 113.

ART. 9. Utrum Peccata Baptismum Concomitantia Sint Materia Sacramenti Poenitentiae (q. 69, a. 10, ad 2 et 3).[37]

STATUS QUAESTIONIS

Peccata Baptismum concomitantia intelliguntur tantummodo ea quae committuntur durante ipsa Baptismi celebratione, non vero ea quae, antea commissa, remanent secundum habitum; haec enim, ut diximus, sunt materia a Baptismo delenda, postquam retractantur. Dividuntur autem in *improprie concomitantia*, quae nempe committuntur in ipsa celebratione, seu positione materiae et formae, sed ante instans (quodcumque sit) in quo sacramentum intelligitur formaliter compleri et operari, et *proprie concomitantia*, seu quae committuntur in hoc ipso instanti temporis in quo sacramentum completur. Haec autem dividuntur in ipsum *PECCATUM FICTIONIS*, consistens in ipsa sacrilega susceptione Baptismi seu in eo quod quis scienter et volenter suscipit Baptismum in statu peccati et absque attritione (quae fictio fundari potest tum in peccatis praeteritis non retractatis, tum in peccatis commissis in ipso instanti Baptismi) et *cetera peccata* cuiuslibet specificae rationis (puta furti vel impudicitiae) quae fundant ipsum peccatum fictionis.

Hinc *tria quaeruntur* in hoc articulo:

1. An peccata improprie concomitantia (i.e. quae, vel in quantum, praecedunt instans quo completur Baptismus) sint materia Poenitentiae, non vero Baptismi.
2. An peccata proprie concomitantia (i.e. quae, vel in quantum, committuntur in ipso instanti Baptismi, non vero antea vel postea), abstrahendo tamen ab ipso peccato fictionis, sint materia Poenitentiae.
3. An saltem ipsum peccatum fictionis sit materia Poenitentiae.

S. Thomas has quaestiones concinne sed dilucide resolvit in q. 69, a. 10, ad 2 et 3, supra cit. (p. 239 sq.). Auctores moderni vix eas tangunt, cum tamen non parum conferant ad intelligentiam propriae et distinctae indolis utriusque sacramenti mortuorum.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

Quoad primam quaestionem nulla videtur esse controversia inter theologos. Etsi enim non ab omnibus quaestio distincte proponatur, ita ut quandoque fiat confusio inter peccata improprie et proprie con-

[37] Cf. *Suarez*, In 3 p., Disp. 28, sect. 5; *Vasquez*, Disp. 159 sq.; *Lugo*, Disp. 16, sect. 1; *Salmanticenses*, Disp. 2, dub. 2.

comitantia, omnes videntur docere peccata improprie concomitantia, utpote quae praecedunt ipsum Baptismum formaliter sumptum, non esse materiam Poenitentiae sed ipsius Baptismi.

Quoad secundam vero et tertiam quaestionem de peccatis proprie concomitantibus, praecipuus, ne dicatur unicus, dissensus theologorum etiam Thomistarum est quoad peccata alia ab ipsa fictione, quae a quibusdam tribuuntur Baptismo, ab aliis vero Poenitentiae. Ipsum enim peccatum fictionis esse materiam Poenitentiae, communissime et absque controversia supponitur a theologis modernis, et tam communiter etiam ab antiquioribus admittitur ut a pluribus dicatur *doctrina certa* et *Suarez* affirmet id a nemine negari posse.

Theologorum igitur sententiae quoad peccata proprie concomitantia ad tres revocari possunt:

Prima sententia docet omnia illa peccata, tam peccatum fictionis quam cetera, esse materiam solius Baptismi, eo quod non sint peccata postbaptismalia. *Lugo* fatetur hanc sententiam sibi olim visam esse probabiliorem et pro ea refert ut probabiles defensores *Ferrariensem* et *Paludanum*. Haec tamen sententia fere ab omnibus derelicta est ac considerari potest saltem extrinsece improbabilis ac derelinquenda; idque qua parte docet peccatum fictionis non esse materiam Poenitentiae.

Ipsi tamen videtur indirecte favere *S. Alphonsus*, scribens: "Dubitatur. . . An mortalia commissa in ipsa susceptione Baptismi sint materia hujus sacramenti? Affirmant communissime . . . ex D. Thoma [q. 69, a. 10] et ex S. Augustino . . . [qui] ait: 'Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit'. Ratio, quia haec peccata, licet sint tempore simul cum Baptismo, natura tamen sunt ipso posteriora. Ita auctores praefati, sed ratio quam adducunt, videtur non convincere. Saltem solummodo probare videtur pro peccatis quae Baptismum suscipiens post Baptismum patrare vellet, sed non pro peccato fictionis, nempe si ille susciperet Baptismum existens in mortali sine dolore. Nec D. Thomas dicit peccatum fictionis esse materiam sacramenti Poenitentiae; sed tantum ait quod illud per poenitentiam removetur: per poenitentiam autem ibi S. Doctor profecto non intelligit confessionem, sed dolorem de peccato. Nec obstat textus D. Augustini, nam ut explicat Glossa, per illud 'veraci confessione' intelligit 'cordis contritionem'."[38]

Secunda sententia e regione vult omnia esse materiam solius Poenitentiae, eo quod sint peccata hominis jam baptizati. Docetur a pluribus theologis etiam thomistis et late defenditur a *Lugo*.

[38] Theol. Moralis, edit. L. Gandé, t. 3, l. 6, tract. 4, c. 1, dub. 1, n. 427, Romae, 1909, p. 421 sq.

Tertia et communior sententia distinguit, docens peccatum fictionis esse materiam Poenitentiae, eo quod, cum sit sacrilegium seu profanatio sacramenti, formaliter subsequatur Baptismum, cetera vero esse materiam solius Baptismi, eo quod non sint posteriora Baptismo. Ita post *S. Thomam, Cajetanus* (In q. 69, a. 10), *Soto* (In 4 Sent., dist. 6, q. 1, a. 8), *Salmanticenses* (De Poenit., disp. 2, dub. 2, n. 54 sqq.), communius alii thomistae, necnon *Suarez* (In 3 p., Disp. 28, sect. 5) et *Vasquez* (Disp. 159).

Sententia Lugonis, modo fluctuanti et satis confuso ab ipso proposita, ad haec reducitur:

Primo, ait hanc questionem non esse practicam. "Dico primo: quaestio haec nullo modo est practica, sed omnino speculativa. Nam in praxi certum est, omnia illa peccata debere explicari in confessione subsequenti, tamquam materiam necessariam, nemo enim scire potest aliquod peccatum durasse toto tempore antecedenti, et ipso etiam instanti ultimo terminativo baptismi, vel solo illo instanti; et tamen non fuisse continuatum ullo modo per aliquid temporis sequentis."[39]

Secundo, ad quaestionem speculativam quod attinet, docet inepte fieri distinctionem inter peccatum fictionis et cetera. "Haec [enim] . . . differentia inter ejusmodi peccata non videtur habere fundamentum solidum, imo magis posset . . . dubitari de peccato fictionis [an revera sit materia Poenitentiae], quam de aliis. Porro non esse excludenda alia peccata, si non excluditur peccatum fictionis, probatur, quia, tam caetera, quam fictio sunt peccata hominis baptizati, fidelis intra existentis Ecclesiam, etc. ergo si peccatum fictionis subditur clavibus Ecclesiae in sacramento poenitentiae, caetera etiam subdi debent eisdem clavibus."[40]

Tertio, addit: "Loquendo . . . absolute, an peccata illius instantis tam peccatum fictionis, seu susceptionis indignae baptismi, quam caetera omnia, prout praecise sunt in illo instanti, sint materia confessionis sequentis: mihi quidem olim probabilior videbatur pars negans".[41]

Quarto, recitatis argumentis illius sententiae, concludit: "Haec, ut dixi, olim me [in] illam negantem partem inclinabant: placet tamen non discedere in hoc a communi sententia affirmante, peccatum illius instantis, in quo jam homo baptizatus est, et charactere insignitus, debuisse pertinere ad sacramentum poenitentiae. Quod quidem colligere etiam possumus ex modo loquendi Tridentini illa sess. xiv, c. ii, ubi Patres eorum solum peccatorum judicium videntur Ecclesiae ministris negare, quae extra Ecclesiam fiunt. . . Ex his Tridentini

[39] Disp. Schol., t. 4, De Poenit., disp. 16, sect. 1, n. 2, Parisiis, 1892, p. 894.
[40] Ibid., n. 4, p. 895.
[41] Ibid., n. 10, p. 897.

verbis colligere possumus rationem a priori pro hac communi sententia; quia scilicet, peccatum illud, prout illo instanti fieret, esset vere peccatum hominis Christiani, et Christi charactere insigniti, atque adeo hominis subditi Ecclesiae, ergo pertineret ad judices Ecclesiae; sicut delictum commissum in territorio Florentino pertinet ad judicem Florentinum. Confirmatur, quia pro peccato commisso illo instanti posset hic homo ab Ecclesia excommunicari, et puniri: ergo peccata illius instantis pertinent ad tribunal Ecclesiae".[42]

CONCLUSIO

Conclusio 1. Peccata Baptismum concomitantia (i.e. commissa dum applicatur materia et forma sed ante ultimum instans hujus applicationis) non sunt materia Poenitentiae, sed Baptismi, per cujus proinde reviviscentiam deleri debent.

Probatur.

Nam haec peccata praecedunt ipsum Baptismum formaliter qua talem et sunt hominis nondum subjecti Ecclesiae per characteris impressionem, juxta sententiam thomisticam (defensam in tractatu De sacr. in gen., art. 10) quae docet sacramentum formaliter esse et operari in ultimo instanti terminativo ultimae suae partis.

In sententiis vero aliorum theologorum,[43] qui dicunt sacramentum producere effectum suum et characterem imprimere in aliquo instanti vel tempore intermedio (sive determinato sive indeterminato), consequenter dici debet peccata quae praecedunt impressionem characteris esse materiam Baptismi, ea vero quae subsequuntur (etsi nondum absoluto sacramento) esse materiam Poenitentiae, utpote pertinentia ad hominem jam subjectum Ecclesiae.

Et de facto *Lugo* hanc explicationem, saltem ut probabilem, eligit. Docet[44] enim quod sacramentum obtinet suum complementum durante tempore quo pronuntiatur ultima syllaba, et quia in primo instanti hujus temporis jam incipit esse perfectum et validum, in ipso eodem instanti producit suum effectum; unde omnia peccata quae committuntur vel continuantur post tale instans in duratione praedicti temporis sunt materia Poenitentiae, quia subsequuntur impressionem characteris.

Conclusio 2. Etiam peccata proprie concomitantia ipsum formaliter Bap-

[42] Ibid., n. 23 sq., p. 901.
[43] Cf. *Lugo,* De sacr. in gen., disp. 4, sect. 6; *Salmanticenses,* De sacr. in comm., disp. 4, dub. 5, n. 80 sqq.
[44] De sacr. in gen., disp. 4, sect. 6, n. 123; De Poenit., disp. 16, sect. 1, n. 3.

tismum (i.e. commissa in ipso instanti terminativo in quo sacramentum est et operatur) non sunt materia Poenitentiae sed Baptismi, si excipiatur ipsum peccatum fictionis. Unde homo ficte baptizatus non tenetur ea accusare in confessione, sed sufficit ut accuset peccatum fictionis, dicens se suscepisse Baptismum in statu peccati et cum defectu attritionis.

Probatur.

PRIMA RATIO deducitur ex *Conc. Trid.* (cit. in art. 7, p. 214 sq.) docente materiam sacramenti Poenitentiae et confessionis esse peccata commissa post Baptismum, nulla facta mentione peccatorum concomitantium. Jamvero eo ipso quod Concilium, assignans materiam Poenitentiae, loquitur de solis peccatis post Baptismum, recte intelligitur excludere omnia alia peccata, etiam concomitantia, quemadmodum eo ipso quod Conc. Florentinum assignat pro materia Baptismi aquam naturalem et pro materia Eucharistiae panem triticeum et vinum de vite, excludit aquam artificialem, panem non triticeum et vinum de pomis.

Unde inepte quidam opponunt ideo Conc. Trid. tacuisse de peccatis concomitantibus, quia de ipsis erat controversia inter theologos, quam dirimere noluit. Exinde enim sequeretur Concilium ineptissime sese expressisse, cum ex ipsis eius verbis sequatur exclusio praedictorum peccatorum a ratione materiae Poenitentiae.

Praeterea, Concilium docet Ecclesiam hoc judicium sacramentale in neminem exercere "qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus". Jamvero homo peccans in eodem instanti Baptismi nonnisi simultanee se habet cum Baptismo nec dici potest prius per Baptismum ingressum fuisse in Ecclesiam.

Inepte autem *Lugo* (*l. c., n. 31*) *opponit* Concilium tantummodo asserere quod homo non potest ab Ecclesia judicari de quocumque peccato nisi prius fiat subditus per Baptismum. Hanc interpretationem supra (p. 232) reiecimus. Quod autem Lugo ex ea positive infert, requiri nempe quod Baptismus praecedat judicium et non ipsum peccatum de quo judicatur, retorqueri potest contra ipsum; nam exinde sequeretur Ecclesiam per sacramentum Poenitentiae posse judicare non solum de peccatis Baptismum concomitantibus, sed etiam de praecedentibus (eorum enim differentia quoad tempus est accidentalis), quod tamen Lugo nobiscum explicite negat.

SECUNDA RATIO est ex auctoritate *Augustini et S. Thomae.* In textu enim supra citato (p. 239 sq.) primus explicite ait per Baptismum, recedente fictione, solvi quidquid peccati superest "ante baptismum et in baptismo", alter vero ait Baptismum reviviscentem removere "reatum omnium peccatorum praecedentium baptismum, et

etiam simul existentium cum baptismo", item "effectum baptismi non esse tollere peccata futura, sed praesentia vel praeterita".

TERTIA RATIO est quia peccata concomitantia Baptismum (excepta formali fictione, ob specialem rationem infra explicandam) sub una ratione Baptismum concomitant (prout nempe coexistunt in eodem instanti), sub alia autem ratione illum praecedunt (prout nempe se habent ad illum ut dispositio, quamvis mala), sub nulla vero ratione illum subsequuntur. Ergo sunt materia Baptismi, quatenus ipsum concomitant et praecedunt (virtus enim Baptismi respicit quidquid est in homine in momento quo applicatur), et nullo modo sunt materia Poenitentiae, tum quia sunt materia Baptismi, tum directe quia nulla ratione subsequuntur Baptismum.

Ad cujus evidentiam recolas ex philosophia duplicis generis esse dispositionem, unam quidem quae procedit ab ipsa forma, et haec dispositio est prior forma in genere causae materialis, posterior vero in genere causae formalis; aliam vero quae non procedit a forma, et haec est simpliciter et absolute prior quam forma (in eodem genere causae materialis) et nulla ratione posterior. Hoc autem secundo modo peccata Baptismum concomitantia se habent ut dispositio relate ad influxum Baptismi (ut dispositio quidem mala, seu impediens vel retardans talem influxum), quoniam disponunt ad illum (ut retardandum) nec procedunt ab illo (ut retardando), vel, si placet, disponunt ad negativum influxum malae voluntatis retardantis influxum Baptismi sed non procedunt formaliter ex ea mala voluntate, quemadmodum fictio formalis. Unde, simpliciter et absolute, praedictum influxum praecedunt et nulla ratione subsequuntur, nisi inquantum induunt rationem fictionis formalis, et praecisive sub hac ratione, non vero ratione sui et prout sunt simpliciter peccata concomitantia Baptismum, ut fusius infra dicetur. Ipsa vero fictio formalis habet rationem dispositionis primo modo, quia disponit ad influxum retardandum et simul procedit ab ipso influxu retardando, seu ab ipsa mala voluntate retardandi influxum Baptismi. Et propterea, ut infra dicetur, sub hac ratione fictio est materia sacramenti Poenitentiae.

DICES 1 (contra allatam rationem). Peccata concomitantia se habent ut indispositio relate ad solum influxum Baptismi infundentem gratiam, non vero relate ad influxum imprimentem characterem, ut patet ex eo quod character de facto imprimitur et sacramentum valide confertur. Jamvero influxus qui respicit gratiam est posterior influxu respiciente characterem. Ergo sub hac ratione ea peccata se habent subsequenter ad Baptismum validum. Ergo sunt materia Poenitentiae.

RESP. Negatur imprimis et absolute ultima consequentia. Nam, etiamsi haec peccata se haberent consequenter ad Baptismum ut validum, manerent tamen antecedentia relate ad Baptismum ut fructuosum, et ideo adhuc essent materia Baptismi ut fructuosi et per eius influxum infusivum gratiae expelli possent.

Ceterum, nec major argumenti est simpliciter concedenda; nam influxus Baptismi in characterem et gratiam est unus et idem influxus, habens duos effectus ad invicem subordinatos, quorum praeterea prior (nempe character) influit in alterum, saltem ut causa exigitiva. Unde ea peccata duplici modo sunt indispositio relate ad ipsum characterem, quatenus nempe opponuntur indivisibili influxui Baptismi, causantis utrumque effectum, et quatenus opponuntur ipsi influxui characteris in gratiam; opponuntur enim influxui Baptismi causantis gratiam cum et per characterem; et hoc modo undequaque Baptismum praecedunt.

DICES 2 (contra ipsam doctrinam). Peccata Baptismum concomitantia, praecise quia talia, committuntur ab homine jam existente in Ecclesia, seu jam baptizato. Ergo pertinent ad sacramentum Poenitentiae.

RESP. Dist. antec. Ea peccata committuntur ab homine jam existente in Ecclesia et jam baptizato, i.e. primo existente in Ecclesia vel simul existente in Ecclesia et baptizato, *concedo;* prius existente in Ecclesia et prius baptizato, *nego;* nam ipsa sunt simul cum Baptismo et nulla ratione illum subsequuntur, quod tamen requiritur ad hoc ut sint materia Poenitentiae. Unde *neg. cons.*

Aliis verbis, proprie loquendo non homo baptizatus committit peccatum, sed homo dum baptizatur committit peccatum, et dum ponitur sacramentum ponitur peccatum, nec ideo est simpliciter verum ea peccata esse hominis existentis in Ecclesia, quia non prius est existere in Ecclesia quam ponere peccatum.

INSTES. Ea peccata ex hoc ipso quod existunt in instanti terminativo Baptismi sunt posteriora Baptismo, nam in eo instanti Baptismus non amplius est, sed fuit, quia Baptismus, utpote ens successivum, terminatur et operatur in instanti extrinseco sui non esse.

RESP. Hoc instans terminativum, in quo sacramentum completur et operatur et in quo dicimus coexistere illa peccata, non est omni modo extrinsecum et posterius sacramento, imo est simpliciter intrinsecum ipsi.

Cum enim sacramentum sit ens successivum, et ens successivum tunc compleatur cum de ipso verificatur quod mutatum est, hoc autem verificatur non in instanti intrinseco quo adhuc est ultima eius pars,

sed in instanti extrinseco in quo haec quoque transierit, sequitur utique quod sacramentum tunc complementum habeat (et tunc operetur) cum ultima eius pars transierit, seu in instanti quod est extrinsecum omnibus partibus sacramenti. Attamen, cum complementum sacramenti sit aliquid ipsi sacramento intrinsecum, hoc ipsum instans, in quo sacramentum obtinet suum complementum, dicendum est ipsi simpliciter intrinsecum. Est igitur tale instans simul extrinsecum et intrinsecum sacramento; extrinsecum quidem, si sacramentum sumitur inadaequate pro partibus successivis quibus constat et per quas in esse deducitur, intrinsecum vero, si sacramentum sumitur adaequate et simpliciter etiam pro suo complemento, sine quo sacramentum nec operatur nec est.

Propterea, antecedenter ad hoc instans, seu in instanti intrinseco quo existit ultima pars sacramenti, Baptismus nondum simpliciter et formaliter adest, nec homo dici potest simpliciter baptizatus et existens in Ecclesia, nec, si in eo instanti moreretur, migraret e vivis purgatus ab originali peccato et cum gratia regenerativa, nec tandem peccata commissa in instanti subsequenti dici possunt simpliciter hominis existentis in Ecclesia, aut formaliter posteriora Baptismo, aut ullatenus materia Poenitentiae.[45]

DICES 3. Haec peccata opponuntur Baptismo et sunt eo fortiora, cum impediant eius effectum. Ergo nequeunt ab eo removeri. Ergo nequeunt esse materia ipsius. Ergo sunt materia Poenitentiae.

RESP. Dist. antec. Haec peccata opponuntur Baptismo formaliter ratione sui, prout sunt peccata vel talia peccata (puta furti vel impudicitiae), *nego;* ratione fictionis formalis quae in eis includitur, sed ab eis formaliter distinguitur, *concedo. Pariter dist. cons.*

Oppositio illorum peccatorum cum Baptismo non provenit ex ipsis peccatis, tam sub generica ratione peccati quam sub specifica, ut patet ex eo quod eadem prorsus peccata, quando non sunt stricte concomitantia (sed praecedentia Baptismum vel concomitantia solam eius celebrationem) remittuntur per ipsum Baptismum immediate vel post remotionem obicis (si fuerint cum fictione tum formali tum etiam materiali).

Proprie ergo praedicta oppositio provenit, in quovis genere peccatorum, ex concomitanti indispositione subiecti seu ex defectu attritionis, qui potest esse vel conscius (fictio formalis), ut in casu, vel inconscius (fictio materialis). Unde id quod Baptismus nequit ex se auferre est solus defectus attritionis, quo remoto, ipse delet omnia peccata praesentia et praeterita, aut dum existit aut dum reviviscit.

[45] Cf. *Salmanticenses,* De Poenit., disp. 2, dub. 2, n. 88–90, coll. cum iisdem De sacr. in comm., disp. 4, dub. 5, n. 73. 77. 81. 82.

Aufertur autem talis defectus per elicentiam ipsius actus attritionis in actu Baptismi aut post Baptismum ficte susceptum (si non fuerit fictio formalis nec addita sint alia peccata mortalia post Baptismum) vel per Poenitentia in re aut in voto (si fuerit fictio formalis vel alia mortalia). Ipsa quoque formalis fictio non est opposita Baptismo inquantum est peccatum sed inquantum est fictio, scilicet actualis voluntas contrarians sacramentum eiusque effectum, et ratio quare ut peccatum non possit auferri a Baptismo, sed sit materia Poenitentiae, est quia habet ipsum Baptismum pro obiecto et est posterius ipso; propterea e converso ipsa voluntas ficte suscipiendi Baptismum, quae forte habetur ante Baptismum, per ipsum Baptismum remittitur, si ante ipsum retractatur.

INSTES 1. Quamvis peccata concomitantia non contrarientur Baptismo sub ratione peccati, ei tamen opponuntur eiusque effectum impediunt, formaliter prout sunt concomitantia, seu prout actu fiunt in ipso instanti Baptismi et important actualem voluntatem peccandi, cui repugnat infusio gratiae.

RESP. Neque hoc modo ea peccata formaliter opponuntur Baptismo, sed prout illi actuali voluntati peccandi adiungitur necessario fictio formalis, i.e. voluntas suscipiendi Baptismum sine dispositione seu cum ipsa eadem actuali voluntate peccandi. Unde haec actualis voluntas peccandi est quidem mala dispositio relate ad Baptismum (et ob hanc rationem diximus supra quod peccata concomitantia praecedunt Baptismum), sed non est dispositio directe opposita Baptismo, sicut fictio formalis seu voluntas sucipiendi Baptismum sine dispositione (quae proinde subsequitur Baptismum), ita ut si per impossibile illa posset ab ista separari, posset quoque remitti per Baptismum, sicut de facto dicimus ipsam remitti per Baptismum reviviscentem, quando, ex actuali in habitualem conversa, separatur a fictione per sacramentum Poenitentiae.

INSTES 2. Dictum est supra peccata concomitantia opponi Baptismo ac propterea illum quodammodo antecedere, nunc vero asseritur ea non opponi Baptismo, ac propterea posse ab ipso deleri. In quo videtur esse contradictio.

RESP. Ut nuper dictum est, ea peccata opponuntur quidem Baptismo prout important actualem voluntatem peccandi, sed non directe sicut ipsa fictio quae importat voluntatem suscipiendi Baptismum cum actuali voluntate peccandi.

INSTES 3. Quaedam alia peccata, praeter fictionem, ex sua specifica ratione, respiciunt ipsum Baptismum eique directe opponuntur; tales sunt varii modi quibus aliquis potest abuti sacramento ad pravos fines consequendos, puta ad furtum perpetrandum. Ergo saltem haec peccata sunt materia non ipsius Baptismi sed Poenitentiae.

RESP. Specialis oppositio talium peccatorum cum Baptismo, prout distinguitur a formali fictione, multiplicat quidem peccata et auget malitiam indignae susceptionis sacramenti sed materialiter se habet in hoc casu, quia, sicut etiam in ceteris peccatis concomitantibus, non respicit formaliter et directe Baptismum nisi ratione fictionis formalis in ea fundatae; idque vel ex eo patet quod haec eadem peccata, si antecedant Baptismum vel instans ejus terminativum, sunt materia ipsius Baptismi, juxta omnium sententiam.

DICES 4. In instanti Baptismi aliquis jam tenetur observare leges Ecclesiae ac proinde potest contra eas peccare, puta comedendo carnes die Veneris. Ergo saltem haec peccata remittuntur per potestatem clavium seu Poenitentiam, non vero per Baptismum, quippe qui fundet praedictam obligationem et proinde praecedat contrarium peccatum.

RESP. Imprimis negari potest antecedens et existentia assertae obligationis. Nam prius est baptizari quam obligari, cum prius sit esse in Ecclesia per Baptismum quam in ea operari et pati obligationem; jamvero, si concederetur talis obligatio in instanti Baptismi, non prius simpliciter esset baptizari quam obligari, sed simul, saltem simultate temporis.

Secundo, si quis velit hanc simultatem cum Baptismo sufficere ad existentiam legis ecclesiasticae, exinde non sequitur praedicta peccata esse materiam Poenitentiae, cum inde non fiant posteriora Baptismo; unde ipsa essent materia potestatis Ecclesiae, sed non potestatis sacramentalis.

Tertio, si quis praeterea velit in eodem instanti temporis subtiliter distinguere duo instantia rationis, in quorum priori (prioritate naturae) sit Baptismus, in altero vero obligatio et peccatum, nondum exinde recte inferret ea peccata esse materiam Poenitentiae. Nam, quamvis ita essent posteriora Baptismo sub ratione objecti legis ecclesiasticae, adhuc manerent ei concomitantia et antecedentia sub praecisa ratione peccati, seu malae voluntatis oppositae infusioni gratiae per Baptismum. Unde tria tunc instantia rationis distinguenda essent: in primo intelligerentur peccata, in altero Baptismus, in tertio lex ejusque objectum. Sic iterum ea peccata essent materia potestatis ecclesiasticae, sed non potestatis sacramentalis.

DICES 5. Saltem peccata concomitantia quae, ut facile contingit, protrahuntur per aliquod instans vel morulam temporis post instans

Baptismi, sunt materia Poenitentiae; nam nequit idem peccatum pertinere ad duo distincta sacramenta nec potest postmodum, in justificatione ficte baptizati, auferri per duplex sacramentum.

RESP. Nulla est repugnantia in eo quod haec peccata quoad sui incoeptionem pertineant ad Baptismum, quoad sui vero continuationem et terminationem ad Poenitentiam. In justificatione autem hominis ficte baptizati, ab utroque etiam sacramento remittuntur, quatenus utrumque sacramentum, influens cum respectu ad suam propriam materiam, causat eandem indivisibilem gratiam per quam omnia peccata et omnes aspectus cujuslibet peccati auferuntur.

DICES 6. Peccatum formalis fictionis est materia Poenitentiae. Ergo a pari et cetera peccata Baptismum concomitantia. Nam tum fictio, tum cetera, sunt in eodem instanti cum Baptismo; item, sunt hominis jam existentis in Ecclesia et baptizato; item, opponuntur Baptismo; item, se habent ut indispositiones influxui Baptismi; item, sunt sacrilegia seu profanationes sacramenti.

RESP. Neg. cons. Ex nuper enim dictis et ex infra dicendis circa ipsam fictionem, patet maximam esse disparitatem inter hanc et cetera peccata concomitantia.

Nam, quamvis omnia sint simul in eodem instanti cum Baptismo, tamen sola fictio est natura posterior, cetera vero natura priora; item, quamvis omnia sint hominis jam existentis in Ecclesia, sola fictio est hominis prius existentis et prius baptizati, cetera vero sunt tantum hominis primo vel simul existentis et baptizati; item, quamvis omnia opponantur Baptismo, tamen sola fictio id habet formaliter, directe et ratione sui, cetera vero ratione ipsius fictionis; item, quamvis omnia sint indispositiones, tamen sola fictio est indispositio procedens ex ipsa causa retardante influxum Baptismi, seu a mala voluntate infructuose suscipiendi, et consequenter ipsa sola habet posterioritatem relate ad Baptismum, ratione cuius est materia Poenitentiae; item, quamvis omnia quodammodo concurrant in sacrilegium et profanationem sacramenti, tamen sola fictio est directe et proprie sacrilegium, cetera vero non sunt distincta sacrilegia nec etiam circumstantiae intrinsece aggravantes sacrilegium, sed tantum materia unius sacrilegii fictionis.

INSTES. Ratio huius sacrilegii fundatur in ceteris peccatis Baptismum concomitantibus, unius autem speciei est peccatum et eius causa, ergo omnia illa peccata participant speciem sacrilegii; item, per quodlibet illorum peccatorum fit injuria sacramento eiusque profanatio, ergo unumquodque illorum est sacrilegium; item, gravius est accedere ad Baptismum cum pluribus quam cum uno peccato, ergo

peccata concomitantia participant rationem sacrilegii, saltem ut circumstantiae aggravantes ipsius fictionis, quas in confessione istius oportet sacramento Poenitentiae subicere.

RESP. Ratio sacrilegii fictionis fundatur in ceteris peccatis, non ut in causa moraliter influente sed ut in causa materialiter adstante; nam non fundatur in eis formaliter ut sunt concomitantia Baptismum, cum detur fictio etiam de peccatis mere praeteritis quin adsit ullum peccatum commissum in ipso instanti Baptismi, nec ut sunt specifice talia peccata (puta furti vel impudicitiae) vel ut sunt plura, nam ad rationem sacrilegii tantummodo pertinet intentio recipiendi sacramentum cum actuali voluntate adhaerente peccato, quin referat an ista voluntas adhaereat huic vel illi peccato, aut uni vel pluribus.

Cum igitur tum ratio concomitantiae, tum specifica indoles, tum pluralitas illorum peccatorum, materialiter et concomitanter se habeat relate ad rationem sacrilegii, quod formaliter fundatur in ratione peccati indistincte et in confuso, nequit exinde oriri ulla distinctio aut pluralitas sacrilegiorum, nec etiam ulla circumstantia intrinsece aggravans sacrilegium. Maior quidem malitia habetur in eo qui peccata, eaque plura et graviora, committit in ipsa ficta susceptione Baptismi, quam in eo qui accedit cum sola fictione ex peccatis praeteritis, aut in Baptismo leviora vel pauciora peccata committit, sed tota differentia se habet non ex parte operationis, sed ex parte operantis, qui nempe non indignius sed indignior accedit.

DICES 7. Si de ceteris peccatis concomitantibus negatur quod sint materia Poenitentiae, id a fortiori negandum esset de peccato fictionis (quod tamen fere a nemine negatur).

Etenim cetera peccata possunt attingi a judicio et censuris Ecclesiae (imo quaedam ex eis provenire possunt ex inoboedientia legis Ecclesiae, ut dictum est supra, Dices 4, p. 253), fictio vero non potest cadere sub lege Ecclesiae, non enim potest Ecclesia prohibere indignam susceptionem Baptismi, cum ante huius susceptionem homo non sit eius subditus. Si igitur cetera peccata, quae attingi possunt ab Ecclesiae potestate, non essent materia Poenitentiae, a fortiori id dicendum esset de fictione quae ab eadem potestate attingi non potest.[46]

RESP. Haec obiectio imprimis supponit unum incertum, scilicet cetera peccata subici posse potestati Ecclesiae, quod videtur potius negandum (ut dictum est in resp. ad Dices 4, p. 253); secundo, supponit aliud falsum, scilicet Ecclesiae potestatem non posse attingere fictionem formalem, nam, quamvis Ecclesia non possit praecipere

[46] Hanc rationem a fortiori, invocat *Lugo* ad probandum quod inepte fit distinctio inter fictionem et cetera peccata sed omnia sunt tribuenda aut Baptismo, aut Poenitentiae (Hoc ultimum ipse eligit).

susceptionem vel non susceptionem Baptismi, potest tamen prohibere indignam susceptionem qua talem, cum ita sit posterior Baptismo; tertio, non recte concludit sed illegitime transit a potestate non sacramentali ad sacramentalem, nam, cum hae duae potestates sint diversae, non repugnat ut adsit aliqua ratio quare cetera peccata attingantur ab una potestate (scilicet non sacramentali) a qua fictio non attingatur, et vicissim fictio subiciatur alteri potestati (scilicet sacramentali) cui cetera peccata non subiciantur.

DICES 8. Quidquid sit de hac quaestione sub aspectu speculativo, saltem practice omnia peccata concomitantia sunt materia Poenitentiae, quatenus oportet ea singillatim et specifice accusare in confessione, saltem ut peccata dubia, ob incertitudinem durationis eorum in solo instanti Baptismi vel ultra, cum nequeat homo scire quando precise saltem voluntas peccaminosa cessaverit vel ipse Baptismus essentialiter terminaverit et transierit. Ita ad mentem *Lugonis*.

RESP. Imprimis, si haec objectio valeret, posset urgeri etiam quoad peccata antecedentia, commissa in administratione Baptismi vel etiam paulo ante; pariter enim incertum esse potest an haec peccata cessaverint precise ante ipsum instans, in quo completur Baptismus. Quis autem dicet haec peccata esse materiam Poenitentiae?

Secundo, non est confundenda quaestio metaphysica de materia sacramenti (seu de materia a sacramento delebili) cum quaestione morali de materia obligationis confitendi (seu de materia sacramento subicienda); potest enim aliquod peccatum esse materia a sacramento delebilis quod quis tamen non teneatur sacramento subicere (uti peccata venialia et, juxta plurium antiquorum sententiam, peccata mortalia dubia quae de facto non sint peccata vel sint venialia et ante sacramentum deleta). Unde, etiam si concederetur obligatio confitendi peccata Baptismum concomitantia, non inde sequeretur ea esse materiam sacramenti (seu a sacramento delebilem), quia haec obligatio fundaretur in difficultate dignoscendi an ea peccata fuerint potius subsequentia sacramentum et in supposita necessitate confitendi peccata dubia.

Tertio, etiam si admittatur cum pluribus antiquioribus generalis obligatio confitendi peccata dubia, negandum est quod supradicta peccata sunt accusanda praecise prout sunt concomitantia, seu quoad suam incoeptionem, sed tantum prout sunt subsequentia, seu quoad sui continuationem. Unde sufficeret quod poenitens se accuset v. g. de dubio furto vel impudicitia, quin addat haec peccata se perpetrasse etiam durante Baptismo vel ea esse continuationem peccatorum concomitantium Baptismum.

Quarto, negatur obligatio confitendi praedicta peccata, etiam ut

subsequentia Baptismum, praecise quia prout talia sunt peccata dubia, et ex communi sententia saltem modernorum non datur obligatio confitendi peccata dubia, saltem vel maxime quando dubium vertit circa ipsam existentiam peccati.

Conclusio 3. Peccatum concomitans quod est ipsa fictio formalis est materia sacramenti Poenitentiae, non vero ipsius Baptismi.

Probatur.

PRIMA RATIO est quia fictio formalis (i.e. voluntas suscipiendi Baptismum validum absque dispositione, seu cum actuali mala voluntate adhaerendi peccato, et ita impediendi fructum Baptismi) opponitur directe infusioni ipsius gratiae per Baptismum; ergo nequit auferri per influxum Baptismi infundentis gratiam. Aliis verbis: Fictio est fortior influxu justificativo Baptismi, cum valeat illum ligare et impedire; ergo nequit per ipsum auferri; ergo auferri debet per Poenitentiam, cum nonnisi duplex remedium peccatorum habeatur, Baptismus nempe et Poenitentia.

Nec valet opponere ex hac ratione sequi quidem quod fictio non possit auferri per Baptismum in ipsa susceptione Baptismi, non vero quod id non possit in ejus reviviscentia, postquam nempe fictio ex actuali vertitur in habituale et praeteritum peccatum ac revocatur per contritionem.

Nam etiam post susceptionem Baptismi fictio retinet propriam indolem et malitiam quam prius habuit, scilicet intrinsecam et directam oppositionem cum influxu justificativo Baptismi; fit nempe peccatum voluntariae et secutae susceptionis sacramenti infructuosi nec potest amplius revocari per contrariam voluntatem sacramentum fructuose suscipiendi, cum initerabile sacramentum jam infructuose susceptum sit; unde irrevocabiliter valedixit fructuoso influxui Baptismi.

In quo patet differentia inter fictionem (quae concomitatur actualem susceptionem Baptismi) et voluntatem ficte suscipiendi Baptismum quam forte quis habuerit ante Baptismum quamque retractaverit ante instans terminativum sacramenti (quae improprie a quibusdam fictio vocatur); nam, haec est tota in intentione et respicit Baptismum suscipiendum, unde potest revocari per contrariam intentionem ante ipsam Baptismi susceptionem ac ita deleri per ipsum Baptismum; illa vero est peccatum operis et habet pro obiecto Baptismum actu susceptum, unde nequit revocari per contrariam bonam susceptionem Baptismi, cum hic sit initerabilis et in sua reviviscentia non alium exerceat influxum quam illum qui antea impeditus fuit per ipsam fictionem.

Praeterea, si fictio posset auferri per Baptismum reviviscentem, ad id non requireretur contritio ex parte subiecti, sed attritio per se sufficeret, quemadmodum ad deletionem peccatorum ante Baptismum commissorum. Videtur autem prorsus inconveniens quod sacrilegium seu profanatio sacramenti deleatur absque contritione (aut saltem alio sacramento quod valeat ex attrito facere contritum). Si autem contritio requiritur, fictio est materia Poenitentiae, nam haec contritio nequit agere in voto Baptismi, cum sit illo posterior, sed tantum in voto Poenitentiae.

SECUNDA RATIO est quia fictio, quamvis adsit in eodem instanti cum Baptismo, sicut cetera peccata concomitantia, est tamen formaliter natura posterior Baptismo, sicut vicissim illa (ut supra dictum est) sunt formaliter anteriora Baptismo.

Etenim fictio est indigna susceptio Baptismi; jamvero indigna susceptio Baptismi est natura posterior ipso Baptismo, quia prius est esse quam suscipi; item (et ad idem redit), fictio habet pro obiecto Baptismum indigne susceptum, jamvero actus est natura posterior obiecto a quo specificatur et materia circa quam versatur.

Tertia ratio sed inepta, quam quidam, ut *Suarez, Billot* (thes. 30) et *Merkelbach* (n. 436), praecipue aut unice proponunt, est quia fictio opponitur infusioni gratiae et non impressioni characteris, unde concluditur ipsam subsequi impressionem characteris et sacramentum validum, ac esse materiam Poenitentiae.

Hanc rationem sic apte refert *Lugo* (eam merito reiciens): "Alii respondent . . . peccatum illud fictionis esse peccatum commissum post baptismum; quia baptismus prius producit characterem quam gratiam, tum quia ad producendum characterem nullam requirit dispositionem, sicut requirit ad gratiam; tum etiam, quia character ipse censetur, quasi potentia saltem moralis in ordine ad productionem gratiae; ergo obex positus per peccatum actualis fictionis ad effectum gratiae supponit jam hominem habentem characterem et baptizatum, atque adeo illud peccatum est posterius baptismo. Ita fere *P. Suarez* dict. sect. v post tertiam conclusionem, cum aliis."[47]

Si haec ratio valeret, sequeretur non solum fictionem sed cetera quoque peccata Baptismum concomitantia, esse materiam Poenitentiae, cum omnia eandem habeant habitudinem ad infusionem gratiae et impressionem characteris; idque praecise quidam adversarii conati sunt ex ea ratione inferre, ut vidimus supra (Dices 1, p. 249). Eius tamen ineptitudo, pariter ad unum vel aliud inferendum, ostensa est ibidem (Resp.). Propterea eam respuit ipse *Lugo,* cui tamen facile

[47] Disp. Schol., t. 4, De Poenitentia, disp. 16, sect. 1, n. 14, Parisiis, 1892, p. 898.

potuisset praebere argumentum ad inferendam utramque doctrinam, scilicet tum fictionem, tum cetera peccata concomitantia, esse materiam Poenitentiae.

Dices 1. Peccatum fictionis consistit in voluntate suscipiendi Baptismum absque dispositione, eiusque tota malitia continetur in hac interiori voluntate, quae praecedit Baptismum cuique nihil formaliter addit executio operis externi seu ipsa susceptio Baptismi. Ergo peccatum fictionis remittitur per ipsum Baptismum, cum sit ei antecedens.

Resp. Peccatum fictionis est ipse actus exterioris susceptionis sacramenti prout est voluntarius, adeoque qua talis est subsequens Baptismum et remittitur per Poenitentiam. Ipse autem actus internus voluntatis suscipiendi sacramentum absque dispositione, si, ut saepe contingit, etiam praecedat susceptionem sacramenti seu instans Baptismi, est, qua tale, praevium peccatum cordis quod remittitur ab ipso Baptismo, vel in ejus susceptione, si retractetur ante instans terminativum sacramenti, vel in ejus reviviscentia.

Dices 2. Cetera peccata Baptismum concomitantia non sunt materia Poenitentiae sed ipsius Baptismi. Ergo a pari, imo a fortiori, ipsum peccatum fictionis.

Resp. Utraque ratio, paritatis et a fortiori, reiecta est supra (Resp. ad Dices 5 et 6, p. 253 sq.).

CAPUT III

DE VIRTUTE POENITENTIAE

OBJECTUM.

Ut dictum est in Introductione capitis praecedentis, post generalem considerationem essentiae physicae huius sacramenti, sequitur distincta expositio partium eius, scilicet trium actuum poenitentis, qui sunt partes integrantes materiae, et absolutionis sacerdotis, quae est ipsa forma sacramenti. Actus autem poenitentis a virtute Poenitentiae procedunt, contritio quidem formaliter et principaliter, confessio vero et satisfactio consecutive et secundarie; hinc *CONVENIENTIA PRAEMITTENDI IN HOC LOCO, JUXTA MODUM AGENDI IPSIUS S. THOMAE, TRACTATIONEM DE VIRTUTE POENITENTIAE A QUA IPSA ESSENTIA SACRAMENTI, ET PRAECIPUE EIUS MATERIA, ANIMATUR ET INFORMATUR.* Cuius methodus aptitudo immerito, ut dictum est in Introductione tractatus (p. 40), a quibusdam modernis parvi penditur.

In limine autem huius disputationis juverit breviter recolere *CONVENIENTIAS ET DISCREPANTIAS INTER POENITENTIAM UT VIRTUTEM ET POENITENTIAM UT SACRAMENTUM.*

Quoad *nomen,* conveniunt in usurpanda eadem voce tanquam principali et communissimo appellativo; discrepant vero in eo quod ipsum a virtute derivetur ad sacramentum.

Quoad *existentiam,* conveniunt in eo quod, in lege saltem evangelica (imo, juxta thomisticam doctrinam, in statu reparationis seu in triplici statu legis naturae, mosaicae et evangelicae), pari passu gradiuntur, quatenus nunquam fuerit unum sine altero, imo semper unum in altero imbiberetur, virtute nempe sacramentum vivificante et sacramento virtutem per suum votum foecundante; differunt vero in eo quod datur virtus, non vero sacramentum, ante Baptismum, et virtus praecessit sacramentum in paradiso terrestri illudque subsequetur in paradiso coelesti.

Quoad *essentiam,* conveniunt in eo quod consistunt in medio justificationis et in actibus humanis; item, in eo quod unum in altero quodammodo imbibitur; differunt vero in eo quod virtus est habitus et actus interior atque dispositio ad justificationem, sacramentum

autem actus sensibilis et instrumentum; item, in eo quod virtus pertinet ad essentiam sacramenti, votum vero sacramenti non est nisi conditio efficacitatis virtutis.

Quoad *efficacitatem,* conveniunt in eo quod utrumque influit in justificationem et cum concursu alterius, quatenus virtus praebet materiam sacramento et hoc praestat virtuti votum quo ipsa operatur; differunt vero in eo quod sacramentum influit efficienter et ex opere operato, virtus vero dispositive et ex opere operantis; item, in eo quod sacramentum semper operatur, virtus vero, vel potius actus attritionis, sine ipso sacramento est inefficax ad justificandum.

Quoad *necessitatem,* conveniunt in eo quod utrumque est secunda tabula salutis, tum omnibus hominibus post lapsum Adae, tum singulis baptizatis post amissam regenerationem; differunt vero in eo quod utrumque est altero magis necessarium sub diverso respectu, nam ex una parte sine virtute nemo justificatur, quamvis justificetur sine sacramento in re suscepto, et ex alia parte absque sacramento in voto nec ipsa virtus justificare potest.

Quoad *objectum* seu materiam, conveniunt in respiciendo peccata; differunt vero quoad qualitatem peccatorum, cum sacramentum nonnisi culpas postbaptismales respiciat.

Quoad *subjectum,* conveniunt in eo quod utrumque non est nisi aut in peccatore aut in potente peccare; differunt vero in eo quod sacramentum nequit administrari nisi subjecto quod fuit peccator, et quidem post Baptismum, virtus vero est in omni subjecto in quo fuit vel est potentia peccandi, ut in Adamo, in homine nondum baptizato, in infante baptizato, in beatis.

Quoad *ministrum* conveniunt in eo quod homo sibi soli non sufficit, sed exigit influxum alterius causae concurrentis; differunt vero in eo quod virtus requirit solum concursum Dei adjuvantis, sacramentum vero requirit etiam concursum alterius hominis ministrantis.

DIVISIO.

Materiam hujus capitis dividimus juxta *quatuor causas* virtutis Poenitentiae, addito sermone de quibusdam ejus *proprietatibus;* causa tamen finalis incomplete considerabitur, seu unice quoad influxum Poenitentiae; finis enim intrinsecus hujus virtutis, qui est justificatio vel remissio peccatorum (divina enim pax, vel placatio, vel reconciliatio, est finis ejus extrinsecus), considerari potest dupliciter, i.e. vel quantum ad influxum virtutis in remotionem peccatorum, vel quantum ad ipsum effectum seu ipsam peccatorum ablationem; jamvero sub hac secunda consideratione finis virtutis consultius tractatur in Cap. VIII, ubi de effectu sacramenti Poenitentiae, qui fere coincidit cum effectu ipsius virtutis.

Tota igitur divisio et ordo articulorum sequenti conspectu exhiberi potest:

1. *Causa formalis,* seu *ipsa virtus* Poenitentiae
   Generalis ejus indoles
      Consistit in animi *dolore et detestatione* — art. 10
      Est aliquid *morale* seu laudabile — art. 11
   Specifica indoles
      Habitus: Consistit in proprie dicta et distincta virtute — art. 12
      Actus: Consistit formaliter in contritione, seu animi dolore et detestatione — art. 13
      Objectum: Obj. formale consistit in satisfactione dolorosa; obj. materiale consistit in omni et solo peccato personali — art. 14
2. *Causa materialis,* seu *subjectum,* tam proximum (i.e. voluntas), quam remotum (i.e. homo purus) — art. 15
3. *Causa efficiens,* seu *principium*
   Principium *habitus* (divina infusio) — art. 16
   Principium *actus* (timor) — art. 17
4. *Causa finalis,* seu influxus in remotionem peccatorum — art. 18
5. *Proprietates*
   Excellentia relate ad alias virtutes — art. 19
   Divisio in poen. ante Baptismum, poen. mortalium et poen. venialium — art. 20
   Duratio continua et usque ad finem vitae — art. 21
   Necessitas medii et praecepti — art. 22

S. Thomas agit de virtute Poenitentiae in q. 85; in sequentibus vero q. 86–89 agit de effectu Poenitentiae tam ut virtutis quam ut sacramenti.

ART. 10. Utrum Poenitentia Consistat In Animi Dolore Ac Detestatione De Peccato, Non Vero In Sola Consilii Mutatione (q. 85, a. 1; q. 86, a. 2).

STATUS QUAESTIONIS

In hoc et quatuor sequentibus articulis est quaestio de ipsa essentia hujus virtutis, considerata ordinatim secundum habitum, actum et objectum. Determinatae autem considerationi ipsius habitus praemittenda est in hoc et sequenti articulo quaestio de generica indole Poenitentiae et de ipsa ejus moralitate.

In praesenti ergo agitur contra Protestantes *de ipso generali conceptu Poenitentiae,* seu de ipsa indole illius animi motus aut dispositionis, quam homo peccator gerere debet erga Deum ad hoc ut veniam et justificationem consequatur. Quae quaestio, non semel in superioribus praelibata, convenienter hic explicite proponitur, ut necessarium fundamentum ceterorum.

PARS NEGATIVA

Doctrina PROTESTANTIUM, quae tenet poenitentiam consistere in sola resipiscentia, seu in sola "mutatione mentis et consilii" (Lutherus), vel in "nova vita" (Lutherus), vel in mutatione vitae, vel in proposito mutandi vitam, eiusque partes esse tantummodo terrores conscientiae et fidem in Christo, latius exposita ac refutata est in superioribus (Introd. tract., p. 5–9; ibid., p. 35–38; et praecipue art. 3, p. 156–159 et 162–164), ubi etiam dictum est quomodo ex hoc praejudicio ipsi conentur arbitrarie interpretari tum etymologiam tum usum vocis poenitentiae in literatura christiana (cf. Introd. tract., p. 5–9).

Ad praesentem quaestionem quod attinet, sententia Novatorum sic breviter resumi potest: Proprie dictus ac liber dolor et detestatio ipsius peccati est impossibilis, quia, ob totalem humanae naturae corruptionem per peccatum originale, quidquid ab ea procedit est necessarium atque peccatum, nec ideo potest esse actus liber qui formaliter contrarietur ipsi peccato. Unicus autem actus liber, qui ab homine elici potest, est actus fidei seu fiduciae in Christum et proinde omnis actus doloris vel detestationis qui a peccatore procedit nequit esse nisi caecus cruciatus seu terror conscientiae ob imminentem damnationem, qui proinde non respicit ipsum peccatum sed eius effectum.

In hoc sensu intelligendae sunt ipsae captiosae nec rarae Novatorum assertiones de dolore et fletu peccatorum (cf. *Confessionem Helveticam,* citatam in art. 3, p. 158: "Homo [de peccatis] . . . ex corde dolet, eademque coram Deo . . . deplorat . . . cum indignatione execratur"). Typicum est exemplum *Chemnitii,* qui in Examine decreti Conc. Trid. dum dicit se consentire doctrinae tridentinae de contritione eamque intelligere "dolorem conscientiae, graviter dolentis se peccasse et peccatis offendisse Deum" (De contritione, 6, 5. 2), addit hanc contritionem "non esse opus liberi arbitrii" (ibid., 3) et "nihil aliud esse quam quod agnoscimus, sentimus et fatemur nos propter peccata irretitos teneri, nexibus divini judicii, ad aeternam damnationem" (ibid., 4).

Inter *Rationalistas* et philosophos modernos, quidam, negata libertate, negant consequenter peccatum et poenitentiam, seu ea relegant inter fictiones mentis, alii vero frequentiores, negata vita supernaturali imo et existentia Dei eiusque legis, concipiunt peccatum ut meram devi-

ationem a morali quadam rectitudine ac docent consequenter poenitentiam nihil aliud esse quam quemdam reditum ad hanc rectitudinem, seu quamdam consilii et actuum vitae mutationem.[1]

PARS AFFIRMATIVA

Doctrina catholica et de fide sic ex constanti traditione ac magisterio Ecclesiae colligitur a *Conc. Tridentino:*

Sess. 6, cap. 6: "Disponuntur [peccatores] . . . ad ipsam justitiam, dum [conceptis motibus fidei, timoris, spei, amoris initialis] . . . propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per . . . poenitentiam" (Denz. 798).

Ibid., *can. 8:* "Ad misericordiam Dei de peccatis dolendo, confugimus" (Denz. 818).

Sess. 14, cap. 3, cit. in art. 3, p. 160.

Ibid., *can. 4,* cit. ibid.

Ibid., *cap. 4:* "Contritio, quae primum locum inter dictos poenitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius, et in homine post baptismum lapso ita demum praeparat ad remissionem peccatorum, si cum fiducia divinae misericordiae et voto praestandi reliqua coniunctus sit, quae ad rite suscipiendum hoc sacramentum requiruntur. Declarat igitur sancta Synodus, hanc contritionem non solum cessationem a peccato et vitae novae propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere, iuxta illud: 'Proicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus praevaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum' [Ez 18, 31]. Et certe, qui illos Sanctorum clamores consideraverit: 'Tibi soli peccavi, et malum coram te feci' [Ps 50, 6]; 'Laboravi in gemitu meo; lavabo per singulas noctes lectum meum' [Ps 6, 7]; 'Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae' [Is 38, 15], et alios huius generis, facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactae vitae odio et ingenti peccatorum detestatione manasse" (Denz. 897).

Ibid., *can. 5:* "Si quis dixerit, eam contritionem, quae paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis 'recogitat annos suos in amaritudine animae suae' [Is 38, 15], ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis et aeternae damnationis incursum cum proposito melioris vitae, non esse verum et utilem dolorem, nec praeparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis

[1] De conceptu poenitentiae apud modernos acatholicos confer *Encyclopaedia of Religion and Ethics*, art. Repentance (Samuel Mc Comb), p. 733.

peccatorem; demum illam esse dolorem coactum et non liberum ac voluntarium: A.S." (Denz. 915).

Leo X sequentes *Lutheri* propositiones damnavit: *Prop. 5,* cit. in art. 3, p. 159. *Prop. 6:* "Contritio, quae paratur per discussionem, collationem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animae suae, ponderando peccatorum gravitatem, multitudinem, foeditatem, amissionem aeternae beatitudinis, ac aeternae damnationis acquisitionem, haec contritio facit hypocritam, immo magis peccatorem" (Denz. 746). *Prop. 7,* cit. in art. 3, p. 159.

Catechismus Conc. Trid., p. 2, c. 5, q. 4, ait: "In primis monendi hortandique sunt fideles, ut omni contentione et studio in intima animi poenitentia, quam virtutem dicimus, elaborent; sine qua ea, quae extrinsecus adhibetur, parum admodum profutura est. *Intima autem poenitentia* est illa, quum ad Deum nos ex animo convertimus, et commissa a nobis scelera detestamur et odio habemus; simulque illud nobis certum et deliberatum est malam vitae consuetudinem corruptosque mores emendare, non sine spe veniae a Dei misericordia consequendae. Hanc vero dolor et tristitia, quae perturbatio et affectio est, et *passio* a multis vocatur, consequitur, veluti comes peccatorum detestationi adjuncta. Quamobrem apud plures ex sanctis Patribus poenitentiae definitio hujusmodi animi cruciatu declaratur."

CONCLUSIO

Poenitentia consistit essentialiter et principaliter in ipso animi dolore ac detestatione de peccato, non vero in sola mentis aut vitae mutatione.

Probatur 1. *Ex Scriptura et Traditione.*

Ut constat ed Introd. tract. (p. 4–10), *ipsae voces* quibus dispositio peccatoris ad justificationem requisita nominatur, scilicet noham, μετάνοια, poenitentia, baptismus laboriosus, lavacrum lacrimarum, directe vel indirecte important peccati dolorem et detestationem.

Praeterea, multoties talis dispositio ut dolor et detestatio explicite describitur:

Cf. imprimis Ezech. 18, 31; Psal. 50, 6; Psal. 6, 7; Is. 38, 15, relatos a Conc. Trid., sess. 14, cap. 4, nuper cit. Item:

Job, 42, 6: "Idcirco ipse me reprehendo, et ago poenitentiam in favilla et cinere."

Psal. 50, 19: "Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies."

Baruch, 2, 18: "Anima quae tristis est super magnitudine mali, et

incedit curva et infirma, et oculi deficientes, et anima esuriens dat tibi gloriam et justitiam Domino."

Dan. 3, 38 sq.: "Et non est in tempore hoc . . . propheta, neque holocaustum, neque sacrificium . . . ut possimus invenire misericordiam tuam. Sed in animo contrito, et spiritu humilitatis suscipiamur".

Joel, 2, 12 sq.: "Nunc ergo, dicit Dominus, convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, et in fletu, et in planctu. Et scindite corda vestra, et non vestimenta vestra; et convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus et misericors est, patiens et multae misericordiae, et praestabilis super malitia."

2 Cor. 7, 10: "Quae enim secundum Deum tristitia est; poenitentiam in salutem stabilem operatur; saeculi autem tristitia mortem operatur."

Quoad *Patres* confer textus citatos in art. 1 ex Herma (p. 95), Tertulliano (p. 101. 104), Cypriano (p. 113. 114), Paciano (p. 116), Hieronymo (p. 119), Augustino (p. 120), Innocentio I (p. 122), Gregorio M. (p. 123), praecipue vero Patrum directas definitiones vel descriptiones de Poenitentia et actu contritionis, quarum plures referuntur in Introd. tract. (p. 10), in art. 13 (p. 352) et in art. 14 (p. 382 sq.).

Augustinus in Serm. 351 (cit. in p. 10) ipsam Protestantium opinionem explicitis verbis refellit.

Doctrinam Traditionis apte resumit *S. Thomas, q. 85, a. 1,* erigens verba Gregorii M. (cit. in p. 10: "Poenitentiam . . . agere est . . . perpetrata mala plangere") in hanc definitionem: "Poenitere est de aliquo prius a se facto dolere."

Probatur 2. *Ex ratione.*

Juxta frequentes S. Scripturae assertiones, ipsis Novatoribus non refragrantibus, Poenitentia est quaedam dispositio ad justificationem, ita ut peccatoribus congrue poenitentibus Deus peccata remittat. Atqui dispositio ad justificationem, qua peccatum expellitur, nequit haberi absque peccati detestatione et dolore. Ergo absque his non datur vera poenitentia, neque haec in sola mentis aut vitae mutatione consistere potest.

Ad minorem.

Imprimis enim, contrarium per contrarium expellitur; peccatum autem consistit in voluntaria conversione ad bonum creatum et aversione a Deo, seu in amore et fruitione illiciti boni; unde nequit expelli nisi per voluntariam aversionem a bono creato et conversionem ad Deum, seu per odium et dolorem de illicito bono. Quod quidem ex ipsa hominum consuetudine confirmatur, cum nemo ex naturali amore

remittat offensam sibi illatam, nisi in offensore certa deprehenderit signa illius interioris detestationis et doloris, cuius unus Deus est cognitor et scrutator.

Praeterea, offensa (in qua peccatum consistit) remittitur per gratiam seu benevolam voluntatem personae offensae; ex hoc enim dicitur aliquis alteri esse offensus quod repellit eum a gratia sua, et consequenter ex hoc aliquis dicitur remittere offensam alteri quod iterum eum admittit in gratia sua, seu sub influxu bonae suae voluntatis. Jamvero gratia Dei, seu bona voluntas et amor Dei, est effectiva bonitatis in homine sibi grato, non enim eam invenit aut praesupponit, sicut gratia et amor hominis, cum sit causa omnis boni creati. Ergo nequit alicui remitti offensa peccati nisi per acceptionem doni divini seu bonae qualitatis qua ipse fit Deo gratus, ac ideo per remotionem malae dispositionis voluntatis qua erat Deo ingratus et Deus sibi offensus. Jamvero, ut dictum est supra, ea mala dispositio consistit in conversione ad bonum illicitum eiusque amore et fruitione. Ergo nequit alicui remitti peccatum nisi conversio ad bonum illicitum removeatur, quod quidem fit per detestationem et dolorem de peccato.

Ad rem *S. Thomas, q. 86, a. 2:* "Impossibile est peccatum actuale mortale sine poenitentia remitti [i.e. sine vera detestatione et dolore de peccato], loquendo de poenitentia quae est virtus. Cum enim peccatum sit Dei offensa, eo modo Deus peccatum remittit, quo remittit offensam in se commissam. Offensa autem directe opponitur gratiae; ex hoc enim dicitur aliquis alteri esse offensus quod repellit eum a gratia sua. Sicut autem habitum est in secunda parte (1 2, qu. cx, art. 1), hoc interest inter gratiam Dei et gratiam hominis, quod gratia hominis non causat, sed praesupponit bonitatem veram vel apparentem in homine grato; sed gratia Dei causat bonitatem in homine grato, eo quod bona voluntas Dei, quae in nomine gratiae intelligitur, est causa omnis boni creati. Unde potest contingere quod homo remittat offensam, qua offensus est alicui, absque aliqua immutatione voluntatis ejus; non autem contingere potest quod Deus remittat offensam alicui absque immutatione voluntatis ejus.

"Offensa autem peccati mortalis procedit ex hoc quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile. Unde requiritur ad remissionem divinae offensae quod voluntas hominis sic immutetur ut convertatur ad Deum cum detestatione conversionis praedictae, et proposito emendandi; quod pertinet ad rationem poenitentiae, secundum quod est virtus. Et ideo impossibile est quod peccatum alicui remittatur sine poenitentia, secundum quod est virtus."

Ceterum, haec *catholica notio Poenitentiae* non excludit mutationem

consilii et propositum novae vitae, quinimmo ista necessario includuntur in ipso conceptu veri doloris, ut explicite docetur a Conc. Trid. (sess. 14, cap. 4 et can. 5, supra cit.) et explicabitur infra in art. 13 ubi de essentia actus contritionis. *Protestantica autem notio Poenitentiae* in suis ipsis principiis et explicationibus ruit, ut ostensum est in art. 3 (p. 162–164).

ART. 11. Utrum Poenitentia Sit Virtus, Seu Aliquid Morale Ac Laudabile (a. 1).

STATUS QUAESTIONIS

Antequam accedamus ad quaestionem scholasticam de specifica ratione Poenitentiae, unum superest disceptandum cum iisdem Protestantibus et Rationalistis *de ipsa indeterminata ratione virtutis,* an scilicet Poenitentia, intellecta in sensu catholico supra statuto, pro dolore de peccato, sit aliquid pertinens ad virtutem seu morale, non vero quid immorale vel amorale.

PARS NEGATIVA

PROTESTANTES hic iterum acriter dissentiunt, docentes Poenitentiam ut inepte definitur a catholicis, seu dolorem et detestationem peccati ad justificationem ordinatam, non esse virtutem seu quid moraliter bonum, sed aliquid *amorale* secundum se et *immorale* ex intentione catholicorum, actum illum fingentium vel elicere praesumentium. Quod totum sequitur ex protestantica notione Poenitentiae, relata in art. praec.

Primo, inquiunt, dolor de peccato est secundum se *amoralis.* Nam:
1. Talis dolor, etiam si possibilis esset, foret frustraneus et *stultus conatus* auferendi peccata seu faciendi quod factum sit infectum. Quod autem stultum est, morale non est.
2. Talis dolor est *impossibilis* (adeoque amoralis), quia ob corruptionem naturae nequit homo elicere liberum actum quo formaliter contrarietur peccato, sed tantum potest concipere dolorem de effectu peccati, seu timorem damnationis et terrorem conscientiae; adeoque dolor de peccato, in quo a catholicis dicitur consistere Poenitentia, vel nihil est, vel est ipse praedictus timor damnationis.
3. Hic autem timor non est moralis, cum *non sit liber.*

Secundo et consequenter, inquiunt, dolor de peccato ut causa justificationis est *immoralis* ex intentione catholicorum illum fingentium vel elicere praesumentium. Nam:

1. Talis dolor importat *praesumptionem,* eo quod actus humanus, potiusquam fiducia in Christum, erigatur in causam justificationis et satisfactionis pro peccato.
2. Talis dolor, cum reapse nihil aliud sit quam supradictus timor damnationis, *opponitur spiritui evangelico,* qui est spiritus lenitatis et libertatis.
3. Dicere hunc timorem, qui non est actus liber, valere apud Deum ad justificationem, est *doctrina immoralis,* tum speculative et in se, cum omne meritum et acceptabilitas fundetur in libertate actus, tum in suis effectibus, cum ipsa decipiat homines, qui ita inducuntur ad reponendam spem salutis in suis propriis viribus, eosque reddat hypocritas et magis peccatores, eo quod convincantur se esse justificatos dum adhuc peccatis gravatos se deprehendunt (cf. Prop. 6 Lutheri, damnatam a Leone X, et Conc. Trid., sess. 14, can. 5, cit. in art. praec., p. 264 sq.).

Rationalistae et moderni philosophi acatholici, de quibus in art. praec., reducunt dolorem de peccato ad quandam instinctivam passionem seu *quendam sensum verecundiae,* qui propterea sit *amoralis* seu omni valore morali destitutus, imo, cum importet quandam animi debilitatem, quae hominem deprimendo a bonis operibus retrahit, sit despicienda, ut irrationalis et inconsona, et hoc sensu *immoralis.*

PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica.

Doctrina affirmativa est solemniter et signantius definita a *Conc. Trid.,* sess. 14, can. 5, cit. in art. praec. (p. 264 sq.; cf. cap. 4; *Leonem X*, Prop. 6 Lutheri, cit. ibid.).

CONCLUSIO

Poenitentia est virtus, seu aliquid morale ac laudabile, non vero quid immorale vel amorale.

Probatur 1. *Ex Scriptura* Poenitentiam commendante, imo praecipiente.

Commendatio Poenitentiae infinities exhibetur, notanter autem in textibus relatis in art. praec. (p. 265 sq.).

Praeceptum etiam poenitendi frequenter et explicite in sacris litteris recurrit:

Eccli. 2, 20. 22: "Qui timent Dominum praeparabunt corda sua, et

in conspectu illius sanctificabunt animas suas . . . dicentes: Si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini".

Ezechiel, describens poenitentiam ut "cor novum, et spiritum novum" (18, 31, cit. in p. 264), praecipit: "Convertimini, et agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris" (18, 30).

Matt. 4, 17: "Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum caelorum."

Luc. 3, 8: "Facite ergo fructus dignos poenitentiae".

Ibid. 13, 3: "Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis".

Act. 2, 38: "Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum".

Jamvero quod a Deo commendatur, imo praecipitur, est morale et laudabile et virtuosum. Nam, ut arguit *S. Thomas hic, Sed Contra,* "praecepta legis dantur de actibus virtutum, quia 'legislator intendit cives facere virtuosos,' ut dicitur [Ethic., l. 2, c. 1]. Sed praeceptum divinae legis est de poenitentia, secundum illud Matth. iv, 17: 'Poenitentiam agite', etc. Ergo poenitentia est virtus."

Quae ratio tam evidens est ut *Tertullianus* futile prorsus ac impertinens dicat de hac re disputare: "Unum inculcamus: bonum atque optimum esse, quod Deus praecepit. Audaciam existimo, de bono divini praecepti disputare. Neque enim quia bonum est, idcirco auscultare debemus, sed quia Deus praecepit. Ad exhibitionem obsequii, prior est majestas divinae potestatis: prior est auctoritas imperantis, quam utilitas servientis. Bonum est poenitere, annon? Quid revolvis? Deus praecipit. At enim ille non praecipit tantum, sed etiam hortatur. Invitat (Ezech. xxxiii, 11) praemio salutem, jurans, etiam 'Vivo' dicens, cupit credi sibi. O beatos nos quorum causa Deus jurat! O miserrimos, si nec juranti Domino credimus! Quod igitur Deus tantopere commendat, quod etiam humano more sub dejeratione testatur, summa utique gravitate et aggredi et custodire debemus, ut in asseveratione divinae gratiae permanentes, in fructu quoque ejus et emolumento proinde perseverare possimus" (De. Poenit., 4, M.L. 1, 1344).

Probatur 2. *Ex ipsa ratione moralitatis.*

Moralitas est conformitas actus cum recta ratione, ut patet ex philosophia et ex ipso sensu communi. Jamvero, poenitere, prout accipitur in doctrina catholica, est actus conformis cum recta ratione. Nam, cum amor et odium, prosecutio et fuga, sint correlativa ac veluti duae facies ejusdem tendentiae appetitivae, relativorum autem eadem sit ratio, si amor et prosecutio justitiae est rationabilis, etiam odium et fuga injustitiae, quae habetur in poenitentia seu dolore de peccato, est conformis cum recta ratione. Item, cum oppositorum contraria sit

ratio, si adhaesio voluntatis ad peccatum est mala, bonus est renisus voluntatis contra peccatum, qui est de ratione Poenitentiae.

Signanter autem diximus "Poenitere prout accipitur in doctrina catholica", nam non omnis dolor de commissis est necessario conformis rectae rationi, ut patet de immoderato dolore desperationis vel de dolore qui careat proposito emendationis, sed tantum verus dolor de peccatis, i.e. *moderatus dolor de peccatis cum intentione ea removendi;* in quo tria includuntur ex quibus resultat moralitas actus, scilicet obiectum, modus et finis.

Ad rem *S. Thomas:* "Pertinet . . . ad rationem rectam ut aliquis doleat de quo dolendum est, et eo modo et fine quo dolendum est; quod quidem observatur in poenitentia de qua nunc loquimur; nam poenitens assumit moderatum dolorem de peccatis praeteritis cum intentione removendi ea. Unde manifestum est quod poenitentia de qua nunc loquimur, vel est virtus, vel actus virtutis" (in corp.).

Adducta ratio, in ipsis primis rationis principiis fundata, tam perspicua est ipsi *sensui communi* populorum, ut *Augustinus* eam dicat "*vocem ipsius naturae*", scribens: "Ut inter omnes sanos constat, et quod ipsi *Manichaei* [Protestantium tamen praecursores] non solum fatentur, sed et praecipiunt, utile est poenitere peccati. Quid ego nunc in hanc rem divinarum Scripturarum testimonia, quae usquequaque diffusa sunt, colligam? Vox est etiam ista naturae: neminem stultum rei hujus notitia deseruit; hoc nobis nisi penitus insitum esset, periremus. Potest aliquis dicere, non se peccare: non autem sibi esse, si peccaverit, poenitendum, nulla barbaries dicere audebit" (De duabus animabus contra Manichaeos, 14, 22, M.L. 42, 109 sq.).

RESPONSIO

Obj. 1. Dolor de peccatis est quid *AMORALE,* tum quia est quid impossibile, cum homo, peccato originali infectus, nequeat elicere liberum actum quo contrarietur peccatis sed tantum possit pati necessarium terrorem conscientiae seu timorem damnationis, tum quia, etiam si daretur, esset frustraneus, ac ideo stultus, conatus auferendi peccata seu faciendi quod factum sit infectum.

Resp. Falsum est Novatorum principium de impossibilitate cuiuslibet actus liberi in homine post peccatum originale, excepta fiducia in Christum. Quod etiam falsitatis convincitur ex ipsa exceptione quae ab ipsis invocatur; si enim homo sub auxilio divino, aut quomodolibet, possit elicere actum salutaris fiduciae in Christum, quare non poterit, saltem cum divino auxilio, salutarem actum doloris elicere?

Ratio autem frustranei ac stulti conatus auferendi peccata nullatenus importatur in actu doloris; nam hic non est voluntas absoluta conandi ut quod fuit non fuerit, sed est formaliter "displicentia seu reprobatio facti praeteriti cum intentione removendi [non actum ipsum peccaminosum, quod est impossibile, sed] sequelam ipsius, scilicet offensam Dei [i.e. reatum culpae] et reatum poenae".

Ita *S. Thomas, hic ad 3,* breviter sed apte resumens ac perficiens sequentes responsiones quas tradit in Comm. super Sent.:

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 6, ad 3: "Quamvis peccatum sit praeteritum quantum ad actum, manet tamen quantum ad effectum vel reatus vel maculae vel offensae divinae; et sic potest aliquis de peccato dolere inquantum est praesens; dolor enim de praesenti est. Vel dicendum, et melius, quod quamvis voluntas completa non sit de impossibili, est tamen de ipso velleitas quaedam, idest voluntas conditionata: vellemus enim, si esset possibile, quod hoc non fuisset. Et secundum hoc etiam accipiunt ex conditione praedicta quamdam rationem praesentis, ut de iis possit esse dolor, qui non est nisi de praesentibus."

Ibid., dist. 17, q. 2, a. 1, q. 1, ad 1: "Dolor non est nisi de eo quod aliquo modo praesens est. Peccatum autem praeteritum, etsi non sit praesens, est tamen praesens quantum ad aliquem effectum ejus, vel dispositionem ad peccandum, vel reatum aut maculam, vel etiam damnum temporis, quod aliquo modo non potest recuperari etiam poenitentia peracta; vel etiam amissionem dignitatis innocentiae, ad quam nunquam redire potest, per quam dicere potuisset: 'Non reprehendit me cor meum in omni vita mea'; Job, xxvii, 9. Vel dicendum, quod peccatum praeteritum dolorem excitat, inquantum praesentialiter in memoria manet; sicut etiam memorando praeterita tristia, sic eis afficimur ac si praesentia essent. Potest etiam dici, quod sicut memoria quae est in intellectiva parte, non est tantum praeteritorum, sed etiam praesentium, ut in I lib. [dist. 3, q. 1, a. 4] dictum est, quamvis memoria quae est sensitivae partis, sit tantum praeteritorum; ita dolor, qui est in appetitu intellectivae partis, potest esse et praeteritorum et praesentium, quamvis dolor sensitivae partis tantum sit praesentium eo quod intellectus abstrahit a qualibet temporis differentia, sicut et ab aliis conditionibus materialibus quas sensus concernit."

Instes. Ipse dolor seu displicentia facti praeteriti est quid *REPUGNANS.*

Primo enim, juxta doctores Morales, dolor est essentialiter *de re praesenti* (cf. S. Thomam, In 4 Sent., nuper cit.; 1–2, q. 35, a. 1; q. 36, ob. 1).

Secundo, actus detestationis nequit referri ad actum praeteritum,

nisi implicando *voluntatem de impossibili,* quae est quid repugnans. Nam detestatio praeteriti esset actus volendi ut factum sit infectum, seu conatus destruendi praeteritum, quod est impossibile, cum ad praeteritum non detur potentia nec possit quod factum est, evadere infectum.

Resp. Huic difficultati, qua restauratur obiectio Novatorum sub forma magis scientifica, quamque jam antiqui theologi sibi sincere obiciebant, alii aliter satisfacere conantur.

AD PRIMUM ergo, quo opponitur dolorem esse *de re praesenti,* communiter theologi post ipsum juniorem *S. Thomam in Commento* (nuper cit.) respondent quod peccatum, quamvis non sit praesens secundum se et quantum ad ipsum actum peccaminosum, est tamen praesens secundum effectus illius actus, i.e. secundum reatum culpae seu offensam Dei, maculam peccati et reatum poenae. Quae responsio, utut sufficiens, non evacuat difficultatem, quoniam potest homo dolere etiam de peccato jam remisso (tum secundum reatum culpae, tum secundum maculam, tum secundum reatum poenae). Unde radicalius obiectio evertenda est, concedendo cum *S. Thoma in Summa* (ad 3, nuper cit.) dolorem respicere non tantum sequelas peccati sed ipsum actum peccaminosum praeteritum, et ostendendo quo sensu sit vera affirmatio "Dolor est de praesenti" et quo sensu proinde actus praeteritus sit praesens.

Ad cuius intelligentiam recolenda est explicita doctrina S. Thomae in *1–2, q. 35 sqq.* de dolore necnon de tristitia (quae est species doloris, i.e. dolor interior vel rationalis). Dolor nempe est motus appetitus (tam animalis quam rationalis) proveniens ex "conjunctione alicujus mali . . . et perceptione hujusmodi conjunctionis" (ibid., q. 35, a. 1), ita ut "malum conjunctum sit causa doloris vel tristitiae per modum objecti" (q. 36, a. 4), intelligendo malum conjunctum "proprium malum" ipsius subiecti (q. 35, a. 8). Unde cum dicitur dolorem esse de re praesenti, sensus est dolorem esse de malo quod est conjunctum (et sic praesens) subiecto, seu de eo quod est malum proprium ipsius subiecti et non tantum extraneum (de malo enim extraneo non proprie dolor haberi potest sed odium). Non ergo agitur de praesentia temporis sed de praesentia conjunctionis, percepta per cognitionem.

Unde S. Thomas explicite asserit tristitiam seu dolorem esse etiam de praeterito. Sic enim obicienti: "Dolor non est nisi de praesenti malo. Sed tristitia potest esse de praeterito et de futuro: sicut poenitentia est tristitia de praeterito, et anxietas de futuro. Ergo tristitia omnino a dolore differt", respondet: "Sensus exterior non percipit nisi praesens; vis autem cognitiva interior potest percipere praesens, praeteri-

tum et futurum, et ideo tristitia potest esse de praesenti, praeterito et futuro; dolor autem corporalis, qui sequitur apprehensionem sensus exterioris, non potest esse nisi de praesenti" *(1–2, q. 35, a. 2, ob. 2 et ad 2;* cf. In 4 Sent., dist. 17, q. 2, a. 1, q. 1, ad 1, supra cit.).

Poenitentia igitur est dolor de peccato praeterito, non in quantum praeterito (ab eius enim praeteritione vel etiam praesentia temporis prorsus abstrahit), sed inquantum conjuncto cum subiecto, seu inquantum est malum proprium ipsius subiecti, et hoc sensu ei praesens praesentia conjunctionis. Quamvis enim actus peccati transierit nec amplius existentiam habeat, fuit tamen, et obiective est, malum ipsius subiecti, quia ab ipso perpetratum est, et proinde, qua tale apprehensum, causare valet motum doloris ac displicentiae, etiam cum ipsae eius sequelae ablatae fuerint. Unde, recte et sibimetipsi consequenter, S. Thomas (hic, a. 1, ad 3) ait Poenitentiam seu dolorem de peccato esse "displicentiam seu reprobationem facti praeteriti".

AD SECUNDUM vero, quo opponitur dolorem de peccato praeterito implicare *voluntatem de impossibili* et hanc repugnare, alii aliter respondent.

Vasquez (Comm. in hunc art. S. Thomae) videtur negare secundum membrum, i.e. voluntatem absolutam de impossibili repugnare, ac docere dolorem de peccato esse voluntatem simpliciter et absolutam de re impossibili, i.e. de non praeteritione peccati. Quod logice fluit ex eius peculiari assertione qua docet nullum actum voluntatis esse conditionatum, sed omnem absolutum.

Attamen, haec sententia est manifeste falsa et opposita communi axiomati "Voluntatem non esse de simpliciter impossibili", quod immediate eruitur ex ipsis principiis sensus communis et Metaphysicae. Quod enim est impossibile non est ens, si autem non est ens, nulla ratione est bonum seu conveniens appetitui, et ideo nequit esse appetibile. Ceterum, ipsa assertio "Nullum esse in voluntate actum conditionatum" est etiam opposita tum sensui communi, nam constat nos plura vere sed conditionate appetere, quatenus aliquod obiectum nobis placet positis vel demptis aliquibus conditionibus, tum iisdem principiis philosophicis, nam dantur quaedam entia seu obiecta conditionata, quae proinde valent fundare conditionatam bonitatem et appetibilitatem ac specificare conditionatum appetitum voluntatis.

Quidam pauci, ut *Alex. Halensis* (Summa, 4 p., q. 54, m. 2, a. 3), distinguentes dicunt dolorem de peccato praeterito importare quidem voluntatem, eamque absolutam, de impossibili, non tamen voluntatem efficacem de aliquo per se impossibili (quae utique repugnat) sed voluntatem simplicis desiderii de aliquo quod est impossibile per

accidens et ex conditione, et hanc non repugnare. Accidit enim peccato, inquiunt, quod extiterit ac proinde est per accidens quod non possit non fuisse; unde potest voluntas appetere quod non fuerit. In confirmationem adducunt peccatum angelorum quod fuit appetitus rei impossibilis, scilicet aequalitatis cum Deo.

Attamen, etiam huiusmodi voluntas absoluta, prout applicatur obiecto quod est peccatum praeteritum, est manifeste impossibilis ac repugnans. Nam, quamvis rei praeteritae, attenta eius essentia, sit per accidens quod extiterit, ac ideo juxta plurium sententiam possit a Deo individualiter reproduci, tamen, quia de facto extitit, est per se impossibile quod non extiterit, ita ut nec Deus possit absolute facere ut id quod fuit non fuerit (quod enim de facto fuit, impossibile est quod non fuit, quamvis potuisset non esse). Quod autem est absolute impossibile nequit esse obiectum ullius actus absolutae voluntatis, ut dictum est contra Vasquez.

Exemplum autem peccati angelorum non est ad rem, quia falsum supponit; angeli enim nequaquam appetierunt veram aequalitatem cum Deo, quam impossibilem sciebant, sed tantummodo elegerunt, ut suum finem ultimum, perfectionem naturalem ad quam virtute suae naturae poterant pervenire, reiecto fine supernaturali quem Deus ipsis offerebat (cf. 1 p., q. 63, a. 3).

Quidam frequentiores dicunt dolorem de peccato praeterito esse quidem voluntatem de impossibili sed conditionatam, vel, si placet, voluntatem de possibili conditionato, et hanc nullo modo repugnare. Haec voluntas consistit in hoc quod peccator ita sit dispositus ut velit auferre peccatum et velit hoc non fuisse, si id possibile esset.

Quae solutio traditur etiam a *S. Thoma juniore,* In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 6, ad 3, supra cit. (p. 272) et *dist. 17, q. 2, a. 1, q. 1, ad 3,* ubi ait: "Quamvis voluntas completa non possit esse alicujus sapientis de impossibili; tamen voluntas conditionata, quae et velleitas dicitur, esse potest de impossibilibus: qua etiam sapiens vellet quod impossibile est, si possibile foret: et ista voluntas sufficit ad dolorem causandum; et praecipue quando impossibilitas obtinendi quod volumus, ex nobis provenit; et sic est in proposito."

Attamen, haec sententia, quamvis sufficiens sit ad respondendum adversariis, non exhibet totam nec principalem rationem doloris de peccato; hic enim principaliter importat absolutam voluntatem repugnantem peccato, ut explicabitur infra; unde supradicta voluntas conditionata nequit esse nisi consequens ac secundarium elementum doloris.

Quidam praeterea addunt dolorem de peccato non esse de obiecto praeterito et impossibili (nisi modo conditionato nuper exposito), sed de praesenti et possibili, i.e. de sequelis peccati (reatu nempe culpae,

macula et reatu poenae), ad quarum destructionem et non esse tendit actus voluntatis. In qua responsione insistit *S. Thomas junior* in utroque loco Sententiarum, cit. supra (p. 272).

Attamen, haec etiam solutio, etiam ut praecedenti copulata, est incompleta, quia non attendit directe ad ipsum peccatum secundum se, de quo principaliter est dolor.

Unde dicendum est dolorem de peccato principaliter consistere in actu absolutae voluntatis circa ipsum peccatum, qui nullatenus est actus voluntatis de impossibili, quia non tendit in peccatum sub ratione existentiae et praeteritionis, quasi intendat ut id quod fuit non fuerit, sed sub ratione essentiae detestabilis, seu mali coniuncti subiecto, ut supra dictum est (p. 273 sq.). Ex quo motu sequuntur necessario duo secundarii motus voluntatis, relati in praecedentibus solutionibus, scilicet actus conditionatus de impossibili qui tendit in peccatum sub ratione praeteritionis, appetendo nempe ut quod fuit non fuerit si id possibile esset, et actus absolutus circa reliquias peccati, tendens in destructionem illarum. Et haec est sententia *S. Thomae,* concinne expressa in a. 1, ad 3 supra cit. (p. 272).

Obj. 2. Dolor de peccato est quid *IMMORALE,* tum quia importat *praesumptionem* erigendi actum humanum in causam salutis, loco fiduciae in Christum; tum quia *contrariatur evangelico spiritui* lenitatis et consolationis, cum procedat ex timore, imo cum timore damnationis identificetur; tum quia, qualiter intelligitur a catholicis, est *deceptivus animarum* easque hypocritas ac magis peccatrices reddit.

Resp. Dolor de peccato objectam praesumptionem nequaquam importat, tum quia est actus non simpliciter humanus sed supernaturalis et sub auxilio gratiae elicitus, tum quia non est proprie causa salutis sed dispositio ad justificationem extrasacramentaliter vel sacramentaliter a Deo obtinendam, tum quia importat ipsam fiduciam in Christum, eo quod, ut videbimus in art. 17, spes numeretur inter actus qui necessario praecedunt vel connectuntur cum vero dolore supernaturali.

Dolor de peccato non contrariatur evangelico spiritui lenitatis et consolationis. Nam imprimis non est idem ac timor, ut falso supponunt Novatores, quamvis praecedatur a timore servili et procedat ex timore filiali (cf. infra, art. 17), sed importat tantum displicentiam et tristitiam de peccato, quae bene componitur cum lenitate et spe consequendae salutis, imo cum gaudio de ipsa tristitia salutari, nam, ut advertit *S. Thomas,* "simul potest alicui displicere quod peccavit, et placere quod ei displicet cum spe veniae, ita quod ipsa tristitia sit materia gaudii" (q. 84, a. 9, ad 2). Praeterea, ipse timor tum filialis tum etiam servilis, nedum spiritui evangelico contrarietur, est potius alter aspectus illius divini spiritus quem ipsa Veritas, ex praecordiis indivisibilium attributorum Justitiae et Misericordiae, in evangelium insufflavit, sicut clamaverat olim per prophetas: "Ego mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei" (Eccli. 24, 24). Nec aliter hunc spiritum interpretabatur Apostolus evangelii in una eademque epistola scribens: "Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete" (Phil. 4, 4) et "Cum metu et tremore vestram salutem operamini" (ibid., 2, 12).

Ex quibus etiam patet dolorem de peccato, nedum animas deceptas, hypocritas et magis peccatrices reddat, eas in simplicitate et sinceritate cordis ad veram justificationem disponere.

Obj. 3 (ad mentem *Rationalistarum* et acatholicorum philosophorum). Dolor de peccato est quidam instinctivus sensus *VERECUNDIAE,* adeoque quid secundum se amorale, consistens in quadam psychologica debilitate quae animum retrahit a bene agendo, adeoque quid in suo effectu immorale.

Resp. Alia et alia est ratio Poenitentiae et verecundiae, ut fusius explicabitur in art. seq. (resp. ad obj. 3). Verecundia enim est passio sensibilis, seu timor opprobrii et infamiae, Poenitentia vero est actus partis rationalis, seu importat electionem voluntatis; item ac praecipue, verecundia respicit malum patratum ut inductivum infamiae, non vero ut culpam, nec proinde illud detestatur, quemadmodum Poenitentia. Ceterum, ipsa verecundia, quamvis non sit virtus, est actus laudabilis ac ducit ad virtutem, vitando malum de quo erubescit; unde nec ipsa est dicenda quaedam psychologica debilitas.

Quod si *instetur* ipsam tristitiam, quae importatur in dolore de peccato, animum debilitare et ab actione retrahere, juxta illud *Aristotolis* "Detestatio perficit operationem et e converso tristitia impedit" (Ethic., l. 10, c. 4) et illud Eccli. 30, 25: "Multos occidit tristitia, et non est utilitas in illa", *respondetur* quod immoderata tristitia immobilitat animum et impedit ipsam fugam mali de quo quis tristatur, sed moderata tristitia secundum rectam rationem, qualis est dolor Poenitentiae de peccato, impellit animum ad fugiendum malum, imo ad operandum contra malum.

Ad rem *S. Thomas, 1–2, q. 39, a. 3:* "Sicut . . . delectatio de bono facit ut bonum avidius quaeratur, ita tristitia de malo facit ut malum vehementius fugiatur." *Ibid., ad 2:* "Sicut quodlibet eligibile fit minus eligibile propter tristitiam, ita quodlibet fugiendum redditur magis

fugiendum propter tristitiam; et quantum ad hoc tristitia est utilis." *Ibid., ad 3:* "Tristitia de operatione aliqua impedit operationem, sed tristitia de cessatione operationis facit avidius operari."

ART. 12. Utrum Poenitentia Sit Virtus Proprie Dicta, Specialis, Distincta Specifice Ab Aliis, Tanquam Pars Potentialis Justitiae Commutativae (q. 85, a. 1. 2. 3).[2]

STATUS QUAESTIONIS

Est quaestio, inter theologos catholicos agitata, de *SPECIFICA RATIONE POENITENTIAE*, an scilicet sit proprie dicta virtus et quaenam species virtutis. Determinate autem *QUINQUE QUAERUNTUR*, quae in ipsa littera articuli continentur:

1. An Poenitentia sit proprie dicta virtus, in sensu nempe stricte philosophico, non vero tantummodo actus moralis ac laudabilis.
2. An sit singularis virtus, non vero tantummodo generalis quaedam conditio omnium virtutum.
3. An sit virtus specifice distincta ab omni alia, nec proinde identificetur cum charitate, vel justitia, vel religione, vel timore.
4. An sit virtus moralis, non vero theologica.
5. An pertineat ad virtutem justitiae, tanquam pars potentialis justitiae commutativae.

Ad quorum intelligentiam et resolutionem, recole quae in parte Morali, praesertim Summae Theologicae, dicuntur tum de generali definitione et divisione habitus et virtutis, tum de propria indole earum praecipue virtutum, quae intimius cum Poenitentia connectuntur, scilicet charitatis, religionis et justitiae. Ex quibus ceterum, plura in ipso articuli decursu delibanda erunt, prout opus erit ad Conclusiones probandas vel explicandas.

Merito *Lugo* (Disp. 2, circa initium), praesentem materiam longe expositurus, ait: "[Haec] quaestio gravis est, et acriter inter nostros theologos controversa"; immerito vero *Billot* (In q. 85, circa initium), eam prorsus praetermittens, scribit: "Controversia ista magis pertinet ad materiam de virtutibus, in qua etiam non tanti momenti esse videtur."

---

[2] Cf. In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1; 1–2, q. 64; 2–2, q. 57. 58. 61. 80; Quaest. Disp. De Virtutibus in communi; Quaest. Disp. De Virtutibus cardinalibus; *Cajetanum*, In q. 85, a. 2; *Suarez*, Disp. 2, sect. 1 et 3; *Joannem a S. Thoma*, Disp. 34, a. 1; *Gonet*, Disp. 2; *Lugo*, Disp. 1 et 2; *Salmanticenses*, Disp. 5, dub. 1–4; *Billuart*, Disp. 2, a. 1; *Collet*, De Poenitentia, pars prima, c. 1; *Pesch*, Prop. 5 et 6; *Galtier*, De Paenitentia, thes. 2.

PARS AFFIRMATIVA et PARS NEGATIVA

SENTENTIAE THEOLOGORUM.

QUOAD PRIMAM QUAESTIONEM, an scilicet Poenitentia sit *virtus proprie dicta* (in sensu philosophico habitus operativi seu electivi secundum rationem rectam), negarunt *quidam antiqui doctores,* quos reticito nomine memorat S. Thomas (In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 2), docentes "Poenitentiam esse [quidem] virtutem; sed non proprie loquendo, sed communiter, prout omnia laudabilia virtutes dicuntur, etiam si sint passiones", uti verecundia (cf. 2–2, q. 144, a. 1) et continentia (cf. ibid., q. 155, a. 1).

Inter posteriores theologos, fere unicus *Durandus* (In 4 Sent., dist. 14, q. 1) huic sententiae adhaesit, eam pluribus rationibus confortando. *Ratio* igitur praecipua est quia actus poenitendi nequit esse actus primarius alicuius virtutis, tum quia supponit actum vitii in operante virtuose, tum quia est actus negativus (fugae et odii); quorum utrumque repugnat rationi actus principalis alicuius virtutis.

Affirmat vero communissima traditio theologorum ex omni schola, confirmata a *Catechismo Conc. Trid.*, qui, in p. 2, c. 5, q. 6 sq., docet: "Quod autem intima haec poenitentia . . . ad *virtutem* pertineat, aperte ostendunt multa, quae de poenitentia tradita sunt, praecepta. Lex enim de iis tantum actionibus, quae suscipiuntur cum virtute, praecipit. Negare praeterea nemo potest, quin dolere, quando, quomodo et quatenus oportet, virtutis sit. Hoc autem ut recte fiat, poenitentiae virtus praestat. Interdum enim evenit, ut ex admissis sceleribus minorem, quam par est, dolorem homines capiant, quin etiam, ut a Salomone scriptum est [Prov. 2, 14], nonnulli sunt, qui, quum malefecerint, laetantur. Rursus vero alii ita se moerori animi et aegritudini dedunt, ut de salute etiam prorsus desperent: qualis fortassse Cain videri potest, qui ait: 'Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear' [Gen. 4, 13]: et qualis certe Judas fuit, qui poenitentia ductus suspendio vitam et animam amisit. Ut igitur modum in dolore tenere possimus, poenitentiae virtute adjuvamur.

"Sed idem etiam ex iis rebus colligi potest, quas sibi tamquam finem proponit is, quem vere peccati poenitet. Primum autem hoc ei propositum est, ut peccatum aboleat, omnemque animae culpam et maculam abstergat. Alterum est, ut pro sceleribus admissis Deo satisfaciat: quod quidem ad *justitiam* referri perspicuum est. Nam etsi inter Deum et homines propria justitiae ratio intercedere non potest, quum tam longe intervallo inter se distent; aliquam tamen esse justitiam constat, cujusmodi est inter patrem et filios, inter dominum et servos. Tertium est, ut homo in Dei gratiam redeat, in cujus offensio-

nem et odium propter peccati foeditatem incurrit. Haec vero omnia satis declarant, poenitentiam ad virtutem spectare."

QUOAD SECUNDAM QUAESTIONEM, an scilicet Poenitentia sit *singularis virtus*, seu una particularis virtus, *affirmat* etiam chorus fere omnium theologorum cum Catechismo Conc. Trid. (nuper cit.), *negantibus* tantummodo paucis antiquioribus (a S. Thoma tacito nomine memoratis, In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 3), uti *Guilelmo Altissidorensi* (Summa, l. 4, tract. 6, q. 3) et *Alex. Halensi* (Summa Theol., 4 p., q. 12, m. 1), qui docent Poenitentiam esse tantummodo generalem conditionem omnium virtutum, eo fere modo quo justitia, generaliter accepta pro rectitudine, et oboedientia, sunt conditio omnium virtutum, et e converso injustitia et inoboedientia sunt generalis conditio omnium peccatorum.

Ratio huius sententiae est duplex:

1. Ad eandem virtutem pertinet prosecutio boni et fuga mali; ad omnem autem virtutem pertinet prosecutio boni; unde ad omnem pertinet fuga mali, in qua consistit Poenitentia.

2. Poenitentia respicit omne peccatum; peccatum autem extenditur ad materiam omnium virtutum.

QUOAD TERTIAM QUAESTIONEM, an scilicet Poenitentia sit *virtus specifice distincta* ab omni alia, communius theologi antiquiores et communissime moderni *affirmant*.

Quoad hoc tamen non defuit olim *"varietas opinionum"*, ut de suo tempore testatur Cajetanus. Plures enim et magni nominis theologi, uti Durandus, Suarez, Contenson et ipse Cajetanus, decepti ab ea accidentali sed conspicua affinitate, quam Poenitentia habet cum pluribus aliis virtutibus, docuerunt eam cum una vel altera ex illis identificari, saltem quoad essentiam et principalem eius actum, notanter cum *charitate* (ita quidam antiqui), vel cum *justitia* (Durandus et Suarez), vel cum *religione* (Cajetanus), vel cum *timore filiali* (Contenson).

Hae sunt *quatuor notabiliores sententiae*, quas juverit breviter exponere.

Prima sententia quorumdam antiquorum, quos memorat Alex. Halensis (Summa, 4 p., q. 54, m. 1, a. 2), docet Poenitentiam identificari cum ipsa virtute *charitatis*.

Ratio est quia ad eandem virtutem pertinet prosequi bonum et fugere malum, amor obiecti et odium contrarii, gaudium de illo et dolor de isto. Unde Poenitentia, seu dolor de peccato, nihil aliud est quam ipsa charitas, quatenus dolet de contrario sui obiecti, seu de peccato prout est offensa Dei.

Secunda sententia Durandi, Suarez, Coninck, Raynaud et aliorum, docet Poenitentiam identificari cum virtute *justitiae*, et quidem commutativae. Sed quia haec sententia, parum determinate prolata, intelligi potest etiam in eo sensu quod Poenitentia non proprie identificetur cum justitia commutativa, sed sit eius species seu pars subiectiva, ac proinde ab ea distinguatur tanquam species a genere, ideo consultius eam remittimus ad quintam quaestionem.

Tertia sententia Cajetani, quae nova pluribus visa est quamque tamen *Dom. Soto* affirmavit suo tempore non omnibus diplicuisse nec quidquam continere quod displiceat, docet Poenitentiam identificari essentialiter cum *virtute religionis* (quamvis importet etiam quosdam actus qui pertinent ad virtutes charitatis et justitiae).

Ratio autem duplex affertur, altera ex parte subiecti, altera ex parte obiecti, quarum prima dicitur a Cajetano "convincere intellectum suum" et plures alios theologos, ut Durandum, Suarez et Raynaud, in suas peculiares sententias induxit:

1. Nulla virtus praeexigit in *subiecto* suum contrarium; jamvero actus Poenitentiae, praeexigit suum contrarium, seu peccatum; unde Poenitentia non est distincta virtus, sed coincidit cum una aliarum virtutum. Quod autem haec virtus sit religio, ostenditur sequenti ratione, ex obiecto desumpta.

2. *Obiectum* hoc, scilicet offensa ut recompensabilis per actum proprium, non requirit propriam et distinctam virtutem; nam ad huiusmodi recompensationem invenitur alia virtus sufficiens, i.e. religio. Praedicta enim compensatio consistit in reddendo Deo debito pro offensa; reddere autem debitum Deo est obiectum religionis, nec refert quod agatur de debito pro offensa, nam speciales rationes debiti pro offensa et debiti pro beneficiis, conveniunt in unam communem rationem debiti ad Deum, quam respicit religio.

Ad rem ipse *Cajetanus*, In a. 2 (ed. leon., n. 1. 4. 5. 6):

"Dubium occurrit magnum . . . , an poenitentia virtus sit vere et proprie una specialis virtus distincta a ceteris virtutibus. Et est ratio dubii non sola *varietas opinionum*, sed quoniam utrinque ratio urget. . .

"Et mihi quidem videtur quod non sit virtus distincta, propter . . . rationes allatas[3] ex parte subiecti et obiecti; sed quod actus poenitentiae est actus religionis. Quod ut clarius percipiatur, distingue *duos actus poenitentiae:* alterum, ad recompensandum offensam; alterum, ad recompensandum indulgentiam; nam peccando et Deum offendimus, et nobis plus indulsimus quam fas erat. Et primum, quod est

[3] Scilicet, praecipue duas rationes modo a nobis resumptas, quas ipsis *Cajetani* verbis recitabimus infra in Responsione, obj. 12 et 13, p. 317 et 321.

praecipuum in poenitentia, vocatur *satisfacere quoad culpam:* secundum, *satisfacere quoad poenam*. Horum autem actuum, ut ex his quae inter homines videmus ad divina ascendamus, primus consistit in tribus, scilicet *displicentia de offensa, confessione peccati,* et *submissione sui ad offensum:* cum his enim tribus recurrit homo ad hominem pro venia; et si his non placatur offensus, nulla restat recta via obtinendi reconciliationem offensi. Secunda autem satisfactio consistit in luendo poenam, ut clare patet.

"Ex his autem ad divinam reconciliationem ascendendo, eadem tria sufficere credimus ad divinam misericordiam provocandam. Horum autem nullam aliam virtutem quam *caritatem religionemque* requirit. Nam displicentia offensae in Deum actus est caritatis, cuius est gaudere et complacere in bono divino. Confessio autem peccati, non solum exterior sed etiam interior, actus est religionis absque alia virtute media imperatus rationi, cuius est enuntiare peccatum. Submissio autem sui ad Deum religionis actus est: nec aliquid addit ratio poenitentiae nisi causam, scilicet 'pro offensa'; sicut ratio gratitudinis addit 'pro beneficio'.

"Reliquus vero actus poenitentiae, scilicet *satisfacere quoad poenam,* potest poni actus religionis imperatus mediante virtute *vindicativae justitiae* participatae in subdito, ita quod peccator puniat se quasi minister Dei vindicantis. Potest etiam poni actus religionis immediate, pro quanto religio ipsa debitam poenam exsolvit, ut perficiatur satisfactio debita a filio servoque Domino ac Patri: hoc enim iustum secundum quid religio attendit inter hominem et Deum, cum iustum simpliciter esse nequeat. . . [Unde] poenitentia coincidit cum religione totaliter aut principaliter, et cum iustitia forte vindicativa seu commutativa quoad actum secundarium."

Quarta sententia Contenson, quae est non tantum nova sed prorsus peregrina, cum ab hoc tantum theologo sustineatur, identificat virtutem Poenitentiae cum timore filiali. Docet nempe quod, consideratis supernaturalibus actibus fidei, timoris servilis, spei, charitatis et timoris filialis, quibus peccator poenitens se disponit ad justificationem, formalis actus Poenitentiae procedit a timore servili, tanquam a primo et remoto principio, a timore vero filiali tanquam ab immediato et elicitivo principio.

Ratio duplex est:

1. Ad eandem rationem pertinet Deum revereri ac jus divinum illaesum servare, quod est timoris, et jus laesum reparare, quod est Poenitentiae.

2. *S. Thomas* hic, a. 5, explicite docet (quod mirum est theologos non attendisse): "Actus poenitentiae a timore servili procedit sicut a primo motu affectus ad hoc ordinato; a timore autem filiali sicut ab immediato et proprio principio."

QUOAD QUARTAM QUAESTIONEM, an scilicet Poenitentia sit *virtus moralis,* non vero theologica, quasi sit dignitate et ordine adiungenda et connumeranda fidei, spei, et charitati, nullus est qui negaverit inter theologos mentione dignos.

Ratio tamen, qua haec sententia fulciri posset, duplex est:

1. Virtus moralis non respicit Deum immediate, sicut virtus theologica, sed objectum creatum; Poenitentia vero immediate respicit Deum, ut offensum et placandum, quemadmodum charitas ut amandum.

2. Virtus moralis, secus ac virtus theologica, consistit in medio; Poenitentia vero non consistit in medio, quia licet toto corde ad Deum converti, sicut toto corde Deum amare; ergo non est virtus moralis sed theologica, sicut ipsa charitas.

QUOAD QUINTAM ET ULTIMAM QUAESTIONEM, an scilicet Poenitentia sit *pars potentialis justitiae commutativae, affirmatur* communiter a thomistis cum S. Thoma et satis frequenter ab aliis theologis, praesertim modernis. *Negativa tamen sententia* a quibusdam antiquioribus magni nominis defenditur atque in quatuor opiniones subdividitur, juxta generalem divisionem partium virtutis in potentiales et subjectivas, et particularem distinctionem virtutis justitiae in suas partes subjectivas seu species, i.e. commutativam, distributivam et legalem.

Prima sententia: Poenitentia *non pertinet ad justitiam.*

Lugo imprimis radicalem negationem opponit, qua docet Poenitentiam nullo modo ad virtutem justitiae pertinere, neque ut partem subjectivam neque ut partem potentialem, sed potius ad virtutem religionis, ut quandam partem potentialem istius.

Ratio hujus sententiae, quae a solo Lugone explicite defenditur, est:

1. Non omne peccatum importat stricte dictam rationem injuriae in Deum, quia non semper Deus exigit nostra opera et obsequia ex dominio proprietatis, sed quandoque ex solo dominio jurisdictionis, ut superior et legislator.

2. Etiam si omne peccatum importaret propriam rationem injuriae, non tamen ex peccato resultat in homine debitum reparandi ex justitia, quia ex una parte peccator non potest ponere illum eundem individuum actum quem debuit ponere quando peccavit et ex alia parte non tenetur alium actum illi aequivalentem ponere, cum hic sit in plena potestate Dei qui potest ipsum innumeris viis extorquere a libero arbitrio hominis.

3. Si Poenitentia pertineret ad justitiam, peccator teneretur ad

eliciendum quamprimum actum contritionis, nam jus laesum obligat ad immediatam reparationem; ex quo sequeretur peccatorem iterum atque iterum actualiter peccare donec conteratur.

Ad rem *Lugo:* "Hac ratione supposita [i.e. secunda ratione nuper exposita] . . . facile erit inferre, poenitentiam non esse virtutem justitiae proprie dictae; neque etiam virtutem illam, quam alii recentiores ponebant similem justitiae, et dissimilem solum quoad hoc quod non obliget ad satisfactionem aequalem, sed inaequalem pro injuria. Utraque ergo sententia impugnatur. . .

"Infero . . . quomodo differat poenitentia a virtute religionis: nam si religio stricte sumatur pro virtute, quae solum tendit ad colendum Deum propter ipsius excellentiam; differt omnino a virtute poenitentiae, cujus motivum non est colere Deum utcumque propter suam excellentiam, sed vitare ipsius offensam propter bonum pacis cum Deo. Si vero sumatur religio largius, potest dici poenitentia pertinere partialiter ad religionem: quia sicut dicuntur etiam partes potestativae justitiae illae omnes virtutes, quae respiciunt debitum, et sunt ad alterum: sic etiam omnes virtutes quae respiciunt debitum aliquod hominis erga Deum, possunt dici partes potestativae religionis, non tamen stricte, et rigorose."[4]

Secunda sententia: Poenitentia pertinet ad justitiam non commutativam, sed *distributivam.*

Ita *G. Biel,* In 4 Sent., dist. 14, a. 3, dub. 3.

Ratio, quam assignat, est quia Poenitentia eligit debitam et proportionatam poenam pro offensa Dei; pertinet autem ad justitiam distributivam eligere ac determinare proportionatum proemium vel poenam pro actibus bonis vel malis.

Tertia sententia: Poenitentia pertinet ad justitiam commutativam, non tamen immediate sed mediante justitia *vindicativa,* quae est pars potentialis ipsius justitiae commutativae.

Sic videtur interpretanda sententia Scoti (In 4 Sent., dist. 14, q. 2) et plurium Scotistarum, necnon quorumdam thomistarum, ut Nugni et Prado, qui docent Poenitentiam identificari vel reduci ad justitiam vindicativam.

Et quidem *Scotus et Scotistae* videntur docere Poenitentiam esse *partem subiectivam* seu speciem justitiae vindicativae;[5] quod si revera

[4] Disp. Schol., t. 4, De Poenit., disp. 2, sect. 1 et 4, n. 10 et 57, Parisiis, 1892, p. 377 et 393.

[5] Ad rem *Scotus:* "Est ergo iste actus [poenitentiae] justitiae punitivae, quae distinguitur contra justitiam commutativam, et etiam contra amicitiam. Et forte iste actus est nobilior inter omnes actus justitiae in communi, excepto actu praemiationis, quia ille est proprius legislatori, et nulli alii conveniens nisi ex commissione a judice, quasi vice ejus. Alii autem actus commutationis, amicitiae; et hujusmodi, possunt convenire regulariter quibuscumque

ipsi identificent Poenitentiam cum vindicativa, seu cum ipso genere, ut quaedam eorum verba sonare videntur, essent collocandi superius in tertia quaestione, una cum Suaresio, Cajetano et Contenson.

Ratio huius sententiae est quia per Poenitentiam peccator, ut minister Dei, vindicat in semetipso injuriam Deo illatam, assumendo poenam pro peccato (nam Scotus putat ex peccato praeterito solum poenae reatum remanere), ex quo habetur ratio vindicativae; et ita vindicat ut inde reddat Deo ad aequalitatem (poenam nempe assumendo pro poena debita), ex quo habetur ratio strictae justitiae, seu partis subiectivae (non vero potentialis ac deficientis) justitiae vindicativae.

Nugnus vero et Prado videntur docere Poenitentiam pertinere ad justitiam vindicativam ut *partem eius potentialem.*

Ratio est quia Poenitentia convenit cum vindicativa in constituendo medio in offensis, quatenus proportionat poenam illis debitam, quin tamen ad aequalitatem. Idque firmatur auctoritate *S. Thomae,* hic, a. 3, Sed contra; In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 4; et praesertim dist. 15, q. 1, a. 1, q. 2 (Suppl., q. 12, a. 2), ubi explicite ait Poenitentiam esse quodammodo speciem vindicativae justitiae.

Quarta sententia: Poenitentia pertinet ad *justitiam commutativam* immediate et quidem ut *pars subiectiva,* non vero ut pars tantum potentialis.

In hoc sensu benigne intelligi potest sententia *Durandi* (In 4 Sent., dist. 14, q. 3), *Suaresii* (De Poenit., disp. 2, sect. 3; disp. 7, sect. 1; De religione, l. 3, c. 7), *Coninck* (Disp. 1, dub. 4), *Theophyli Raynaud* (Dub. 4, § 2; De virtutibus, l. 4, c. 4, sect. 4) et aliorum, quamvis, ut notavimus supra (p. 281), tum ex modo quo loquuntur, tum ex rationibus quas afferunt, videantur potius docere Poenitentiam nec esse partem subiectivam seu speciem justitiae commutativae, sed omnino coincidere cum illa.

Ratio illorum est quia ad justitiam commutativam pertinet reddere unicuique suum, i.e. servare illaesum jus alienum et laesum reparare; jamvero poenitere est injuriam Dei seu laesum jus divinum reparare; ergo Poenitentia est justitia commutativa (vel saltem eius species seu pars subiectiva). Nec refert quod Poenitentia tendat ad resarciendum jus non creaturae sed Dei, vel quod non possit resarcire

personis, actus autem, qui excellentiori personae est proprius, caeteris paribus, est excellentior. Sed adhuc actus praemiandi excellentior est, quia cum ista excellentia communi utrobique, scilicet quod soli principi convenit, praemiare habet utrumque extremum nobilius, et scilicet meritum pro quo fit, et praemium quod confertur, et personam meritam cui confertur, quae excellunt poenam, culpam et personam ream cui poena infligitur" (Opera omnia, t. 18, Parisiis, 1894, p. 60). Quam sententiam sequitur et explicat *Hyquaeus* in suo commentario, inquiens: "Conclusio: *poenitentia est justitia vindicativa, seu species ejus;* ita Doctor in tertia conclusione hujus § 'est ergo iste actus justitiae punitivae' " (ibid., p. 63).

ad aequalitatem, vel quod non possit offerre condignam satisfactionem, quoniam hae rationes accidentaliter se habent vel respiciunt tantum aliquem actum secundarium Poenitentiae.

Quoad *Durandum* adverte quod, ut diximus supra (p. 279), in q. 1 eiusdem dist. super Sent. ipse negat Poenitentiam esse proprie dictam virtutem, hic vero, in q. 2, ad oppositum excessum transiens, tribuit Poenitentiae plenam et perfectam rationem justitiae commutativae. Haec autem, praetermisso defectu cohaerentiae qui non raro observatur apud insignem impugnatorem S. Thomae, sic benigna mente componi possunt, ut dicatur ipsum in primo loco considerare Poenitentiam tantum secundum quamdam rationem negativam actus doloris et fugae et secundum subiectum male dispositum per peccatum, in altero vero loco considerare Poenitentiam secundum rationem positivam quae est servare jus divinum illaesum, observando mandata et satisfaciendo pro peccatis.

Apud *Suarez* etiam similis fluctuatio observatur, nam in uno loco (Disp. 7, sect. 1, n. 17) dicit Poenitentiam esse justitiam dissimilem et distinctam a justitia quae habetur ad homines, in altero vero loco (Disp. 2, sect. 2, n. 4; sect. 3, n. 7) docet Poenitentiam esse justitiam proprie dictam, ac propterea alibi (De religione, l. 3, c. 7) etiam defendit principium ex quo Cajetanus deducit Poenitentiam non esse distinctam virtutem sed identificari cum alia virtute (quia nempe nulla virtus praeexigit in subiecto suum contrarium nec proinde actus Poenitentiae potest esse actus primarius alicuius virtutis), quamvis dicat Cajetanum male ex illo principio inferre hanc virtutem esse religionem. Unde, si quid cohaerens sub his expressionibus inveniatur, dicendum est juxta Suarez Poenitentiam esse idem ac justitiam commutativam (vel saltem eius partem subiectivam), quamvis differat accidentaliter aut secundum actum secundarium ab eadem justitia exercita relate ad homines, inquantum nequit compensare ad aequalitatem.

Et in hoc sensu Suaresium intelligit et impugnat *Lugo,* qui eius sententiam sic refert: "Alii . . . defendunt poenitentiam non differre a justitia, inter quos P. Suarez; scilicet, supponunt, hominem habere virtutem justitiae quae eum obliget ad servandum illaesum jus divinum; non quidem omnino similem ei justitiae, quae datur inter homines; non enim potest reddere aequale, sicut homini: item respicit jus longe excellentius, et superius, nempe jus divinum, propter quae duo, dicit Suarez, distingui a virtute justitiae, quae datur ad alios homines infra disput. VII, sect. 1 in fine: caeterum reipsa concedit esse justitiam proprie dictam in praesenti disputatione II, sect. iii, quia omne peccatum est proprie injuria in Deum, ergo ad eamdem justitiam, qua debemus servare illaesum jus Dei, spectat etiam resar-

cire illud, quantum fieri possit, quando laesum est; sicut inter homines eadem virtus justitiae, quae movet ad non furandum, movet ad restituendum, quando factum est furtum."[6]

CONCLUSIO

Conclusio 1. Poenitentia est proprie dicta virtus, in sensu nempe stricte philosophico, non vero in communi tantum sensu actus moralis ac laudabilis, ut vult Durandus (a. 1).

Probatur.

Juxta Aristotelem (Ethic., l. 2, c. 6) et sanam philosophiam, virtus definitur *"Habitus electivus secundum rationem rectam".*

Jamvero talis est Poenitentia, accepta non pro dolore seu tristitia appetitus sensitivi (sic enim est passio, non virtus), sed, ut in casu, pro dolore qui est in voluntate. Nam, inquantum est in voluntate, importat electionem; inquantum vero est moderatus dolor de peccatis praeteritis cum intentione removendi ea, est secundum rectam rationem, quia conforme est rectae rationi ut aliquis doleat de quo dolendum est et eo modo et fine quo dolendum est; quod autem sit habitus sequitur ex eo quod omnis actus electivus exigit habitum, quem generat per repetitionem vel a quo procedit post eius acquisitionem aut infusionem.

Ergo Poenitentia pertinet ad proprie dictam virtutem, vel secundum seipsam, i.e. tanquam ipse habitus virtutis, vel saltem secundum eius causam, i.e. tanquam actus procedens ex aliquo habitu virtutis; quod autem sit secundum seipsam specialis et distinctus habitus virtutis probabitur in duabus seqq. Concl.

Ad rem *S. Thomas:* "Poenitere est de aliquo prius a se facto dolere. . . Dolor [autem] vel tristitia dupliciter dicitur: uno modo secundum quod est passio quaedam appetitus sensitivi, et quantum ad hoc poenitentia non est virtus, sed passio; alio modo secundum quod consistit in voluntate, et hoc modo est cum quadam electione: quae quidem, si sit recta, necesse est quod sit actus virtutis. Dicitur enim in lib. ii Ethic. [cap. 6], quod virtus est habitus electivus secundum rationem rectam. Pertinet autem ad rationem rectam ut aliquis doleat de quo dolendum est, et eo modo et fine quo dolendum est; quod quidem observatur in poenitentia de qua nunc loquimur; nam poenitens assumit moderatum dolorem de peccatis praeteritis cum

[6] Disp. Schol., t. 4, De Poenitentia, disp. 2, sect. 1, Parisiis, 1892, p. 376.

intentione removendi ea. Unde manifestum est quod poenitentia de qua nunc loquimur, vel est virtus, vel actus virtutis."

Conclusio 2. Poenitentia est singularis virtus, non vero generalis quaedam conditio omnium virtutum, ut volunt Guilelmus Altissiodorensis et Alexander Halensis (a. 2).

Probatur ex ratione proprii actus Poenitentiae.

Proprius actus in quem tendit Poenitentia est specialis et determinatus actus, non vero generalis conditio actuum omnium virtutum. Atqui qualis est actus, talis est virtus, cum virtus seu habitus ab actu specificetur et propriam indolem ac conditiones accipiat. Ergo Poenitentia est specialis virtus, non vero generalis conditio omnium virtutum.

Ad majorem.

Proprius actus Poenitentiae est detestatio peccati, accepto peccato non quomodolibet, puta pro blasphemia, furto, impudicitia, nec etiam pro offensa Dei generaliter accepta, quatenus nempe contrariatur bono divino Deumque nobis infensum et inimicum reddit, sed pro offensa Dei stricte dicta, i.e. pro laesione juris divini; unde proprius actus Poenitentiae est detestatio (et hoc modo reparatio) laesionis juris divini. Jamvero haec est quaedam specialis et distincta ratio detestationis, perfecte praescindens tum, tanquam species a genere, a communi ratione detestationis peccati quae aequaliter et implicite continetur in omni virtute, tum, tanquam species a specie, a determinata ratione detestationis quae diversimode includitur in aliis virtutibus.

Ad cuius ultimi asserti evidentiam juverit considerare varias formalitates et detestabilitates peccati variamque istarum attributionem ad distinctas virtutes.

Peccatum enim dupliciter considerari potest: ut malum morale (id quod est malum) et ut malum personae (i.e. secundum eum cui est malum); primo autem modo, attendi potest tum generaliter secundum communem rationem dissonantiae a recta ratione, tum specialiter secundum particulares dissonantias seu malitias; secundo etiam modo, attendi potest tum ut malum hominis, tum ut malum Dei; ut malum Dei vero, tum ut adversatur bono divino in seipso, tum ut est contra bonum Dei relate ad creaturas, seu contra bonum Dei ut supremi domini et legislatoris.

Inde quintuplex consideratio in peccato.

Prout est *malum morale*, seu aliquid a recta ratione difforme, peccatum respicitur et detestatur ab ipsa voluntate, et quidem tum necessario, quia voluntas a Deo creatur rectificata in ordine ad bonum

honestum in communi, nec potest velle malum morale ut sic, tum consequenter immediate et ex sua natura quin indigeat aliquo habitu virtutis superaddito.[7]

Prout importat *particularem aliquam malitiam* seu dissonantiam a recta ratione, peccatum respicitur et detestatur directe et exclusive ab unaquaque virtute cui talis malitia opponitur, sicut impudicitia a castitate; nam amor et prosecutio boni moralis, in quo virtus consistit, secum trahit odium et detestationem contrariae malitiae, secus enim verus amor boni et vera virtus non esset.

Prout est *malum ipsius hominis peccatoris,* qui privatur donis supernaturalibus et ad damnationem deputatur, peccatum respicitur et detestatur tum a naturali inclinatione voluntatis in proprium bonum, tum a virtute charitatis proximi quae incipit ab ipso subiecto, tum et signanter a virtute spei, qua concupiscimus Deum ut bonum nostrum.

Prout est malum Dei, et quidem *ut adversatur bono divino in seipso,* seu summo bono et ultimo fini, illud postponendo bono creato et in hoc praesumptive rationem ultimi finis constituendo, peccatum respicitur et detestatur a virtute charitatis, cuius proprium obiectum est amor Dei super omnia.

Prout est malum Dei, et quidem *ut adversatur bono divino relate ad creaturas,* seu bono Dei ut supremi Domini et Legislatoris, peccatum a nulla ex praedictis virtutibus respicitur et detestatur, quia, qua tale, non est formaliter oppositum ipsi bono quod illae virtutes prosequuntur. Et propterea Poenitentia, quae respicit peccatum sub ista ratione, nequaquam identificatur cum omnibus praedictis virtutibus tanquam generalis earum conditio, nec etiam cum ulla earum in particulari, sed est una singularis et particularis virtus, et quidem specifice distincta ab omni alia. Quo manet etiam essentialiter probata sequens Conclusio.

Confirmatur.

1. Ratio reparationis laesionis juris hominis valet constituere seu specificare singularem et distinctam virtutem (seu justitiam), quamvis contra proximum multipliciter aliquis peccare possit; ergo a pari et a fortiori idipsum efficere valet ratio reparationis seu detestationis laesionis juris divini, quamvis contra Deum quis peccet omni modo.

2. Datur de poenitentia particulare et distinctum praeceptum; ergo datur etiam particularis, imo et distincta, virtus. Consequentia patet ex eo quod, ut recitavimus ex S. Thomas in Concl. 1, praecepta dantur de actibus virtutum. Antecedens vero patet ex eo quod possit tale praeceptum unico contritionis actu adimpleri, quin necessario inter-

[7] Cf. 1–2, q. 56, a. 6; In 3 Sent., dist. 33, q. 2, a. 4, q. 2 et 3; *Salmanticenses,* De virtut., disp. 2, dub. 3; De bonit. et malit., disp. 3, n. 27.

veniant actus aliarum virtutum, praeter actum charitatis, cum qua vera et perfecta poenitentia est indissolubiliter coniuncta.

Dices. Haec ultima ratio non probat; nam etiam de gaudio datur speciale et distinctum praeceptum, juxta illud Phil. 4, 4: "Gaudete in Domino semper; iterum dico, gaudete", et tamen gaudium non est specialis et distincta virtus, sed, ut docet *S. Thomas* (2-2, q. 28, a. 4), pertinet ad virtutem charitatis, tanquam secundarius actus qui consequitur primum et potiorem actum qui est amor.

Resp. Exhortationes ad gaudendum, quae inveniuntur in Scriptura, etiam si darentur in stricta forma praecepti, eo nempe modo quo sonant comminationes ad poenitendum, non possent accipi ut specialia et distincta praecepta, quia earum obiectum, seu actus gaudendi, non constituit specialem materiam quae praecipi indigeat, cum necessario includatur et sequatur ex actu charitatis; unde praeceptum gaudii identificatur cum praecepto charitatis (2–2, q. 28, a. 4, ad 3). E contrario, explicitum et comminativum praeceptum poenitendi debet accipi ut speciale et distinctum, quia eius obiectum constituit specialem materiam quae non includitur in obiecto aliarum virtutum. Unde stat robur rationis allatae.

Conclusio 3. Poenitentia est virtus specifice distincta ab omni alia, nec proinde identificatur cum charitate, vel justitia, vel religione, vel timore filiali (a. 2).

Probatur.

Valet hic eadem probatio allata in praecedenti Conclusione ex proprio actu et obiecto Poenitentiae, cum suis Confirmationibus. Adde quod si Poenitentia non esset specifice distincta ab aliis virtutibus, cum tamen, nemine negante, importet specialem actum detestationis distinctum ab actibus aliarum virtutum, puta ab actu amoris, spei, prosecutionis justitiae, sequeretur Poenitentiam qua talem consistere non in aliquo habitu sed in actu (i.e. in actu secundario alterius virtutis) et ita "cum actus virtutum non sint in dormiente, dormiens non posset dici poenitens: quod falsum est" (*In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 2*).

Restat ergo ut particulariter ostendatur Poenitentiam specifice distingui a quatuor nominatis virtutibus, cum quibus quidam theologi eam identificari docuerunt. Quod quidem praestabimus per quatuor partes.

1A PARS. QUOAD CHARITATEM (a. 2, ad 1).

Actus proprius charitatis est amare Deum ut summum bonum et

consequenter detestari peccatum ut est contra Deum qua summum bonum, actus vero Poenitentiae est detestari peccatum ut est contra Deum qua summum Dominum. In quibus inveniuntur duae rationes specifice distinctae, adeoque et duae distinctae virtutes.

Nec valet opponere quod, cum summum bonum comprehendat omne bonum, detestatio de contrario summi boni debet comprehendere detestationem eorum quae contrariantur omnibus modis bonitatis, qui in Deo considerantur, adeoque etiam detestationem peccati ut est offensa Dei.

Nam imprimis, Poenitentia non est detestatio peccati ut est contra bonum divinum, formalissime qua bonum, sed qua Legislatoris et Domini. Ceterum, si allata ratio valeret, ex ea sequeretur charitatem elicere posse actus omnium virtutum, signanter actum detestationis, imo omnes virtutes identificari cum charitate, quae unica virtus maneret. Ex perfectione obiecti charitatis unice sequitur eam esse praestantissimam in catena virtutum ab eaque ceterarum virtutum actus imperative procedere, non elicitive, tanquam ad finem ultimum ordinatos.

Ad rem *S. Thomas:* "A charitate derivatur aliquis actus dupliciter; uno modo sicut ab ea elicitus, et talis actus virtuosus non requirit aliam virtutem praeter charitatem, sicut diligere bonum, gaudere de eo, et tristari de opposito; alio modo aliquis actus a charitate procedit, quasi a charitate imperatus; et sic quia ipsa imperat omnibus virtutibus, utpote ordinans eas ad finem suum, actus a charitate procedens potest etiam ad aliam specialem virtutem pertinere. Si ergo in actu poenitentis consideretur sola displicentia peccati praeteriti, hoc immediate ad charitatem pertinet, sicut et gaudere de bonis praeteritis; sed intentio operandi ad deletionem peccati praeteriti requirit specialem virtutem sub charitate" (*a. 2, ad 1*).

Item non valet opponere quod contritio, prout distinguitur ab attritione, est detestatio peccati ex motivo charitatis, seu prout est offensa Dei ut summi boni secundum se et summe dilecti secundum se, adeoque habet idem objectum ac charitas et pertinet ad virtutem charitatis.

Nam motivum charitatis se habet ad contritionem ut quid essentialiter quidem praesuppositum sed non ut quid directe specificativum. Objectum enim formale et specificativum contritionis non est offensa Dei ut est summum bonum ut sic (hoc quidem est objectum doloris et odii quae involvuntur in actu charitatis), sed ut est summum bonum cujus jus in creaturam sit compensandum; unde se habet potius ut determinans ac contrahens objectum charitatis per rationem compensationis et satisfactionis. Et consequenter, actus contritionis non identificatur cum actu dilectionis Dei ut summi boni et detestationis peccati

ut summi mali, sed illum contrahit et determinat per novam formalem rationem reparationis et satisfactionis, ita ut ipse sit satisfactiva dilectio summi boni et reparativa detestatio summi mali.

Nec ceterum ex hoc sequitur poenitentiam esse virtutem theologicam aut superare charitatem, eo quod includat charitatem et modificet ejus objectum; nam haec inclusio et haec modificatio non est directa et formalis, sed indirecta et quasi materialis, seu praesuppositiva, quia objectum charitatis modificatur per objectum poenitentiae modificatione quadam diminuente, ita ut hoc non sit summum bonum ut sic et simpliciter (sicut objectum charitatis), sed summum bonum ut id cujus jus sit compensandum, eo analogico modo quo genus ita modificatur per differentiam specificam ut amittat suam extensionem, quamvis retineat suam comprehensionem, sicut animal sub rationalitate minus patet quam simpliciter et secundum se. Ceterum, proprius loquendo, directum et specificum objectum poenitentiae non est ipsum summum bonum, utut modificatum per rationem compensationis, sed est ipsa compensatio juris quod habet in creaturam summum bonum secundum se, ita ut summum bonum se habeat ut finis cui, imo ut intrinsece connotatum in objecto poenitentiae, non vero ut intrinsecum ejus constitutivum, ut iterum dicetur in Concl. 4.

Ex his apparet tum formalis distinctio inter contritionem et charitatem, tum earum intima cognatio, de qua fusius ac directe disputabitur in art. 30.

Ad rem *JOANNES a S. THOMA:* "Contritio non est actus elicitus a charitate, sed a poenitentia, licet imperari possit a charitate. . . [Ad objectionem autem petitam ex similitudine objecti utriusque respondetur] quod contritio est dolor de peccatis propter Deum, summe dilectum, sistendo in ipsa displicentia peccati, et dilectione Dei secundum se, nego; *accipiendo dolorem et modificando dilectionem per modum expiationis et vindicationis peccati,* concedo; et sic est propter Deum summe dilectum, tamquam propter finem imperantem et dirigentem, non tamquam propter rationem formalem specificam, si dilectio Dei consideretur solum absolute et secundum se: ut autem pertinet essentialiter ad poenitentiam, non sumitur summa illa dilectio solum secundum se, sed ut modificata et determinata ad dolorem de peccatis per modum satisfactionis et recompensationis.

"Et cum instatur: Quia per hoc distinguitur specifice contritio ab attritione, quia est propter Deum summe dilectum respondetur ex hoc praecise, quod est propter Deum summe dilectum absolute et secundum se, nego; per hoc quod est esse propter Deum summe dilectum, ut modificatur ac determinatur ad satisfaciendum pro peccato, transeat; charitas autem elicitive non elicit ipsum diligere, nisi diligendo Deum absolute et in se, et eodem modo dolet atque detestatur peccatum sibi oppositum: sed dolere de illo sub tali modo, scilicet, ut cui est satisfaciendum, vel cujus vindicatur injuria, sic pertinet ad speciale motivum, atque ita dilectio Dei absolute considerata est diversae speciei a poenitentia, et imperat illam. Ut autem modificata et determinata ad eliciendum dolorem per modum expiationis et satisfactionis, constituit essentialiter aliam speciem virtutis, scilicet poenitentiam.

"Et hoc ipsum contingit in aliis virtutibus et peccatis, nam virginitas est virtus specialis distincta a castitate communiter dicta, per hoc quod sit voto firmata, ut

notat S. Thomas 2–2, quaest. CLII, art. III, quia solum ratione voti potest reddi illicitum matrimonium, a quo etiam abstinet virginitas, et non castitas communis, et tamen votum est actus religionis, qui est alterius virtutis a virginitate: et sic quando consideratur religio absolute et secundum se, distincta virtus est a virginitate, illique imperat: si vero consideretur votum in quantum modificat et determinat materiam illam castitatis, ita ut reddat illicitum etiam matrimonium ex amore castitatis, sic specialem virtutem constituit. Similiter adulterium est distincta species luxuriae quatenus addit deformitatem injustitiae erga uxorem alienam, quae injustitia si consideretur absolute et secundum se, est distinctae speciei a luxuria; si autem consideretur ut modificans materiam luxuriae, constituit speciem illius, quatenus aliquis ex libidine et concupiscentia sic effraenatur, ut etiam injustitiam velit committere.

"Et si inquiras: Quid est in dolore poenitentiae iste modus et ratio expiationis, et quid addit supra simplicem affectum charitatis, quod distinctam difficultatem faciat, si quidem qui habet simplicem displicentiam peccati ortam ex charitate sufficienter satisfacit Deo; et si accedat ad sacramentum cum illo dolore, fructum sacramenti habebit, quid ergo necesse est specialem virtutem poenitentiae constituere, solum pro illo modo expiativo, respondetur charitatem secundum se solum importare simplicem amorem divinae bonitatis prout est in Deo, et displicentiam de peccato prout est contra Deum, sive sit proprium, sive alienum peccatum, indifferenter; *dolor autem poenitentiae ut expiativus, addit duo super hunc amorem et dolorem charitatis; primum est,* detestari peccatum, ut proprium et a se commissum determinate; ea enim quae propria sunt et a nobis facta, difficilius detestamur, et correctionem nobis impositam et poenam pro delicto difficilius sustinemus. Unde charitas procedit sub ratione formali altiori et abstractiori (nempe dolendo de peccato ut abstrahit a proprio vel alieno:) poenitentia vero magis contracte et determinate procedit, scilicet, dolendo de peccato ut proprio et corrigendo. *"Secundo, addit* specialem rationem poenitentia supra charitatem, quatenus facit quamdam adaequationem per modum justitiae, tum in ratione culpae, tum in ratione poenae, quia et offert Deo cor contritum et confractum pro offensa facta, et imponit sibi poenam, vel acceptat pro satisfactione: ad charitatem autem, licet pertineat amare Deum, et detestari peccatum absolute, non tamen facere istas adaequationes et mensuras, quia non tendit ad Deum sub ratione justi et vindicativi, sed sub ratione boni amabilis, licet ex tali amore imperetur ille dolor ut expiativus est et satisfactivus. Quod si aliquis cum illo dolore simplici elicito a charitate accedat ad sacramentum, justificabitur: imo etiam ante sacramentum per actum charitatis justificatur, quia eminenter et virtualiter est poenitentia, non tamen formaliter; et ideo non superfluit poenitentia, quia praeter eminentialem illum dolorem et virtualem, requiritur etiam formalis et proprius, sicut etiam charitas virtualiter implet totam legem, nec tamen superfluunt aliae virtutes morales, quae specialia praecepta adimplent ex specialibus motivis."[8]

2A PARS. QUOAD JUSTITIAM (contra Durandum, Suarez, etc.) (a. 2 et 3; In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 5).

Poenitentia nequit identificari cum justitia, quasi nempe sit pars ejus materialis (i.e. justitia ad Deum). Ratio fundamentalis (quae convenit tum Poenitentiae tum religioni) est quia perfecta seu specifica ratio justitiae nequit salvari in ullo actu hominis ad Deum, nam specifica ratio justitiae consistit in tribuendo unicuique jus suum, et hoc modo in constituendo quandam aequalitatem, unde dicitur con-

[8] De Poenitentia, disp. 34, a. 1, n. 21–24, Curs. theol., t. 9, Parisiis, 1885, p. 648 sq.

sistere in quadam aequalitate (a. 3);[9] ad quam aequalitatem proprie et perfecte constituendam tria elementa requiruntur, ex quibus ipsa consurgit, scilicet perfecta alteritas (ex parte subjecti), perfectum debitum (ex parte objecti seu unius extremorum) et perfecta aequalitas (ex parte actus redditionis, seu alterius extremorum).

Horum autem trium primum et tertium deficit in actu hominis erga Deum, cum homo non sit perfecte alter a Deo sed sub ejus dominio constitutus, nec possit ei reddere ad aequalitatem, quod ceterum manifeste apparet in actu Poenitentiae qui consistit in reddendo Deo suum jus, quod est aliquid infinitum, per finitam compensationem contentam in ipsa detestatione offensae. Unde differunt specifice Poenitentia, cujus objectum est jus divinum compensandum per detestationem seu inaequaliter, et justitia, cujus objectum est jus alienum compensandum ad aequalitatem.

Nec ceterum negamus, imo in Concl. 5 statuemus, Poenitentiam nihilominus ad justitiam vere pertinere, tanquam partem potentialem, eo quod conveniat cum justitia, tum in secundo supradicto elemento, scilicet perfecto debito, tum aliqualiter in tertio, quatenus debitum Deo revera reddit, quamvis inaequaliter.

Ad rem *S. Thomas, In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 5:* "Quia justitia aequalitas quaedam est; ideo non potest esse vera adaequatio ubi non est perfecta ratio justitiae; sed aliquis justitiae modus; sicut dicit Philosophus in V Ethic., cap. xi, quod domini ad servum non est simpliciter justum, sed dominativum justum. Cum ergo inter hominem et Deum sit maxima distantia, non poterit ibi esse dicta proprie justitia hominis ad Deum, sed aliquis justitiae modus quasi per similitudinem" (cf. hic, q. 85, a. 3, corp., infra cit., p. 307 sq.).

3A PARS. QUOAD RELIGIONEM (contra Cajetanum) (a. 2; In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 5).

Poenitentia nequit identificari cum religione eo quod iterum habeat actum (sive obiectum) specifice distinctum, qui est compensatio juris divini per detestationem offensae, dum actus religionis est exhibitio cultus Deo. Unde quamvis binae virtutes conveniant in respiciendo ipsum Deum, et quidem ut supremum Dominum, et in servando jure divino, tamen differunt in eo quod Poenitentia respicit *compensationem seu reparationem juris,* et hoc jus ut laesum et compensandum, et Deum ut Legislatorem offensum cui satisfaciendum sit, dum religio respicit agnitionem juris per exhibitionem cultus, et hoc jus non ut laesum sed ut illaesum servandum seu agnoscendum atque colendum,

[9] Rationem hujus aequalitatis explicat S. Thomas in 2–2, q. 80, a. unic. et In Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 4, ad 4, infra cit. in p. 328 sq.

et Deum ut Creatorem et Dominum colendum, non vero ut offensum cui sit reparatio exhibenda.

Nec valet opponere ad eandem virtutem spectare jus illaesum servare et laesum reparare, ut patet etiam ex ipsa justitia commutativa humana, quae, una existens, reddit rem debitam et restituit ablatam.

Nam, principium illud est verum sistendo in eadem materia et obiecto, eadem enim virtute religionis praestatur Deo cultus et detestantur illius violatores, non vero si fit transitus ad diversam materiam et obiectum, uti est efficaciter reparare offensam Dei media detestatione seu immutatione ipsius voluntatis peccantis. Invocata vero paritas cum justitia humana non tenet, propter disparitatem inter debitum ad hominem et debitum ad Deum, quae redundat in formalem diversitatem actuum quibus jus divinum observatur vel reparatur, ut explicabitur in resp. ad obj. 15, p. 324 sq.).

Confirmatur.

1. Ut communiter docetur cum S. Thoma post Aristotelem (Ethic., l. 5), specialis difficultas superanda in aliqua materia, requirit specialem virtutem.

"Major autem est difficultas, imo et diversa in poenitendo, quam in cultu, et veneratione Dei; ad hanc quippe proclivis est ipsa natura absque ullo moerore, et tristitia, ex hoc ipso quod illustretur notitia excellentiae divinae, a qua totum suum esse habet in fieri, et conservari. Cum tamen ad emolliendam propriae voluntatis duritiem, conterendum cor, et carnis macerationes amplectendas, quae sunt propria Poenitentiae opera, ex quibus digni Poenitentiae fructus proficiscuntur, non exiguo labore indigeamus. Et radix diversitatis provenit ex ipsa diversitate juris: nam aliam extorquet a nobis Deus compensationem, quia Dominus, aliam quia offensus, et proprio jure saltem in affectu spoliatus; et difficilius est, et longe alterius rationis ipsum placare offensum, ac ipsum ut Dominum honorare; cum primum sit proprium servi, secundum vero inimici. Quare sicut ex parte nostra aliter respicimus Deum ut peccatores, quam si reperiamur amici; ita et ex parte Dei sunt independentia jura exigendi cultum, et extorquendi satisfactionem pro injuria, quorum quodlibet propriam virtutem postulat, qua propria superari debeat difficultas."[10]

2. *Ex doctrina S. Thomae.*

Hic in a. 2 manifestum intentum et manifesta conclusio S. Doctoris est Poenitentiam esse virtutem specifice distinctam ab omni alia virtute; nam ei assignat speciale objectum, "quod non pertinet ad rationem alterius virtutis."

[10] *Salmanticenses,* De Poenitentia, Disp. 5, § 2, n. 90, t. 19, Parisiis, 1883, p. 430.

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 5, ter comparationem instituit inter religionem et Poenitentiam, ex quibus manifeste apparet eas ut distinctas virtutes habere:

Sol.: "Homo . . . efficitur debitor alteri homini dupliciter. Uno modo per hoc quod ab eo sibi est datum, sicut in voluntariis communicationibus, puta in emptionibus et venditionibus. Alio modo per hoc quod ei subtraxit, sicut est in involuntariis communicationibus, ut est furtum, percussio, et hujusmodi. Et similiter aliquis efficitur Deo debitor per hoc quod ab eo aliquis recipit; et hac ratione Deo reddit debitum honorem latria, sive *religio.* Alio modo ex hoc quod contra Deum peccavit; et sic reddit Deo debitum *poenitentia.* Unde sicut religio ponitur pars justitiae a Tullio, non quidem quasi species, sed quasi pars potentialis, inquantum aliquem modum justitiae participat; *ita etiam poenitentia pars justitiae debet poni.*"

Ibid., ad 1: "Sicut dicit Philosophus in Ethicis, ut habetur ex lib. V, cap. viii, virtus non requirit semper aequale, sed sufficit quod possibile est, ut in honoribus ad parentes et deos; unde *sicut latria* est pars justitiae, quamvis non reddat aequalem honorem beneficiis acceptis; *ita et poenitentia,* quamvis non possit aliquid aequale reddere offensae praecedenti."

Ibid., dist. 15, q. 1, a. 2: "Dupliciter homo Deo debitor efficitur. Uno modo ratione beneficii accepti; alio modo ratione peccati commissi. Et sicut gratiarum actio vel latria, vel si quid est hujusmodi, respicit debitum accepti beneficii, ita satisfactio respicit debitum peccati commissi. In his autem honoribus qui sunt ad parentes et deos, etiam secundum Philosophum, impossibile est aequivalens reddere secundum quantitatem; sed sufficit ut reddat quod potest: quia amicitia non exigit aequivalens nisi secundum quod possibile est; et hoc etiam aequale est aliqualiter, scilicet secundum proportionalitatem: quia sicut se habet hoc quod Deo esset debitum ad ipsum Deum, ita hoc quod iste potest reddere, ad eum; et sic aliquo modo forma justitiae conservatur; et similiter est ex parte satisfactionis. Unde non potest homo satisfacere, si ly 'satis' aequalitatem quantitatis importet. Contingit autem, si importet aequalitatem proportionis, ut dictum est; et hoc sicut sufficit ad rationem justitiae, ita sufficit ad rationem satisfactionis."

Ibid., q. 4, a. 7, q. 1, ob. 2: "*Latria, ut dictum est* [dist. praec., nuper cit.], *contra poenitentiae virtutem dividitur.* Sed satisfactio est actus poenitentiae virtutis, oratio autem latriae. Ergo oratio non est satisfactoria." Cui respondet S. Doctor concedendo prorsus antecedens: "Non est inconveniens actum unius virtutis imperari a virtute quae contra ipsum dividitur, sicut actum temperantiae interdum fortitudo imperat; et sic etiam actum latriae potest poenitentia imperare, et sic erit satisfactorius; sicut etiam sacrificia pro peccatis in veteri lege fiebant, et nunc fiunt."

Ab his *Cajetanus* mira levitate se expedit, scribens (In a. 2, n. 4): "Nec propterea arguimus Auctorem [i.e. S. Thomam]. Quoniam verum est poenitentiam esse specialem virtutem, latiori vocabulo utendo. Nec hoc mirum videatur alicui, aut novum in doctrina Auctoris: quoniam in praecedenti Libro [2–2, q. 152, a. 3] simile quid apparet, dum posita est *virginitas specialis virtus,* quae tamen non est nisi religio determinata ad talem excellentem materiam."

Unicum *exemplum virginitatis* quod Cajetanus affert ad probandum hunc latiorem sensum expressionis "virtus specialis" apud S. Thomam, ad rem non est; nam S. Doctor in loco citato 2–2ae docet quod virginitas est virtus specifice distincta, "habens se ad castitatem sicut magnificentia se habet ad liberalitatem", ut constat tum ex processu corporis articuli, tum ex comparatione cum magnificentia, tum ex discursu litterae ad 2 ubi recurrunt sequentes expressiones: "Habere materiam *unius virtutis non autem alterius*", "Habere *alias virtutes,* non autem materiam virginitatis", tum ex comparatione hujus loci cum parallelo In 4 Sent., dist. 33, q. 3, a. 2, ad 4.

Nec refert quod, ibid. ad 3, dicatur virginitas ut virtus importare votum, votum autem pertinet ad virtutem religionis; nam, inde non sequitur virginitatem identificari cum religione, sed tantum actum religionis seu votum praerequiri ut necessariam conditionem ad hoc ut gignatur virtus virginitatis. Quod ceterum negatur a quibusdam commentatoribus, qui, nolentes cum Cajetano admittere S. Thomam in Summa mutasse sententiam circa necessitatem voti ad rationem virtutis virginitatis, dicunt ipsum ibi loqui de virginitate in suo gradu perfecto et prout communiter colitur, siquidem In 4 Sent., dist. 33, q. 3, a. 2, ad 4, ait rationem virtutis virginitatis revera adesse si habetur intentio conservandi integritatem usque in finem "sive sine voto, vel cum voto".

4A PARS. QUOAD TIMOREM FILIALEM (contra Contenson).

Imprimis, obiectum timoris in genere est malum futurum, obiectum vero doloris in genere est malum praesens (1–2, q. 42, a. 1 et 2; q. 35, a. 1); praecipuus autem actus Poenitentiae est dolor.

Praeterea, obiectum timoris filialis est eminentia Dei ut potentis infligere malum, seu ut ait S. Thomas (2–2, q. 19, a. 1 et a. 9, ad 2) obiectum timoris coalescit ex malo terribili et ex eminentia eius qui valet illud infligere; obiectum vero Poenitentiae est offensa Dei ut expiabilis.

Praeterea, actus timoris est actus fugae, actus vero Poenitentiae est actus prosecutionis contra peccatum quod fugit; non enim actus

Poenitentiae est simpliciter dolor de peccato, sed dolor prout est voluntaria satisfactio. Similiter detestatio peccati alia et alia est in timore et Poenitentia; timor enim detestatur peccatum ut est oppositum subiectioni et eminentiae divinae a qua potest nobis malum infligi, Poenitentia vero detestatur peccatum prout est laesio juris divini.

Praeterea, juxta S. Thomam timor filialis non supponit in subiecto potentiam peccandi, et ideo fuit in Christo, secus ac Poenitentia (3 p., q. 7, a. 6).

Praeterea, juxta S. Thomam timor filialis est donum Spiritus S. (2–2, q. 19), Poenitentia vero est virtus; jamvero juxta eundem S. Doctorem dona Spiritus S. distinguuntur essentialiter a virtutibus (1–2, q. 68, a. 1); ergo Poenitentia non coincidit cum timore filiali.

Cum autem *S. Thomas* hic in a. 5 ait timorem esse immediatum et *proprium principium actus Poenitentiae,* non agit de habitudine inter habitum et actum, sed inter actum et actum, ac docet quod in justificatione impii post actum fidei, timoris servilis, spei et charitatis, debet poni actus timoris filialis, qui ita est ultimus actus et immediata conditio, ac pro tanto principium proximum, actus Poenitentiae qui ponitur ultimus ut immediata dispositio ad justificationem.

Id patet ex ipsa littera articuli; S. Doctor enim, facta distinctione inter habitum et actum, docet Poenitentiam, consideratam ut habitum, infundi ab ipso Deo, consideratam vero ut actum, procedere ab actu timoris. Ceterum, eo ipso quod dicit Poenitentiam ut habitum infundi a solo Deo, seu non procedere a timore, manifeste supponit habitum Poenitentiae non esse idem cum habitu timoris, secus affirmaret habitum Poenitentiae non procedere a semetipso, quae esset vana affirmatio, cum sit ipsa evidentia nihil posse procedere a semetipso.

Praeterea, in 2–2, q. 19, a. 9, ad 3 et 4, S. Doctor, instituens comparationem inter virtutes et dona, et peculiariter inter ipsum timorem ex una parte et virtutes humilitatis ac charitatis ex alia parte, docet amorem esse principium timoris et timorem principium humilitatis, atque immediate et explicite addit inde non sequi timorem non esse habitum distinctum a charitate, aut humilitatem identificari cum timore.

Conclusio 4. Poenitentia est virtus moralis, non vero theologica (a. 3, ad 1; In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 4).

Probatur.

Virtus theologica est ea quae respicit Deum non tantum ut finem sed etiam ut obiectum specificativum; est enim virtus respiciens ipsum finem.[11] Atqui Poenitentia, quamvis respiciat Deum ut finem, et qui-

[11] Cf. S. Thomam, Quaest. Disp. De Virtutibus in communi, a. 13.

dem immediate, cum intendat satisfacere Deo (secus ac aliae virtutes morales, ut prudentia, justitia, fortitudo, temperantia, etc., quae Deum ut finem respiciunt tantummodo remote), non habet tamen Deum ut obiectum specificativum, sed ipsum peccatum seu offensam Dei reparandam et compensandam. Ergo Poenitentia non est connumeranda inter virtutes theologicas sed morales, quamvis, una cum religione, propius accedat ad theologicas eo quod respiciat Deum ut finem immediate, secus ac aliae virtutes morales quae respiciunt Deum ut finem tantummodo remote.

Ad rem *S. Thomas, In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 4, ad 2:* "Virtutes infusae tripliciter se habent ad Deum. Quaedam enim habent Deum *pro objecto et fine,* sicut theologicae. Quaedam non pro objecto in quod transeat earum actus, sed *pro fine proximo:* sicut patet de latria, quae aliquas servitutis protestationes quasi materiam habet, quas immediate ordinat in Deum quasi in finem; et tales virtutes propinquissimae sunt theologicis, unde et actus harum virtutum attribuuntur virtutibus theologicis, sicut proximis imperantibus. Unde dicitur in Augustino, quod fide, spe et caritate colitur Deus. Quaedam autem *non habent Deum pro objecto, neque pro fine proximo,* sed hunc ulterius ordinant ad Deum. Poenitentia autem quamvis non habeat Deum pro objecto, habet tamen Deum pro fine proximo: quia ad hoc in peccata commissa destruenda movetur ut Deo reconcilietur; et ideo actus ejus, scilicet peccatum expellere, vel justificare, quandoque fidei, quandoque caritati ascribitur."

Nec valet opponere Poenitentiam respicere Deum ut objectum, cum respiciat ipsum Deum ut offensum et placandum, quemadmodum charitas respicit Deum ut bonum et amandum.

Nam, negatur tum consequentia hujus rationis tum allata paritas cum charitate. Offensa enim Dei ejusque compensatio sunt aliquid distinctum ab ipso Deo, unde ex hoc quod Poenitentia respicit Deum ut offensum, non sequitur ipsum Deum esse objectum aut intrinsecam conditionem objecti (seu quasi genus vel materiam objecti formalis quae specificetur per rationem offensae), sed tantum sequitur Deum involvi in objecto formali tanquam aliquid extrinsecum necessario connexum, seu tanquam *finem cui,* imo etiam tanquam aliquid extrinsecum intrinsece connotatum, non enim idem est intrinsece connotari et intrinsece constituere, ut patet de quibuslibet objectis vel terminis, quae facultates et respectiva specificant ab extrinseco, quin intrinsece constituant.

Confirmatur. Ut ostendetur in Concl. seq., Poenitentia reducitur ad justitiam, seu participat rationem justitiae, quamvis imperfecte, cum respiciat compensationem juris divini. Jamvero "justitia est virtus ad

alterum; ille autem ad quem est justitia, non dicitur esse materia justitiae, sed magis res quae distribuuntur vel commutantur. Unde et materia poenitentiae non est Deus, sed actus humani, quibus Deus offenditur vel placatur; sed Deus se habet sicut ille ad quem est justitia. Ex quo patet quod poenitentia non est virtus theologica, quia non habet Deum pro objecto vel materia" (a. 3, ad 1).

Conclusio 5. Poenitentia, quamvis sit specifice distincta a justitia, pertinet tamen ad virtutem justitiae, non quidem distributivae, sed commutativae; ad hanc autem pertinet non mediante justitia vindicativa sed immediate, nec tamen ut pars ejus subjectiva, sed tantum potentialis (a. 3 et 4; In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 4, ad 4; q. 5; q. 6).

Probatur per partes.

1A PARS: POENITENTIA PERTINET AD VIRTUTEM JUSTITIAE, seu est quaedam vera justitia hominis ad Deum (contra Lugo).

Prima ratio (per exclusionem) est quia Poenitentia, ut modo probavimus, est virtus moralis adeoque reduci debet ad unam ex quatuor virtutibus sub quibus, tamquam cardinalibus, omnes morales colliguntur, scilicet prudentia, justitia, fortitudine et temperantia. Ergo reducenda est ad justitiam.

Et quod ad prudentiam non reducatur planum est, cum haec sit virtus intellectualis, constituens medium rationis in materia appetitus seu in objectis aliarum virtutum, Poenitentia vero sit actus appetitus. Similiter quod ad fortitudinem vel temperantiam non reducatur a nemine ambigitur, nam hae habent pro materia et objecto passiones appetitus sensitivi regulandas, dum Poenitentia ordinatur ad agendum seu ad voluntatis detestationem de peccato, adeoque pertinet ad superiorem categoriam illarum virtutum quae resident in appetitu rationali quaeque non respiciunt passiones sed operationes, ut sunt justitia et religio.

Nec refert quod virtutem Poenitentiae comitetur *dolor sensibilis* qui est passio appetitus sensitivi; nam, hic non est objectum formale Poenitentiae, sed materiale et extrinsecum, quod imperari et moderari potest per Poenitentiam et ad proprium istius finem et objectum ordinari, quod est compensatio pro peccatis Deo reddita etiam mediante fletu aliove actu sensibilium passionum.

Ad rem *S. Thomas:* "Illud quod pertinet ad corporalem immutationem, non pertinet ad virtutem quasi essentialis actus ejus; sed potest pertinere ad virtutem sicut materiale circa quod operatur virtus, quia

etiam passiones corporales sunt materia virtutum; et secundum hoc dicendum, quod ipsius virtutis poenitentiae sensibilis dolor vel corporalis fletus potest esse quoddam materiale, inquantum haec Deo reddit poenitens quasi debitum pro offensa commissa; et ideo si per planctum significatur actus poenitentiae, tunc nihil aliud dicit quam detestationem; si autem dicat materiale poenitentiae, sic potest etiam sensibilem vel corporalem fletum dicere" (*In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 6, ad 2*).

Secunda ac positiva ratio est quia virtus Poenitentiae residet in voluntate tanquam in subiecto. Jamvero omnis virtus moralis, residens in voluntate, debet reduci ad justitiam; nam justitia est unica virtus cardinalis residens in voluntate et aliunde omnes aliae virtutes debent reduci ad aliquam cardinalem et habere idem subiectum ac illa ad quam reducuntur.

Tertia ac fundamentalis ratio est quia proprium obiectum Poenitentiae versatur in propria materia justitiae, quae est reddere unicuique jus suum, etsi non contineat ipsam plenam et formalem rationem justitiae.

Nam obiectum Poenitentiae non est simplex cessatio ab offensa, sed reparatio offensae, quae fit per ipsam detestationem peccati seu mutationem voluntatis. Jamvero haec importat quamdam compensationem per quam redditur Deo jus ipsi debitum et restituitur quaedam aequalitas.

Etenim dupliciter aliquis fit alteri debitor, et consequenter dupliciter potest alteri debitum reddere, vel nempe ratione alicuius quod ab eo accepit vel ratione alicuius quod ei subtraxit (In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 5, mox citand.). Qui autem aliquem offendit, ei aliquid subtrahit (saltem quatenus contra illum usus est propria voluntate in hoc quod non debuit)[12] et inaequalitatem inducit (quia sic offensus habet minus, offensor vero plus),[13] ac ideo fit debitor ipsi et potest ei reddere debitum. Homo autem per peccatum subtraxit Deo conversionem et subiectionem suae voluntatis, ac ideo fit vere debitor Deo et potest ei reddere debitum, restituendo talem conversionem et subiectionem. Jamvero haec voluntatis conversio continetur praecise in ipso actu Poenitentiae seu detestationis peccati, quia detestatio et aversio ab offensa est amor et conversio ad offensum.[14] Ergo actus poenitentiae seu detestatio peccati importat quandam veram compensationem juris divini, quae pertinet ad rationem justitiae.

Et ut statim evertatur unica alicuius ponderis *obiectio*,[15] animad-

---

[12] In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 4, ad 4, infra cit. in p. 328 sq.
[13] Ibid.
[14] In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 6; q. 2, a. 1, q. 1.
[15] Confer peregrinas objectiones a *Lugone* allatas, infra in Resp. ad obj. 18 et 19, p. 329–333.

verte cum *S. Thoma*[16] inaequalitatem huiusmodi compensationis, praestitae per actum Poenitentiae, non officere rationi verae virtutis et verae justitiae, quamvis officiat rationi cardinalis virtutis et perfectae seu formalis justitiae. Unde Poenitentia est vera justitia et tamen distinguitur formaliter a justitia, tanquam virtus a virtute, in quo nulla contradictio deprehenditur, cum in prima assertione justitia accipiatur pro generica ratione reddendi debitum, in altera vero pro specifica ratione reddendi debitum ad aequalitatem, ut clarius patebit inferius cum explicabitur propria ratio virtutis quae alteri subalternatur tanquam pars potentialis seu species imperfecta et improprie dicta.

Confirmatur, tum ratio tum animadversio, a paritate cum virtute Religionis.

Consentientibus enim omnibus, *virtus religionis* pertinet ad justitiam (ut quaedam ejus imperfecta species seu pars potentialis), eo quod convenit cum justitia in ratione reddendi debitum, cultum Deo debitum praestando, quamvis ad inaequalitatem. Ergo a pari etiam virtus Poenitentiae pertinet ad justitiam, cum reddat Deo, quamvis ad inaequalitatem, aliquid ei debitum, etsi alterius rationis, scilicet conversionem voluntatis per detestationem peccati.

S. Thomas totam rationem cum sua confirmatione aptissime his verbis comprehendit: "Quia justitia aequalitas quaedam est; ideo non potest esse vera adaequatio ubi non est perfecta ratio justitiae, sed aliquis justitiae modus; sicut dicit Philosophus in V Ethic., cap. xi, quod domini ad servum non est simpliciter justum, sed dominativum justum. Cum ergo inter hominem et Deum sit maxima distantia, non poterit ibi esse dicta proprie justitia hominis ad Deum, sed aliquis justitiae modus quasi per similitudinem. Homo autem efficitur debitor alteri homini dupliciter. Uno modo per hoc quod ab eo sibi est datum, sicut in voluntariis communicationibus, puta in emptionibus et venditionibus. Alio modo per hoc quod ei subtraxit, sicut est in involuntariis communicationibus, ut est furtum, percussio, et hujusmodi. Et similiter aliquis efficitur Deo debitor per hoc quod ab eo aliquis recipit; et hac ratione Deo reddit debitum honorem latria, sive religio. Alio modo ex hoc quod contra Deum peccavit; et sic reddit Deo debitum poenitentia. Unde sicut religio ponitur pars justitiae a Tullio, non quidem quasi species, sed quasi pars potentialis, inquantum aliquem modum justitiae participat; ita etiam poenitentia pars justitiae debet poni" (*In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 5*).

2A PARS: POENITENTIA NON PERTINET AD JUSTITIAM DISTRIBUTIVAM SED COMMUTATIVAM (contra Biel) (a. 3, corp. et ad 3).

[16] In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 5, ad 1; dist. 15, q. 1, a. 2, supra cit., p. 296.

Ratio quare Poenitentia non pertineat ad justitiam *distributivam* ducitur ex ipsa indole istius. Justitia enim distributiva consistit in servanda aequalitate geometrica seu proportionali in bonis quae in communitate distribuuntur, ita nempe quod bona distribuantur diversimode secundum proportionem ad diversa merita, ad dignitatem et ad indigentiam personarum. Unde sequentes rationes importat: 1. est justitia totius ad partes (non vero partis ad partem, ut justitia commutativa, nec partium ad totum, ut justitia legalis); 2. residet non in subditis sed in rectore communitatis; 3. importat distinctionem inter distribuentem et eum cui distribuitur, cum nemo sibimetipsi distribuat; 4. respicit distributionem bonorum, non vero taxationem malorum seu poenarum, sicut vindicativa.

Quae omnia nullatenus in Poenitentia verificantur. Haec enim 1. non est totius ad partes, sed potius partis ad partem, i.e. hominis ad Deum; 2. residet in subdito, seu in peccatore; 3. imponit satisfactionem ipsi subjecto in quo virtus residet, i.e. peccatori; 4. respicit taxationem malorum seu satisfactionem, qua parte accedit ad vindicativam.

Ratio autem quare Poenitentia reducenda sit ad justitiam *commutativam,* conficitur *primo* per exclusionem. Nam justitia dividitur adaequate in commutativam (i.e. justitiam partis ad partem), distributivam (i.e. justitiam totius ad partes) et legalem (i.e. justitiam partium ad totum). Jamvero Poenitentia non reducitur ad justitiam distributivam, ut dictum est; nec reducitur ad legalem (quod ceterum nemo negavit), cujus finis et objectum est observatio legum ut bonum commune servetur, quod prorsus aliud est a proprio fine et objecto Poenitentiae. Ergo haec reducitur ad justitiam commutativam.

Secundo, id sequitur directe ex ipsa ratione objecti et actus Poenitentiae, seu reparationis peccati, quae non consistit in sola cessatione a peccato, sed in quadam compensatione seu commutatione inter hominem et Deum, quatenus per contritionem seu dolorem de peccato homo restituit Deo quod abstulit per peccati commissionem.

Confer superius dicta de ipsa ratione justitiae in Poenitentia (p. 301); item *S. Thomam,* In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 5, nuper cit.; hic, a. 3, ad 3, infra cit.; *a. 3, corp.,* ubi scribit: "Poenitentia non habet quod sit virtus specialis ex hoc solo quod dolet de malo perpetrato, ad hoc enim sufficeret charitas; sed ex eo quod poenitens dolet de peccato commisso, inquantum est offensa Dei cum emendationis proposito. Emendatio autem offensae contra aliquem commissae non fit per solam cessationem offensae; sed exigitur ulterius quaedam recompensatio, quae habet locum in offensis in alterum commissis, sicut et retributio; nisi quod recompensatio est ex parte ejus qui offendit, utpote cum satisfacit; retributio autem est ex parte ejus in quem est offensa

commissa. Utrumque autem ad materiam justitiae pertinet, quia utrumque est commutatio quaedam. Unde manifestum est quod poenitentia, secundum quod est virtus, est pars justitiae."

3A PARS: POENITENTIA PERTINET AD JUSTITIAM COMMUTATIVAM IMMEDIATE, ITA UT NON REDUCATUR AD JUSTITIAM VINDICATIVAM SEU PUNITIVAM (contra Scotum) (a. 3, Sed contra et ad 3; q. 90, a. 2; In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 4, ad 4; q. 1, a. 1, q. 6; dist. 15, q. 1, a. 1, q. 2).

Ratio desumitur ex indole *justitiae vindicativae*. Imprimis enim, praenotandum est quod *obiectum* justitiae vindicativae est intentio inferendi poenam proprio offensori ac ita obtinendi reparationem injuriae sibi illatae; in quo ratio debiti et ratio cuiusdam aequalitatis, requisita a propria indole justitiae, invenitur, quia offensori competit debitum poenae, quam dum luit, restituit aequalitatem compensando personam offensam per restitutionem ablati honoris, contentam in ipsa executione poenae.

Praeterea, quamvis haec virtus sit in ipsa persona privata ut in *subiecto*, sicut etiam actus intentionis vindicandi et expetendi executionem poenae, ipsa tamen actus consummatio per inflictionem poenae est apud solam auctoritatem (quod est peculiare huic virtuti), ita ut actus vindicationis in judice seu superiore pertineat ad justitiam legalem vel commutativam.[17]

Praeterea, haec virtus non est pars subiectiva justitiae, sed tantum *potentialis*, quia non importat debitum rigorosum, sive ex parte offensi qui non tenetur punitionem injuriae sibi illatae expetere, sive ex parte offensoris qui non tenetur quaerere suiipsius poenam ut inde injuria reparetur, sed tantum eam luere si exquiratur.

Poenitentiae vero primarium *obiectum* est intentio reparandi offensam, ita ut dum vindicativa respicit poenam, Poenitentia respicit culpam.

Praeterea, Poenitentia est in ipso offensore ut in *subiecto* seu est virtus offensoris (peccatoris, scilicet, non Dei), dum vindicativa est in offenso seu est virtus personae offensae, ac ita Poenitentia est motus offensoris in offensum, vindicativa vero est motus offensi in offensorem.

Praeterea, Poenitentia, considerata ut pars *potentialis* justitiae, deficit a perfecta ratione istius ex parte aequalitatis in compensatione, dum vindicativa deficit ex parte perfectionis in debito quod non est rigorosum.

Aliae differentiae sunt: In Poenitentia poena non taxatur ab offenso, sed libere assumitur ab ipso offensore; intenditur resipiscentia ipsius

[17] Cf. 2–2, q. 80, a. unic., ad 1; q. 108, a. 2, ad 1.

offensoris, a qua abstrahit vindicativa; actus punitionis exequitur a persona privata, seu ab ipso offensore, dum in vindicativa exequitur a persona publica.

Ad rem *S. Thomas, hic, a. 3, ad 3:* "Sicut est commutatio quaedam in beneficiis, cum scilicet aliquis pro beneficio recepto gratiam rependit, ita etiam est commutatio in offensis, cum aliquis pro offensa in alterum commissa vel invitus punitur, quod pertinet ad vindicativam justitiam vel voluntarie recompensat emendam, quod pertinet ad poenitentiam, quae respicit personam peccatoris, sicut justitia vindicativa personam judicis. Unde manifestum est quod utraque sub justitia commutativa continetur."

Q. 90, a. 2: "Dictum est . . . supra (qu. lxxxv, art. 3 ad 3), quod alio modo fit recompensatio offensae in poenitentia, et in vindicativa justitia. Nam in vindicativa justitia fit recompensatio secundum arbitrium judicis, non secundum voluntatem offendentis vel offensi; sed in poenitentia fit recompensatio offensae secundum voluntatem peccantis, et secundum arbitrium Dei in quem peccatur, quia hic non quaeritur sola redintegratio aequalitatis justitiae, sicut in justitia vindicativa; sed magis reconciliatio amicitiae, quod fit dum offendens recompensat secundum voluntatem ejus quem offendit."

Ex his sequitur quod Poenitentia non solum non sit *pars subiectiva* justitiae vindicativae, ut volunt *Scotus* eiusque asseclae, sed nec pars eius *potentialis*, ut docent *Nugnus* et *Prado* (quasi esset nempe pars potentialis partis potentialis justitiae). Id patet ex eo quod *formalis et primarius actus* Poenitentiae non versatur in materia vindicationis per poenam, sed totus clauditur in ratione reconciliationis et satisfactionis pro culpa; qui conceptus constituunt duas lineas essentialiter disparatas et ab invicem praescindentes.

Non tamen inde negatur Poenitentiam quoad *actum ejus secundarium*, qui est voluntaria assumptio poenae ex dolore peccati procedens et ad peccati reparationem ordinata, induere aliquam rationem vindicationis et ita ad justitiam vindicativam reduci, tanquam latissime dictam speciem et improprie dictam partem potentialem. Et hoc sensu intelligendi sunt textus *S. Thomae* ab adversariis objecti, ut patet vel ex ipsis recitatis verbis S. Doctoris, ex aequo et immediate reponentis Poenitentiam et vindicativam sub justitia commutativa.

4A PARS: POENITENTIA PERTINET AD JUSTITIAM COMMUTATIVAM, UT IMMEDIATA QUIDEM EJUS PARS, NON TAMEN SUBJECTIVA SED TANTUMMODO POTENTIALIS (a. 3; In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 5).

Ad intelligentiam rationis, jam superius in Concl. 3 (p. 293 sq.) sufficienter assignatae, observa triplex a philosophis distingui totum, scilicet integrale, universale (seu logicum) et potentiale, ac consequenter triplices correlativas partes, scilicet integrales, subjectivas et potentiales; quam divisionem formalius ordinavimus et explicavimus supra, in art. 5 (p. 199 sq.).

Haec ad materiam virtutum applicantes, theologi Morales distinguunt partes integrales, subjectivas et potentiales alicujus virtutis.

Partes integrales virtutis non sunt partes quibus physice constituatur vel coalescat ipse habitus virtutis, aut etiam ejus actus, nam sive habitus sive actus virtutis est quid simplex et indivisibile, sed tales dicuntur quidam actus vel dispositiones, vel conditiones, vel functiones, quibus veluti coalescit perfectio ipsius actus virtutis, seu sine quibus actus non esset perfectus aut elici non posset. Ita partes integrales justitiae assignantur: "Facere bonum" et "Declinare a malo"; prudentiae vero: memoria, intellectus, ratio, providentia, circumspectio, etc. Partes integrales simul sumptae sunt ipsum totum, singulae tamen non participant rationem totius, nec de singulis totum praedicatur, sicut etiam in physicis non dicitur: corpus est pes vel manus.

Partes subjectivae virtutis se habent ad ipsam sicut species ad genus, ac proinde de ratione earum est ut tota essentia totius seu virtutis inveniatur in singulis, sicut ratio generis in unaquaque specie et ratio animalis tam in homine quam in bruto. Hoc modo, commutativa, distributiva et legalis sunt partes justitiae, et monastica, politica, oeconomica et militaris sunt partes prudentiae.

Partes potentiales alicujus virtutis sunt quaedam virtutes specifice quidem ab ea distinctae, sed habentes cum ea aliquam connexionem similitudinis vel ex parte objecti seu materiae, quatenus versantur in eadem materia vel objecto, quamvis non in materia perfecte et formaliter eadem, vel ex parte modi attingendi objectum, quatenus ad proprium objectum referuntur eodem modo, quamvis non perfecte eodem. Et propterea vocantur partes potentiales, eo quod in eis vis totius (seu virtutis) quodammodo manifestatur, sicut ratio entis participatur in potentia; item vocantur species imperfectae, quia quodammodo in se participant rationem illius virtutis, non tamen perfecte sicut species participat genus et sicut partes subjectivae participant rationem virtutis. Hoc modo consiliativum, judicativum et imperativum (aliter: eubulia, sinesis et gnome) sunt partes prudentiae, et religio, pietas, vindicativa, liberalitas, gratitudo, etc., sunt partes justitiae.

Ad justitiam igitur quod attinet, cum ipsa consistat in quadam aequalitate seu in reddendo alteri debitum ad aequalitatem, perfecta et propria ratio hujus virtutis duo requirit, scilicet perfectum seu rigorosum debitum et perfectam aequalitatem compensationis, quibus quidam addunt tertium requisitum quod est potius fundamentum secundi, scilicet perfectam alteritatem, nam nequit ad aequalitatem reddere qui non sit perfecte alter sed sit constitutus sub dominio illius ad quem debitum habet.

Unde dupliciter aliqua virtus potest deficere a perfecta ratione justitiae et esse partem non subjectivam sed potentialem tantum, vel nempe quia deficit a ratione debiti, eo quod non importet perfectum seu rigorosum debitum sed tantum debitum morale majus vel minus, fundatum in ipsa honestate actus, et sic sunt partes potentiales justitiae: justitia vindicativa, veracitas, gratitudo, liberalitas, affabilitas, etc.; vel quia deficit a ratione aequalitatis, eo quod quamvis debitum reddat, non potest tamen reddere ad stricte dictam aequalitatem, et sic sunt partes potentiales justitiae omnes eae virtutes quae supponunt in subiecto defectum perfectae alteritatis (fundatum quidem in ratione dominii stricti vel moralis), scilicet religio, pietas et observantia; non enim potest ad aequalitatem reddere homo Deo, sub cuius dominio perfecte constituitur eo quod ipsum esse a Deo acceperit, nec filii parentibus, sub quorum dominativa potestate constituuntur eo quod vitam per eos acceperint, nec quilibet homo iis qui virtute vel dignitate praestant, sub quorum morali dominio quodammodo constituuntur.[18]

Poenitentia igitur non est *pars integralis* justitiae, cum non sit quaedam conditio vel dispositio actus justitiae sed distinctus ac specificus habitus et actus, nec potest esse *pars subiectiva* justitiae, quia, quamvis versetur in materia justitiae in eius modo attingendi obiectum, i.e. in ratione aequalitatis seu in ratione reddendi alteri debitum ad aequalitatem, et quamvis perfecte conveniat cum justitia in ratione stricti debiti, deficit tamen ab ea quoad ipsam ratione aequalis redditionis seu compensationis, quemadmodum religio aliaeque virtutes morales ad Deum relatae, cuius defectus causa ultimo fundatur in ipso defectu perfectae alteritatis inter Deum et hominem, qui sub divino dominio est complete constitutus. Unde relinquitur quod virtus Poenitentiae sit "*pars potentialis justitiae*", ut S. Thomas eam explicite appellat,[19] seu "*justitia secundum quid*", ut ipse S. Doctor sese exprimit *hic in corp. a. 3*, ubi, assignans intimam rationem diversitatis utriusque virtutis, scribit:

"Unde manifestum est quod poenitentia, secundum quod est virtus, est *pars justitiae*. Sciendum tamen est quod secundum Philosophum [Ethic., l. 5, c. 1], dupliciter dicitur justum, scilicet simpliciter et secundum quid. Simpliciter quidem justum est inter aequales, eo quod

[18] De his omnibus confer *2-2, q. 80, a. unic.*
[19] In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 5.

justitia est aequalitas quaedam, quod ipse vocat justum politicum vel civile, eo quod omnes cives aequales sunt, quantum ad hoc quod immediate sunt sub principe, sicut liberi existentes. *Justum autem secundum quid dicitur* quod est inter illos quorum unus est sub potestate alterius, sicut servus sub domino, filius sub patre, uxor sub viro. Et tale justum consideratur in poenitentia.

"Unde poenitens recurrit ad Deum cum emendationis proposito, *sicut servus ad dominum,* secundum illud Psal. cxxii, 2: 'Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri"; et *sicut filius ad patrem,* secundum illud Luc. v, vers. 21: 'Pater, peccavi in coelum et coram te'; et *sicut uxor ad virum,* secundum illud Jerem. iii, 1: 'Fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus'."

RESPONSIO

Cum praecipuas adversariorum rationes et obiectiones in ipso Conclusionum decursu explicite vel aequivalenter removerimus, superest ut quibusdam eorum principiis vel peculiaribus instantiis occurramus.

CONTRA CONCL. 1, qua statuitur Poenitentiam esse *proprie dictam virtutem.*

Obj. 1. Juxta aliam definitionem a *Philosopho* traditam (Phys., l. 7, c. 3), virtus est *"dispositio perfecti ad optimum".* Talis autem non est Poenitentia, quippe quae supponit subiectum imperfectum, imo ex peccato infectum. Ergo Poenitentia non est proprie dicta virtus.

Resp. In ea virtutis definitione vox "perfecti" refertur ad subiectum non praecisive ab ipsa virtute sed eam includendo, ita nempe quod subiectum intelligatur perfectum non antecedenter ad virtutem, sed ratione illius et ut informatum ab ea, quemadmodum cum dicimus calorem esse actum calidi, subiectum intelligitur calidum per ipsum calorem, secus oporteret dicere calorem esse actum frigidi, et similiter oporteret dicere animam esse formam materiae primae non vero formam corporis organici quod tale constituitur per ipsam animam.

Est igitur Poenitentia vera dispositio perfecti, quia per eam homo ex imperfecto, seu peccatore, fit perfectus; nec aliter ceterae virtutes sunt dispositio perfecti, cum antecedenter ad ipsas subiectum nequaquam sit perfectum.

Hanc ipsam difficultatem *S. Thomas* sibi obicit ac resolvit tum In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 2, ad 5, tum hic in Summa, *a. 1, ad 1,* ubi, ostendens quoque differentiam inter verecundiam et Poenitentiam,

ait: "Verecundia respicit turpe factum ut praesens, pro quo timet confundi; poenitentia vero ut praeteritum. Est autem contra perfectionem virtutis quod aliquis in praesenti habeat turpe factum, de quo oporteat eum verecundari; non est autem contra perfectionem virtutis quod aliquis prius commiserit turpia facta, de quibus oporteat eum poenitere, cum ex vitioso fiat aliquis virtuosus."

Obj. 2. Actus Poenitentiae, cum tendat in impossibile i.e. in non esse peccati, consistit in quadam voluntate conditionata seu velleitate; unde nequit esse habitus firmiter electivus, qualis est virtus. Item, actus poenitentis aliquam imperfectionem supponit ex parte subiecti, quae non involvitur in ratione aliarum virtutum. Item, consistit in actu negativo fugae et odii.

Resp. Ex his ad summum sequeretur actum Poenitentiae esse actum secundarium alicuius vel plurium virtutum (quod ceterum refelletur infra in resp. ad obj. 7–11), non vero ipsum nullo modo esse actum virtutis sed tantum actum laudabilem, ut vult Durandus. Ad primum ceterum assertum, i.e. Poenitentiam consistere in voluntate conditionata, responsum est in art. praec. (p. 274–276).

Obj. 3. *Verecundia* non est proprie dicta virtus sed tantummodo laudabilis actus et passio, ut docet *S. Thomas* (2–2, q. 144, a. 1) post *Aristotelem* (Ethic., l. 2, c. 7; l. 4, c. 9). Ergo nec Poenitentia. Paritas constat ex eo quod utraque est motus seu renisus appetitus circa rem turpem.

Resp. *Negatur paritas* inter Verecundiam et Poenitentiam. Quamvis enim conveniant generaliter et materialiter in hoc quod sint motus appetitus circa malum, specifice et formaliter differunt tum ex parte motus appetitus tum ex parte obiecti.

Ex parte motus appetitus, Verecundia est motus appetitus sensitivi, seu passio, ac ideo nequit esse virtus. Poenitentia vero est motus appetitus rationalis importans electionem voluntatis, quae est de essentia virtutis; Verecundia est timor (scilicet infamiae), Poenitentia vero est dolor seu detestatio, timor autem non est virtus, quamvis supernaturalis timor sit principium virtutis, seu ipsius Poenitentiae, imo sit donum Spiritus S.

Ex parte obiecti, quod est malum, Verecundia respicit malum patratum sub ratione inductivi opprobrii et infamiae (quod abstrahit a ratione obiecti virtutis), non vero sub ratione culpae et mali detestabilis ac destruendi, quemadmodum Poenitentia; ex quo consequitur subtilior et intimior disparitas, relate ad rationem virtutis, quod nempe

Verecundia respicit turpe factum ut praesens, quod est contra rationem virtutis, Poenitentia vero illud respicit ut praeteritum, quod non est contra rationem virtutis, ut audivimus ex *S. Thoma* (a. 1, ad 2, cit. in resp. ad obj. 1).

Ad cuius rationis rectam intelligentiam notes quod, quamvis Poenitentia respiciat etiam peccata praesentia, non tamen ea respicit ut praesentia, cum intendat absentiam seu destructionem eorum et fugam ab eis, nec potest quis poenitere dum peccata committit; e converso, quamvis Verecundia respiciat etiam turpia praeterita, quae nempe in memoriam revocentur vel ad aliorum notitiam perveniant, respicit tamen quodlibet turpe ut praesens, vel quia praesenter committitur (potest enim quis verecundari dum actualiter peccat aut peccato adhaeret) vel quia praesenter aliis manifestatur aut propriae memoriae revocatur. "Est autem contra perfectionem virtutis quod aliquis in praesenti habeat turpe factum, de quo oporteat eum verecundari; non est autem contra perfectionem virtutis quod aliquis prius commiserit turpia facta, de quibus oporteat eum poenitere, cum [mediante hac poenitentia, qua removetur seu detestatur peccatum] ex vitioso fiat aliquis virtuosus" (*a. 1, ad 1*).

Ad rem faciunt etiam sequentia verba *S. Thomae, In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 2, ad 5:* "Verecundia est timor de turpi; timor autem futuri est; futurum autem non timetur nisi secundum quod habet propinquam dispositionem in causa sua; et ideo verecundia ponit propinquam dispositionem in eo qui verecundatur ad turpe committendum, prout Philosophus de verecundia loquitur; et ideo de necessitate ponit imperfectionem in eo cui inest; sed poenitentia respicit turpe in praeterito, cui potest succedere perfectio in praesenti; et ideo non est actus imperfecti de necessitate."

Obj. 4. *Continentia* non est proprie dicta virtus sed tantum quoddam principium laudabilium actuum, ut docet *S. Thomas* (2–2, q. 155, a. 1) post *Aristotelem* (Ethic., l. 4, c. 9), quia quamvis habeat objectum laudabile, imo et arduum (cohibere nempe passiones), tamen respicit vehementiam istarum passionum, quae rationi virtutis non convenit. Ergo a pari nec Poenitentia est proprie dicta virtus eo quod respiciat subjectum deforme et materiam peccati, quamvis habeat objectum laudabile et peculiariter arduum, scilicet detestationem peccati.

Resp. *Negatur paritas* inter Continentiam et Poenitentiam.

Attenta enim *ratione laudabilitatis,* Continentia importat aliquid repugnans perfectae rationi virtutis; nam ipsa supponit vehementiam passionum, adeoque passiones nequaquam moderatur, seu non ponit passiones in medio rationis, sicut temperantia, sed tantum eas cohibet et ab eis retrahit; jamvero de perfecta ratione virtutis est passiones moderari seu ad medium rationis reducere, ita ut "appetitus sensitivus subdatur rationi sic ut in eo non insurgant vehementes passiones rationi contrariae" (*2–2, q. 155, a. 1;* cf. 1–2, q. 58, a. 3, ad 2). E converso Poenitentia nullam in subjecto supponit imperfectionem repugnantem rationi perfectae virtutis, cum sit moderatus dolor de peccato ac totaliter detestetur peccatum.

Attenta praeterea *ratione arduitatis,* disparitas est in eo quod arduitas Continentiae se habet tantum ex parte subjecti, unde non fundat rationem specialis virtutis, dum arduitas Poenitentiae se habet ex parte objecti (poenitere enim seu detestari peccatum ac convertere voluntatem est difficillima res, quae imo absque auxilio gratiae fieri non potest) adeoque requirit ac specificat specialem virtutem.

Ad rem *S. Thomas, De Veritate, q. 26, a. 6, ad 15:* "Loquendo de difficultate ex parte nostra, sic passiones difficultatem habent magis quam actus voluntatis; sed sic difficultas non facit ad meritum nisi per accidens . . .; et similiter nec passiones. Sed loquendo de difficultate quae est ex excellentia vel bonitate rei, quae per se facit ad meritum, sic est major difficultas ex parte actuum voluntatis."

Obj. 5. Si Poenitentia esset vera virtus sequeretur quod quo magis quis peccaret, eo magis fieret virtuosus, nam quo magis quis peccat eo magis potest poenitere, et quod proinde melius esset pluries peccare quam a peccando abstinere.

Resp. Ex hoc quod Poenitentia sit virtus bene sequitur quod quo magis et melius quis poenitet, eo magis fit virtuosus, sed nequaquam sequitur quod quo magis quis peccat eo magis fit virtuosus poenitendo.

Nam imprimis, perfectior est poenitentia qua quis ita dolet de peccato et ab eo elongatur ut in ipsum non reincidat, quam ea qua quis ab iterato peccato resurgit; perfectio enim Poenitentiae non est mensuranda ex iteratione actus, qua tali, sed ex ejus qualitate, seu ex intensitate detestationis qua quis elongatur a peccato, et tunc tantum iteratio actus influit in perfectionem poenitendi, cum quis de peccato praeterito iterum atque iterum dolet quin iterum in illud labatur. Praeterea, qui iterum peccat, Poenitentiam ipsam aliasque infusas virtutes iterato destruit et amittit; perfectius autem est virtutem servare quam recuperare, cum id ostendat majorem adhaesionem voluntatis ad bonum et elongationem a malo. Praeterea, juxta doctrinam thomisticam, qui poenitendo resurgit, virtutes prius habitas recuperat tantum juxta gradum actualium dispositionum; ex quo facile contingit ut qui frequenter peccat, cum minori virtute a peccato resurgat, eo quod ipsa

frequentia peccandi ostendat minorem repugnantiam voluntatis ad peccatum, et difficiliores reddat bonas dispositiones in poenitente reconverso.

Obj. 6. Actus poenitendi, sumptus secundum se, non importat perfectam rationem honestatis seu laudabilitatis, quae requiritur ad essentiam virtutis. Nam amor satisfactionis seu compensationis pro peccato, includit amorem ipsius peccati, quia qui amat totum, amat partes, peccatum vero se habet ut pars compensationis, cum in ratione istius essentialiter includatur et importetur.

"Explicatur difficultas, quia ille, qui vult bonum compensationis, ut tale bonum est, vel vult solum obsequium praesens, prout contradistinguitur a praeteritione offensae; vel vult utrumque. Si secundum; ergo vult praeteritionem offensae: nam velle complexum, ut complexum, est velle, quod existat, vel extiterit utraque pars; ergo vult utramque partem illius complexi. Si vero dicatur primum; ergo non vult bonum compensationis: nam obsequium praesens, ut contradistinctum ab offensa praeterita, non est compensatio: denominatur enim formaliter compensatio ex eo, quod ponatur post offensam".[20]

Resp. *Lugo,*[21] huic difficultati (quam late refert et expendit) veluti succumbens, concedit (mirabile auditu!) actum compensationis seu satisfactionis includere quodammodo amorem ipsius peccati, non tamen, inquit, amorem absolutum sed simplicem et conditionatum,[22] imo (mirabilius auditu!) asserit Deum ipsum eodem modo appetere peccatum, cum appetit punitionem peccati.

Exordium sumens a ratione et moralitate justitiae Dei punitivae, ait peccatum concurrere ut partem ad constituendam rationem punitionis (punitio enim componitur ex tormento et peccato), et consequenter ipsum "peccatum constituere partialiter honestatem, et bonitatem, qua redditur amabile et volibile tormentum", ita ut "Deus volens bonitatem illius poenae, prout est punitio, velit aliquo modo peccatum praeteritum, quod est pars illius complexus obiectivi, erga quod afficitur", non ita tamen ut peccatum ametur affectu absoluto, sicut ipsum tormentum, sed affectu simplici et conditionato. Hanc subinde explicationem logice applicans ad rationem et moralitatem Poenitentiae, Lugo ait hominem poenitentem ita appetere compensationem resultantem ex obsequio Dei et peccato, ut habeat erga ipsum obsequium affectum absolutum et "solum affectum simplicem circa peccatum praeteritum, ut partem illius bonitatis [quae habetur in compensatione]".

[20] Apud *Lugo,* Disp. schol., t. 4, De Poenit., disp. 2, sect. 3, n. 26, Parisiis, 1892, p. 383.
[21] L.c., sect. 3, n. 25. 26. 36. 37. 38; sect. 4, n. 43; p. 382–388.
[22] Ex hac eadem ratione *Lugo* inducitur ad negandum rationem satisfactionis esse objectum formale Poenitentiae, ut ostendetur in art. 14 (p. 359 sq. et p. 369).

Attamen huiusmodi conditionatus amor peccati vel nihil est vel est vera voluntas peccati (etsi conditionata), quae in Deo absolute concipi non potest et in poenitente est contradictoria, cum poenitentia sit essentialiter recessus voluntatis a peccato. *Ratio vero, invocata ab obiciente,* quam veluti invitus sed inepte admittit Lugo, amorem nempe compensationis pro peccato, esse etiam amorem peccati, est merum sophisma, paralogizans a non esse peccati ad esse peccati.

Nam peccatum ingreditur quodammodo conceptum compensationis non secundum suum esse, seu ut aliquid quod sit, sed secundum suum non esse, seu ut aliquid quod non sit, scilicet non ut aliquid quod ponatur per compensationem sed ut aliquid quod destruatur per eam, cum compensatio pro peccato sit idem ac remotio peccati, et quidem a voluntate. Unde voluntas compensandi pro peccato nullo modo terminatur ad esse peccati, sed tantum ad ejus non esse, nec proinde includit appetitum peccati sed potius appetitum non peccati, quemadmodum voluntas occidendi Petrum non includit amorem Petri, sed, ut ita dicatur, amorem non Petri. Ceterum, peccatum ingreditur conceptum compensationis non proprie ut pars, seu ut elementum intrinsecum, sed tantum ut terminus et extrinsecum connotatum; nec refert quod compensatio importat intrinsecam connotationem peccati, nam aliud est esse quid ab intrinseco connotatum ac respectum et aliud est esse quid intrinsecum, ut patet de objectis omnium potentiarum et de terminis omnium respectivorum.

CONTRA CONCL. 2, qua statuitur Poenitentiam esse *singularem virtutem.*

Obj. 7. Objectum in quod tendit Poenitentia, i.e. offensa Dei vel laesio juris divini, est generalis conditio et circumstantia objecti omnium virtutum, cum reperiatur in omnibus et singulis peccatis, oppositis singulis virtutibus. Ergo etiam Poenitentia est generalis conditio omnium virtutum.

Resp. *Dist. ant.:* Objectum Poenitentiae est generalis conditio objecti omnium virtutum materialiter considerati, *concedo;* formaliter considerati, *nego,* nam nulla alia virtus considerat rationem offensae Dei, qua talem, in suo objecto formali. *Pariter dist. cons.:* Poenitentia est generalis conditio omnium virtutum materialiter et improprie loquendo, quatenus attingit materiam omnium virtutum, *concedo;* formaliter et proprie loquendo, quatenus formaliter includatur in aliis virtutibus et specifice non differat ab eis, *nego.*

Quae omnia patent ex dictis in ipsa Concl. 2.

Ad rem *S. Thomas, hic, a. 2, ad 2:* "Poenitentia habet quidem reali-

ter generalem materiam, inquantum respicit omnia peccata, sed tamen sub ratione speciali, inquantum scilicet sunt emendabilia per actum hominis cooperantis Deo ad suam justificationem."

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 3, ad 2: "Quamvis poenitentia habeat actum suum circa materiam omnium vitiorum, et per consequens omnium virtutum; tamen considerat specialem rationem objecti in materia circa quam operatur, ut dictum est; sicut etiam magnanimitas habet quodammodo pro objecto et materia, actus omnium aliarum virtutum in ratione magni; quia operatur magna in omnibus virtutibus, ut dicitur in IV Ethic., cap. ix; et ideo, sicut magnanimitas est specialis virtus, et poenitentia."

Obj. 8. Ad eandem virtutem pertinet prosequi bonum et fugere malum. Atqui ad omnem virtutem pertinet prosequi bonum. Ergo et fugere malum. Atqui poenitere est fugere malum. Ergo Poenitentia est generalis conditio omnium virtutum.

Resp. Ut dictum est in Concl. 2, omnis virtus importat fugam et detestationem mali sub aliqua ratione, i.e. prout malum opponitur ipsi bono quod unaquaeque virtus prosequitur, sed soli Poenitentiae competit fuga et detestatio mali inquantum malum opponitur bono Dei ut supremi Domini et Legislatoris. Ceterum, ut explicabitur in resp. ad obj. 12, Poenitentia potius quam negativum actum fugae importat positivum actum aggressionis contra peccatum, ad cuius destructionem operatur.

Obj. 9. Poenitentia tendit ad expellenda generaliter omnia peccata. Atqui contrarium per contrarium expellitur. Ergo Poenitentia non est quaedam specialis virtus, sed generalis.

Resp. Poenitentia ordinatur ad expellenda omnia peccata non prout sunt plura, sed prout sunt unum sub indivisibili ratione offensae seu injuriae divinae, ac proinde non consistit in pluribus virtutibus aut in generali conditione plurium virtutum, sed in unica indivisibili virtute. Ut subtiliter notat *S. Thomas* (In Sent., infra cit. in resp. ad obj. seq.), Poenitentia "non opponitur omni peccato formaliter, sed alicui tantum, quod est impoenitentia".[23]

Ceterum, ipsa etiam charitas contrariatur omnibus peccatis, et tamen est unica specialis virtus quia omnia peccata respicit sub unica ratione oppositionis cum bono divino secundum seipsum.

[23] De hoc impoenitentiae peccato confer infra in art. 22, Concl. 3, Prob. 4, p. 486–488.

Obj. 10. Poenitentia tendit ad expellendum peccatum a subiecto. Atqui omnis virtus ad idipsum tendit. Ergo Poenitentia identificatur generaliter cum omni virtute.

Resp. Quaelibet virtus expellit peccatum a subiecto *formaliter*, per ipsam nempe positionem habitus informantis subiectum (vel strictius ratione gratiae quae cum virtute infunditur), sed sola Poenitentia peccata expellit *effective* seu per subsequentem actum procedentem ab ipso habitu, inquantum operatur per ipsam praecipue detestationem ad removendum peccatum.[24] Ceterum, actus aliarum virtutum non ordinatur ad repellendum peccatum formaliter sub ratione offensae Dei, sed sub alia ratione propria unicuique virtuti, ut ostensum est in Concl. 2.

Ad rem *S. Thomas, hic, a. 2, ad 3:* "Quaelibet virtus specialis formaliter expellit habitum vitii oppositi, sicut albedo expellit nigredinem ab eodem subjecto; sed poenitentia expellit omne peccatum effective, inquantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile ex divina gratia, homine cooperante. Unde non sequitur quod sit virtus generalis."

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 3, ad 1: "Omnis virtus expellit peccatum oppositum formaliter quantum ad suum actum primum, qui est informare subjectum; sed actus secundus in aliis virtutibus, qui est operatio, non ordinatur principaliter ad repellendum peccatum, sicut est in poenitentia; et ideo poenitentia non formaliter, sed quasi effective peccatum expellit; habet enim peccatum expellendum pro materia, et operatur contra ipsum ut expellatur; unde non opponitur omni peccato formaliter, sed alicui tantum, quod est impoenitentia; et propter hoc non oportet quod sit generalis virtus."

Ibid., q. 2, a. 1, q. 1: "Poenitentia potest considerari inquantum est sacramentum, et inquantum est virtus; et utroque modo ad remissionem peccatorum aliquo modo operatur. Secundum enim quod est novae legis sacramentum, gratia in ea datur ad defectum illum sanandum contra quem inducta est, scilicet ad dimissionem culpae actualis. Operatur etiam ad dimissionem peccati, inquantum est virtus, speciali modo prae aliis virtutibus. Quia secundum omnem virtutem formatam ex parte habitus peccata dimittuntur ratione gratiae quae cum ea infunditur; sed hoc est formaliter remittere: sed poenitentia ex ratione sui actus habet quod per eum peccata dimittantur, secundum quod peccata commissa sunt materia actus ejus. Cum enim peccatum ex hoc remitti dicatur vel retineri, quod habet rationem offensae; illud quod offensam aufert, peccatum tollit. Cum autem offensa, inquantum

[24] Confer infra art. 18, in quo id explicite discutietur.

hujusmodi, sit inaequalitas quaedam, qua unus alii subtraxit quod debitum erat, actu illius virtutis peccatum remittitur quae inaequalitatem praedictam ad aequalitatem reducit. Hoc autem facit poenitentia, ut ex dictis patet, quae in recompensatione divinae offensae spiritum Deo contribulatum offert; et ideo *poenitentiae etiam ex parte actus sui competit peccatum tollere;* et hoc est efficienter, et non solum formaliter, per poenitentiam peccata dimitti."

Obj. 11. Poenitentiam esse generalem virtutem sequitur *tum* ex eo quod eius actus, seu peccati detestatio et expulsio, imperatur ab omnibus virtutibus, quarum unaquaeque tendit ad expulsionem mali sibi contrarii; *tum* ex eo quod Poenitentia comprehendit quodammodo ea quae sunt aliarum virtutum (habet enim rationem virtutis theologicae, quia respicit ipsum Deum; rationem virtutis moralis, quia consistit in medio seu in moderato dolore; rationem justitiae, quia est compensatio pro offensa); *tum* ex eo quod ad generandum actum Poenitentiae, seu detestationem peccati, concurrunt fides, spes, timor, dilectio.

Resp. Haec omnia conferunt quidem Poenitentiae characterem quemdam generalem, de quo erit sermo infra in art. 19, sed non reddunt eam generalem virtutem, i.e. virtutem non specifice ab aliis distinctam.

Nam *primo,* actus Poenitentiae imperatur sed non elicitur ab aliis virtutibus, quae eliciunt proprium actum odii peccati sub sola ratione oppositionis cum peculiari bono quod prosequuntur, quemadmodum hic idem actus nequaquam a Poenitentia elici sed tantum imperari potest. *Secundo,* Poenitentiae non convenit ipsa ratio essentialis aliarum virtutum, puta charitatis aut justitiae, sed aliquod elementum generale vel partiale illarum, sicut homo convenit cum petris, brutis et angelis, quin tamen cum aliis entibus confundatur aut sit eorum generalis conditio. *Tertio,* actus fidei, spei, charitatis et timoris concurrunt quidem ad generandum actum Poenitentiae, prioritate quadam naturae vel temporis, sed tanquam principium extrinsecum, ut explicabitur in art. 17, ubi de principio Poenitentiae.

CONTRA CONCL. 3, qua statuitur Poenitentiam esse virtutem *specifice distinctam* ab omni alia.

Obj. 12. Actus poenitendi nequit esse actus primarius ullius virtutis. Atqui ab actu primario constituitur et specificatur virtus seu habitus. Ergo Poenitentia non est distincta virtus, sed tantum actus secundarius alterius virtutis, puta charitatis, justitiae vel religionis.

Probatur maior *duplici ratione:*

1. *Actus poenitendi est negativus actus fugae,* i.e. detestatio peccati; jamvero actus primarius alicuius virtutis nequit esse actus fugae, sed est positivus actus prosecutionis, a quo procedit ipse actus fugae (cf. 2–2, q. 19, a. 1); cum enim obiectum voluntatis sit bonum, primus eius actus est appetitus boni, ratione cuius sequitur odium mali contrarii.

2. *Actus poenitendi praeexigit necessario in subiecto ipsum peccatum,* seu id quod contrariatur virtuti. Atqui principalis actus virtutis non potest esse talis ut exigat in subjecto id quod contrariatur ipsi virtuti; nam nulla virtus praeexigit in subjecto suum contrarium; ita temperantia et liberalitas non praeexigunt subjectum vitiosum, seu intemperatum et avarum.

Haec secunda ratio est prima quam *Cajetanus* proponit tanquam convincentem intellectum suum: "Ad partem autem negativam, inquit, urget duplex ratio. *Una ex propriis.* Quia nulla virtus exigit aut praeexigit habentem ipsam sub illius contrario. Sed poenitentia praeexigit poenitentem fuisse sub peccato, quod contrariatur poenitentiae. Ergo poenitentia non est specialis virtus. Et haec ratio convincit intellectum meum."

Resp. *Neg. mai. Ad duplicem probationem resp.:*

1. *Actus poenitendi non est simpliciter actus fugae et odii,* sed primo et per se importat actum prosecutionis alicuius boni, quod est compensatio divinae offensae per ipsum dolorem et detestationem peccati, seu per mutationem voluntatis. Quamvis enim ipse dolor et detestatio consistat in retrahendo a peccato ac ita concipiatur ut quid negativum relate ad peccatum, secundum se tamen ipsum quod est retrahere a peccato est bonum aliquod positivum, consistens in mutatione voluntatis et in compensatione divinae offensae. Idem de cetero accidit in quibusdam aliis virtutibus, ut temperantia et modestia, cuius obiectum honestum consistit in retrahendo ab aliquo;[25] ipse actus restitutionis rei ablatae qui pertinet ad justitiam est actus positivus quia, quamvis importet quendam negativum actum separationis a re aliena, consistit tamen in prosecutione alicuius boni quod est compensatio juris alieni.

Ceterum, proprius actus fugae qui directe pertinet ad Poenitentiam et sequitur secundario praedictum actum prosecutionis, est odium et fuga eius quod est contrarium huic prosecutioni, i.e. odium non compensationis divinae offensae; propterea aptissime *S. Thomas* (l. c. in resp. ad obj. 10) ait Poenitentiam formaliter opponi non omni peccato sed uni tantum, i.e. impoenitentiae.

Unde allata ratio procedit ex confusione seu illigitima distributione obiectorum formalium; Poenitentia enim formaliter non est quomodolibet odium et fuga peccati, nec etiam copulatus amor contrariae rectitudinis, haec enim pertinent generaliter ad omnem virtutem (et

[25] Cf. In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 2, ad 4, mox citand.

peculiariter ad charitatem) in propria uniuscuiusque materia, sed est amor compensationis divinae offensae et odium non compensationis eiusdem.

Nota autem quod, cum dicimus Poenitentiam esse actum amoris, amorem scilicet compensationis divinae offensae, id non intelligimus de actu amoris explicito et signato, sic enim amor in supernaturalibus est actus solius charitatis, sed de amore implicito et exercito qui continetur in omni actu voluntatis circa aliquod determinatum obiectum; unde Poenitentia directe et immediate est actus doloris compensantis et signate tendit in peccatum ut per dolorem compensabile; dum autem hunc actum exequitur eo ipso exercet etiam intentionem compensandi et amorem compensationis.

Ad rem *Salmanticenses:* "Licet quilibet actus virtutis residentis in voluntate, sit volitio objecti per ipsum attacti; quatenus eodemmet actu quo voluntas attingit objectum, et illud vult, et se simul velle, ut est perpetua, et constans doctrina D. Thomae; non tamen quilibet actus voluntatis, aut virtutis est expressus, et formalis amor, signate tendens in honestatem virtutis signate, et quasi speculative acceptam: hoc enim in naturalibus competit speciali actui voluntatis, cujus primus actus est amor formalis, et explicitus, ut docet D. Thomas 1 p. quaest. 20, art. 1, et in ordine supernaturali Charitati, cujus est diligere expresse Deum, et alia omnia propter ipsum ut constat ex 2, 2, q. 20, art. 1. Unde licet per actum v.g. Misericordiae ipsa honestas hujus virtutis attingatur, non tamen expresse et signate, ut honestas Misericordiae in communi, sed tantummodo practice, et in executione quatenus includitur in sublevatione alienae miseriae circa quam versatur. Quod quidem si tenet in omnibus aliis virtutibus; maxime vero tenere debet in Poenitentia per se primo ordinata, et instituta ad reconciliandum hominem cum Deo, et ineundam iterum cum ipso amicitiam discissam per peccatum. Quamobrem non alius amor, aut expressior ipsi debet attribui, quam qui importatur in ipsamet contritione, et dolore de Dei offensa."[26]

2. *Ad secundam rationem,* in qua maxime confidunt et Durandus, et Cajetanus, et Suarez, conceditur maior, negatur vero minor, ad cuius probationem dupliciter respondetur:

Primo, negatur suppositum, quod nempe si virtus non praeexigat contrarium in subiecto, etiam eius actus non debeat illud praeexigere. Illegitime enim fit transitus ab habitu ad actum, vel e converso, cum agitur de eorumdem conditionibus. Cum enim habitus se habeat ad modum potentiae, actus vero sit actuale exercitium illius, non omne

[26] Cursus Theol., De Poenitentia, Disp. 5, dub. 2, § 7, n. 77, t. 19, Parisiis, 1883, p. 420.

quod requiritur ad existentiam actus requiritur necessario ad existentiam habitus. Ita virtutes vindictae et misericordiae possunt existere antequam existat malum vindicandum aut miseriam sublevandam, quamvis earum actus nequeant exerceri nisi haec obiecta actu existant. Et similiter poterit virtus Poenitentiae praeexistere peccatis, quamvis id non possit actus eius. Quia tamen sive habitus sive actus ad idem tandem obiectum referuntur, ac ideo uterque sub aliqua ratione illud praesupponit, saltem nempe quoad eius possibilitatem, ideo ne detur locus instantiae et ut radicitus obiectio convellatur,

Secundo, distinguitur ipsum assertum: Nulla virtus suum contrarium in subiecto praeexigit ad hoc ut agat, *negatur;* ad hoc ut existat, *subdist.:* nulla virtus praeexigit existentiam contrarii, *conceditur;* possibilitatem contrarii, *negatur.* Idque praecise affirmamus contingere in virtute Poenitentiae, quae nempe, quamvis ad hoc ut existat non praeexigat in subiecto existentiam sui contrarii, seu peccati, adeoque detur in parvulis baptizatis et in Adamo ante peccatum, imo etiam in B. Virgine, tamen ad hoc ut agat, seu ad suum actum, praeexigit in subiecto existentiam sui contrarii, imo ad hoc ipsum ut existat praeexigit in subiecto non quidem existentiam sed certe possibilitatem, saltem absolutam, sui contrarii, ac propterea nequit esse in Christo.

Negamus igitur fundamentale principium quod adversarii assumunt vel supponunt, scilicet esse contra rationem virtutis ut supponat in subiecto existentiam vel possibilitatem sui contrarii; nam quidquid imperfectionis inde provenit, totum se habet ex parte obiecti materialis vel etiam subiecti, nec proinde ullatenus redundat in ipsum habitum aut coinquinat eius obiectum formale. Quod si hoc inde coinquinaretur, Poenitentia nullo modo esset actus virtutis, neque secundarius, quod est contra ipsos adversarios.

S. Thomas, In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 2, ob. 4 et ab 4, eandem obiectionem sic proponit ac concinne resolvit: "[Obj.] Omnis virtus est per ordinem ad bonum. Sed poenitentia dicitur per ordinem ad malum. Ergo non est virtus." "[Resp.] Bonum illud ad quod virtus ordinat immediate, est actus perfectus ipsius; et ideo aliquae virtutes sunt quae principalem actum habent in retrahendo ab aliquo, sicut dictum est [In 3 Sent., dist. 23] de temperantia et modestia et hujusmodi; et similiter actus perfectus poenitentiae est in retrahendo ab aliquo malo; nec propter hoc sequitur quod non sit virtus."

Res *confirmatur* ab ipsa paritate (in his verbis S. Thomae obiter tacta) cum aliis virtutibus quae aliquam imperfectionem ex parte materiae supponunt, quamvis in alieno subiecto.

Ad rem *Salmanticenses:* "Non est contra rationem virtutis supponere defectum vel physicum, vel moralem, quem excludat, ut liquet in

misericordia, cui non est locus absque miseria aliena, et vindicativa, quae ad inferiorum injurias vindicandas primario tendit. Quod autem iste defectus sit in proprio subjecto, vel alieno, solum arguit differentiam ex parte virtutum; non vero infert esse contra rationem virtutis. Et quidem si ad vindicandas alienas injurias ex bono justitiae nullus est, qui neget propriam, et specialem virtutem ab omnibus aliis diversam; nulla apparet ratio, quare pugnet virtus specialis ad diluendas proprias; cum bonum proprium caeteris paribus praeferendum sit alieno, nec sit minus aestimatione digna propria cum Deo reconciliatio, quam ad integritatem legis aliorum punitio.

"Quocirca nec *Aristoteles,* nec *Tullius,* aut alter Philosophorum, qui de virtutibus accuratissime disseruerunt, eam conditionem assignarunt, quam *Cajetanus* statuere contendit; sed tantummodo asseruerunt, virtutem nonnisi circa difficile versari, undecumque ea difficultas oriatur; sive sit ex alienis, sive ex propriis. Id quod maxime tenet in illis virtutibus, quae ad abigendos obices institutae sunt, qualem esse Poenitentiam non negabit Cajetanus. Cum enim ejus actus sint pars Sacramenti Poenitentiae, et hujus gratia sit medicinalis, et per se loquendo prima; oportet praedictos actus per se primo tendere ad medendum subjecto, consequenterque depellendum morbum ex peccato contractum. Unde sicut in medicina corporali, ut bene observant *Martinus de Ledesma, Soto,* et alii, praesupponitur infirmitas; et aliqua sunt, vel herbae, vel medicamina huic solo muneri deservientia eradicandi humores pravos; quin exinde amittant esse in naturalibus virtuosa; haud dissimiliter inter virtutes theologizandum erit de Poenitentia."[27]

Ceterum, nequaquam negatur Poenitentiam, quamvis perfectam in specifica ratione virtutis, *adnumerandam esse inter virtutes aliunde imperfectas, ratione imperfectionis suae materiae,* non secus ac misericordiam, fidem et spem.

Distinguit enim *S. Thomas* (1 p., q. 95, a. 3) duplex genus virtutum: aliud perfectarum, quae nempe ex nullo capite defectum supponunt, uti sunt charitas et justitia; aliud imperfectarum, quae nempe supponunt defectum, et quidem aut ex parte actus, ut sunt fides et spes, aut ex parte materiae, quae non est acceptanda sed destruenda, ut sunt misericordia, qua destruitur aliena miseria, et Poenitentia qua destruuntur propria peccata. Simili quodam modo in tractatu De Deo Uno fit distinctio inter perfectiones simpliciter simplices, quae, uti intellectus et voluntas, nullam imperfectionem supponunt ac proinde in Deo formaliter inveniuntur, et perfectiones mixtas, quae, ut ratiocinari et videre, aliquam supponunt imperfectionem atque in Deo nonnisi virtualiter inveniuntur; hae nempe, attenta specifica ratione perfectionis, sunt proprie et formaliter perfectiones, et tamen deficiunt a ratione perfectionis simpliciter dictae eo quod supponant aliquem defectum ex parte actus vel subiecti, puta transitum de potentia ad actum, ut perfectio ratiocinandi, vel etiam compositionem ex materia et forma, ut perfectio videndi.

[27] De Poenitentia, Disp. 5, dub. 3, § 3, n. 100, Cursus Theol., t. 19, Parisiis, 1883, p. 437.

Obj. 13. Poenitentia non distinguitur a virtute *Religionis,* nam compensatio pro offensis, quae intenditur per actum Poenitentiae, consistit in reddendo Deo debito, quod est proprium obiectum religionis.

Ad rem ipse *Cajetanus: "Altera ratio* est ex parte obiecti. Quia scilicet obiectum hoc, scilicet offensa ut recompensabilis per actum proprium, etc., non requirit propriam virtutem. Quod . . . apparet . . . ex eo quod ad huiusmodi recompensationem invenitur alia virtus sufficiens, scilicet religio. Religionis enim actus est subiicere se Deo, redderequé debitum Deo, non minus offenso quam benefactori. Ita quod, sicut reddere Deo debitum ob beneficia suscepta non exigit specialem virtutem ultra religionem, eadem ratione reddere Deo debitum ob offensam in eum ad religionem quoque spectabit: cadunt enim hae speciales rationes debiti, scilicet pro beneficiis vel pro offensis, sub illa communi ratione debiti quam attendit religio.

"Et *confirmatur.* Quia praecipuus actus poenitentiae coincidit cum actu primo religionis. Subiectio enim hominis ad Deum est praecipuum quod poenitentiae virtus offert Deo in recompensam. Quam eandem offert religio: secundum actum quidem devotionis, absolute; secundum vero actum gratitudinis, pro beneficiis receptis; secundum actum poenitentiae, pro offensa commissa. Unde, sicut religionis quidam actus est recompensare beneficia, ita recompensare peccata" (In a. 2, n. 3).

Resp. Ut sufficienter statuimus in Concl. 3 (p. 294–297), Poenitentia et Religio conveniunt quidem in reddendo Deo debito, sed sub duplici diversa ratione formali, quae proinde requirit formalem virtutum distinctionem.

Ad *confirmationem* similiter dicendum est utramque virtutem convenire in rationem reddendi Deo subjectionem, sed sub duplici inconfundibili formalitate, scilicet ex motivo cultus seu reverentiae, quod convenit Religioni, et ex motivo compensandi offensam, quod est proprium Poenitentiae. Ceterum, nequaquam negatur actum Poenitentiae quandoque imperari a Religione, ac ita quodammodo ad eam reduci, quatenus ab ea veluti inspiratur et ad suum finem dirigitur; sed id non importat mixtionem seu reductionem unius virtutis ad alteram, sed

tantum subordinationem utriusque actuum et finium, quae est communis omnibus virtutibus ad invicem ac competit etiam ipsi Religioni relate ad Poenitentiam.

Obj. 14. Contrariorum eadem est ratio. Atqui gaudium, quod est contrarium doloris et tristitiae, non constituit distinctam virtutem, sed est secundarius actus virtutis charitatis, ut docet S. Thomas in 2–2, q. 28, a. 4. Ergo etiam dolor de peccato non est distincta virtus sed secundarius actus alicuius virtutis, puta charitatis, sicut et ipsum odium peccati, quod dolorem praecedit.

Resp. *Dist. mai.:* Contrariorum eadem est ratio, sub ea ratione qua sunt contraria, *concedo;* sub omni ratione, *nego. Conc. min. Dist. cons.:* Dolor de peccato non est distincta virtus sub ea ratione qua opponitur gaudio, seu inquantum est quomodolibet dolor de malo Dei, *concedo,* sic enim est actus secundarius ipsius charitatis, sicut et gaudium (a. 3, corp.); sub alia ratione, seu inquantum importat compensationem offensae Dei, *nego.*

Diversimode igitur se habent in praesenti gaudium et dolor. Nam in gaudio nulla invenitur distincta ratio obiectiva bonitatis et difficultatis quae exigat distinctam virtutem, adeoque actus gaudii elicitur secundario a virtute charitatis, a qua procedunt ordinate amor et odium, desiderium et timor, gaudium et tristitia seu dolor. In dolore autem de peccato invenitur specialis ratio bonitatis et difficultatis, scilicet ipsa ratio compensationis quae habetur in dolendo, et ideo, quamvis ipse dolor una cum gaudio procedat a charitate, intentio compensandi per dolorem procedere debet ab alia virtute.

Ad rem *S. Thomas, hic, a. 2, ad 1:* "Si . . . in actu poenitentis consideretur sola displicentia peccati praeteriti, hoc immediate ad charitatem pertinet, sicut et gaudere de bonis praeteritis; sed intentio operandi ad deletionem peccati praeteriti requirit specialem virtutem sub charitate."

Ad rem *Joannes a S. Thoma:* "Gaudium et dolor possunt considerari dupliciter, uno modo ut sunt simplices affectus consecuti ad amorem alicujus objecti; ex eo enim quod aliquod objectum ametur, sequitur quod gaudeamus de illo praesenti, et doleamus de illius absentia, et odio habeamus ejus contrarium: et sic odium de peccatis, et tristitia seu dolor de ipsis, non constituit virtutem distinctam a charitate, sicut neque gaudium de Deo: alio modo potest accipi dolor secundum modum specialem, scilicet, prout operatur ad expiationem et vindictam peccati, ut est offensivum Dei: et hac ratione induit aliud speciale motivum, praeter simplicem affectum charitatis, scilicet, motivum

justitiae ut satisfacientis injuriam, saltem imperfecte, et sic pertinet ad poenitentiam: in gaudio autem non invenimus talem specialem ordinem et motivum, praeter ipsum simplicem affectum dilectionis ortum ex amore; et sic non assignatur gaudio specialis virtus: potest tamen aliquid altius virtute assignari, scilicet, donum Spiritus sancti, quod est sapientia: haec enim tendit ad cognoscendas res divinas ex quadam experientia, et sapore rerum divinarum, qui sapor et gustus fit ex delectatione et gaudio, quod de divinis habetur: et hoc modo tale gaudium charitatis spectat ad donum sapientiae, de quo videatur S. Thomas 2–2, quaest. XLV, articulo secundo."[28]

Ad evertendam autem subtilem quandam instantiam, advertas cum S. Thoma quod Poenitentia non consistit in dolore tanquam in immediata ratione formali, sed in intentione compensationis inventae in ipso dolore (seu in appetitu compensandi per dolorem); si enim poenitere maneret formalissime in linea doloris, haberet ut contrarium sibi conceptum gaudendi, et ita instauraretur obiectio ex aequa ratione contrariorum, quod nempe si dolor posset specificare distinctam virtutem, id posset etiam contrarium gaudium (seu gaudium de contrario obiecto). Dolor igitur se habet ut id quod formaliter fundat specialem illam rationem compensationis quae specificat Poenitentiam; et in hoc adest eius differentia a gaudio, nam gaudium, quod opponitur dolori, nullam fundat specialem aliquam rationem (puta compensationis vel alterius generis) quae postulet specialem virtutem, nec est contrarium dolori sub ista ratione fundandi. Datur quidem et gaudium de compensatione praestita per dolorem (seu gaudium de ipso actu poenitendi et de dolore in eo contento), sed hoc, ut patet, non opponitur dolori sed e converso habet ipsum dolorem pro obiecto (cf. q. 94, a. 9, ad 2), nec iterum requirit specialem virtutem quia non importat distinctam bonitatem et difficultatem sed elicitur ab ipsa charitate, qua quis amat se poenitere et gaudet se dolere.

Aliquid simile observatur circa actum spei in comparationem ad gaudium. Quamvis scilicet actus desiderii, non secus ac gaudii, procedat a charitate, desiderium tamen boni cuius consecutio sit ardua et possibilis, exigit *distinctam virtutem spei,* eo quod ipsa arduitas simul et possibilitas obiecti fundet specialem rationem bonitatis et arduitatis, quod nequaquam accidit in obiecto gaudii. Ad rem *S. Thomas, 2–2, q. 28, a. 4, ad 2:* "Spes consequitur ex amore, sicut et gaudium; sed spes addit ex parte objecti quamdam specialem rationem scilicet arduum et possibile adipisci: et ideo ponitur specialis virtus. Sed gaudium ex parte objecti nullam specialem rationem addit supra amorem, quae possit causare specialem virtutem."

[28] De Poenitentia, disp. 34, a. 1, n. 10, Curs. Theol., t. 9, Parisiis, 1885, p. 643.

Obj. 15. Inter homines per eamdem virtutem justitiae commutativae fit tum compensatio pro rebus acceptis (in contractibus venditionis et emptionis) tum compensatio pro injuriis illatis; utraque enim compensatio habet eamdem rationem reddendi alteri debitum. Ergo a pari relate ad Deum per eamdem virtutem fit compensatio tum pro beneficiis acceptis, quod pertinet ad Religionem, tum pro injuriis illatis, quod pertinet ad Poenitentiam. Ergo Poenitentia est eadem virtus cum Religione.

Resp. *Imprimis,* haec ratio nimis probat. Ex ea enim sequeretur ipsam Religionem, non secus ac Poenitentiam, supprimendam esse, uti distinctam virtutem, et utramque aequo jure confundendam esse cum tertia quadam innominata virtute, quae vocari posset imperfecta justitia relate ad Deum; nisi velis hanc ipsam vocare Religionem ac ludere in verbis.

Ceterum, ad hanc quamcumque generaliorem rationem Religionis reducendam esse Poenitentiam nequaquam evincit allatum argumentum.

Cui *respondent quidam,* uti *Soto* et *Valentia, negando ipsum antecedens,* eo quod, inquiunt, etiam in humanis alia est virtus qua solvitur debitum pro rebus acceptis, i.e. justitia, et alia qua fit satisfactio pro offensis, quaeque, cum non habeat determinatum nomen, potest vocari poenitentia humana, ob eius analogiam cum virtute Poenitentiae qua dicimus hominem satisfacere pro injuriis Deo illatis.

Attamen, voluntarius iste recursus ad poenitentiam humanam prorsus abiciendus videtur, tum ob rationem tactam ab obiciente, quia nempe sufficit virtus justitiae ex formali ratione sui obiecti ad explendum utrumque munus compensationis, tum quia praedicta virtus poenitentiae humanae est quid inauditum apud doctores, tum quia non quadrat cum doctrina S. Thomae (hic, a. 3, corp. et ad 3, cit. in p. 305 et 307 sq.) reducentis compensationem pro offensis ad justitiam commutativam.

Unde *respondetur* cum aliis thomistis, ut *Joanne a S. Thoma, Gonet* et *Salmanticensibus, concedendo antecedens et negando consequens et paritatem.*

Alia enim et alia est ratio justitiae inter homines et justitiae ad Deum. Prior enim est perfecta ratio justitiae importans perfectam aequalitatem in reddendo debito, adeoque valet absolvere utrumque munus compensandi pro acceptis et satisfaciendi pro offensis, cum haec duo materialiter se habeant ad formalem rationem aequalis compensationis quae respicitur a justitia. E converso, ab homine ad Deum, cum non detur aequalitas, tum in compensando pro acceptis tum in satisfaciendo pro offensis, non datur perfecta justitia nec proinde datur una quaedam virtus quae utrumque munus absolvere queat, sed, loco justitiae, ponendae sunt duae distinctae virtutes quarum unaquaeque alterutrum munus absolvat, scilicet Religio et Poenitentia. Hae enim nequeunt directe ad invicem reduci, cum habeant diversum actum exequendum, nec possunt convenire in tertiam communiorem rationem virtutis, cum non sit unde talis ratio accipiatur, quemadmodum accipitur in ratione justitiae humanae.

Nec juvat pro tali ratione communi, assumere genericam rationem reddendi Deo debitum quomodolibet. Nam ratio reddendi debitum est ratio quaedam analogica et indeterminata, quae non dividitur in rationes reddendi ad aequalitatem et ad inaequalitatem sicut genus in species, sed sicut in rationem perfectam et rationem imperfectam in eodem ordine; unde nequit constituere aliquam determinatam speciem, sed tantum plures species, quarum una se habeat ut perfectum et alia ut imperfectum in eodem ordine, quo praeciso modo se habent virtus justitiae ex una parte et Religio, Poenitentia, pietas et observantia ex alia parte. Nec ipsa imperfecta ratio reddendi debitum ad inaequalitatem potest assumi ut ratio specificans unam virtutem, quia non est aliqua ratio positiva in qua plura convenire possint, sed tantum negativa, importans nempe defectum convenientiae cum perfecta debiti redditione, defectus autem non est unitivus sed dissolutivus et multiplicativus, juxta illud "Bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu".

Ceterum, si generica ratio reddendi debitum posset specificare unam virtutem, supprimeretur inde distinctio inter justitiam, pietatem et observantiam, etiam in humanis; item, si negativa ratio reddendi ad inaequalitatem posset specificare unam virtutem, haec in se absorberet non tantum virtutem Poenitentiae sed etiam Religionem, et sic, una cum Poenitentia, evanesceret distincta virtus Religionis, ut supra dictum est.

Obj. 16. Poenitentia non distinguitur a virtute *charitatis.* Nam Poenitentia respicit malum divinum, seu offensam Dei, ab ea fugiendo, charitas autem respicit bonum divinum, seu bonitatem Dei, eam appetendo; eiusdem autem virtutis est respicere bonum et malum, ac appetere bonum et fugere a malo. Ergo Poenitentia non est nisi actus secundarius charitatis.

Resp. Ut explicatum est in Concl. 2 et 3 (p. 289 et 290 sq.), Poenitentia et charitas diversimode respiciunt bonum et malum divinum et diversimode important appetitum boni divini et fugam a peccato. Charitas scilicet respicit bonum divinum secundum se et appetendum, et con-

sequenter peccatum ut simpliciter detestandum; Poenitentia vero formaliter respicit jus divinum compensandum, et consequenter peccatum ut laesionem juris divini reparandam; paucis, charitas amat, Poenitentia satisfacit.

CONTRA CONCL. 4, qua statuitur Poenitentiam esse *virtutem moralem.*

Obj. 17. Poenitentia non est virtus moralis, sed theologica. Nam virtus quae non consistit in medio ex parte proprii objecti (seu quae non habet medium in attingentia sui objecti) non est virtus moralis sed theologica, ut docet *S. Thomas* in 2–2, q. 17, a. 4, ad 2. Jamvero Poenitentia non consistit in medio, seu nullum habet modum aut mensuram in attingentia sui objecti, cum non possit esse excessus in detestatione peccati imo hoc sine limite detestari debeat, sicut non est excessus in amando Deum qui debet e contrario sine mensura amari.

Resp. Etiam Poenitentia consistit in medio, quia ejus objectum seu actus detestationis peccati, utpote quid creatum et finitum, est mensurabile a dictamine rationis per prudentiam. "Pertinet [enim] . . . ad rationem rectam ut aliquis doleat de quo dolendum est, et eo modo et fine quo dolendum est; quod quidem observatur in poenitentia . . .; nam poenitens assumit *moderatum dolorem* de peccatis praeteritis cum intentione removendi ea" (*hic, a. 1*).

Ad cujus intelligentiam haec nota ex *S. Thoma* (praecipue in 1–2, q. 64).

Medium in virtutibus accipitur per conformitatem objecti virtutis ad suam regulam vel mensuram, quatenus scilicet objectum non excedat regulam nec ab ea deficiat; in ipsa autem mensura non est accipere medium et extrema.

In *virtutibus igitur theologicis,* et in ipsis tantum, per se seu attenta ipsa ratione virtutis desumpta ex proprio obiecto, non datur medium, quia non datur distinctio inter obiectum et mensuram, nec ideo datur obiectum mensuratum, cum earum obiectum sit ipsa mensura, seu ipse Deus qui a nullo mensuratur et est omnium mensura (cf. etiam 2–2, q. 17, a. 5, ad 2). Unde, attenta ipsa virtute, non potest esse excessus in credendo, sperando et amando Deum. Per accidens tamen, seu ex parte subiecti et relate ad obiectum secundarium, datur mensura in virtute theologica, quatenus tenemur credere, sperare et amare Deum secundum mensuram nostrae conditionis; ita in virtute spei "quantum ad ea quae confidit aliquis se adepturum, potest . . . esse medium et extrema, inquantum vel praesumit ea quae sunt supra suam proportionem, vel desperat de his quae sunt sibi proportionata" (*2–2, q. 17, a. 5, ad 2*); et similiter potest esse excessus in amore Dei, ut si quis in eius contemplatione tantum delectetur, ut inde retrahatur ab operibus charitatis proximi et ab observatione aliorum praeceptorum. In his casibus datur medium non in obiecto virtutis, sed in subiecto operante virtuose, ipsumque assignatur et mensuratur a ratione per prudentiam.

In *virtutibus intellectualibus,* tam speculativis quam practicis, quae habent verum ut suum bonum seu ut suum obiectum (speculativae quidem, verum absolute, practicae autem, verum conformiter ad appetitum rectum), medium consistit in conformitate ad id quod est mensura veri, i.e. in conformitate cum ipsa re, secundum quod dicitur esse quod est et non esse quod non est. Attamen in virtute intellectuali practica, qualis est *prudentia,* istud medium regulatum ab ipsa re, scilicet rectitudo rationis, accipit rationem regulae et mensurae relate ad appetitum; unde prudentia et virtutes morales quae sunt in appetitu, habent idem medium, sed prudentia illud habet ut regulans ac mensurans, virtutes vero morales ut regulatae et mensuratae.

In *virtutibus moralibus,* quae perficiunt appetitum circa aliquam determinatam materiam, medium consistit in conformitate cum recta ratione seu cum dictamine prudentiae, nam mensura et regula appetitus circa appetibilia est ipsa ratio. Modus autem quo accipitur tale medium in virtute *justitiae* est alius ab eo qui contingit in duabus aliis virtutibus cardinalibus, scilicet *fortitudine* et *temperantia.* Nam materia justitiae non sunt subiectivae passiones, sed operationes quae consistunt in rebus exterioribus, in quibus rectum institui debet simpliciter et secundum se, et ideo medium rationis est idem cum medio rei, quatenus scilicet justitia dat unicuique quod debet, nec plus nec minus (cf. etiam 2–2, q. 58, a. 10 et 11; q. 80, a. un.). Materia vero fortitudinis et temperantiae sunt interiores passiones, ad quas homines diversimode se habent, et ideo in his virtutibus medium rationis non est idem ac medium rei sed accipitur diversimode per respectum ad varios homines.

S. Thomas, hic, a. 3, ad 2, formaliter assignat medium justitiae, inquiens: "*Medium justitiae est aequalitas,* quae constituitur inter illos inter quos est justitia".

Poenitentia autem non est virtus theologica, quia ut dictum est in Concl. 4, non habet Deum pro obiecto nec ideo pro mensura, nec est virtus intellectualis, ut patet, sed virtus moralis, pertinens ad cardinalem virtutem justitiae. Unde in ipsa medium accipitur sicut in virtute morali, scilicet per conformitatem ad rationem rectam seu dictamen prudentiae, et quidem sicut in virtute justitiae, ita nempe quod medium rationis sit medium rei, seu ita quod operatio, in qua Poenitentia consistit, sit talis qualis ab ipso ordine rerum exigitur. Ordo autem rerum et recta ratio exigit moderatum dolorem de peccato, ad hoc ut per

aversionem voluntatis a peccato, seu a laesione juris divini, haec ipsa laesio per aliquam imperfectam aequalitatem seu proportionem compensetur et, per subtractionem illius quod homo plus habuit peccando, compensetur Deus pro eo quod Ipsi subtractum est ab homine per peccatum.

Medium igitur Poenitentiae *essentialiter* consistit in hac praecise imperfecta seu proportionali aequalitate, juxta quam redditur Deo regulata seu humanae possibilitati proportionata compensatio pro peccato, quatenus tantum proportionaliter Deo restituitur per dolorem, quantum ab eo subtractum est per peccatum.

Accidentaliter praeterea medium Poenitentiae consistit in eo quod moderatae poenae et satisfactiones assumuntur pro poena peccato debita; item, in eo quod passio sensibilis doloris ac tristitiae, quae interiorem dolorem saepe comitatur, per dictamen prudentiae moderatur; item, in eo quod per eiusdem prudentiae regulationem impeditur homo ne ita intense ac continuo insistat actibus displicentiae pro peccato, ut inde retrahatur ab actibus aliarum virtutum qui magis urgeant in aliquo determinato tempore.

Nequaquam vero medium Poenitentiae consistit in hoc quod fiat aliqua discriminatio in peccatis, ita ut quaedam detestentur et alia retineantur, quemadmodum temperantia ponit medium in delectationibus, quasdam abiciendo et quasdam retinendo; nec consistit in hoc quod imponatur quaedam remissio in actu detestationis peccati, vel quoad intentionem vel quoad durationem, ita ut non possit quis conari ad peccatum detestandum quantum aut quam diu potest, quemadmodum per temperantiam et fortitudinem regulantur passiones de quarum ratione est quod possint habere superfluum quoad intensionem et durationem.

Ad rem faciunt sequentia verba *S. Thomae:*

Hic, a. 3, ad 2: "Medium justitiae est aequalitas, quae constituitur inter illos inter quos est justitia, ut dicitur [Ethic., l. 5, c. 1]. In quibusdam autem non potest perfecta aequalitas constitui propter alterius excellentiam, sicut inter patrem et filium, aut inter Deum et hominem, ut Philosophus dicit [Ethic., l. 8, c. ult.]; unde in talibus ille qui est deficiens, debet facere quidquid potest. Nec tamen hoc erit sufficiens simpliciter, sed solum secundum acceptationem superioris; et hoc significatur per excessum, qui attribuitur poenitentiae."

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 4, ad 4: "Medium in justitia non eodem modo accipitur, et in aliis virtutibus moralibus, ut in III lib. [Dist. 33] dictum est. Accipitur enim justitiae medium per adaequationem rei ad rem. Haec autem adaequatio fit in justitia commutativa, quando ab eo qui plus habuit, aliquid subtrahitur, et ei qui minus

habuit, additur. Ille autem qui alterum offendit vel laesit, plus habuit; et qui laesus est, habuit minus; inquantum huic subtractum est quod ei debebatur, et ille usus est propria voluntate in hoc quod non debuit; et ideo vindicativa justitia ab eo qui offensam fecit, quantum habuit plus debito, tantum subtrahit ei, et dat illi qui est laesus, dum ad honorem et in satisfactionem ejus alium punit. Sic ergo vindicativa justitia constituit medium in offensis, quae sunt ejus materia, non quidem tenendo medium in offensis, ut quasdam retineat et quasdam abjiciat, sicut temperantia ponit medium in delectationibus; sed omni offensae proportionando poenam debitam. Et similiter poenitentia pro quolibet peccato commisso poenam infert sibi ipsi debitam, non autem ita quod dimittat aliquod peccatum, et aliquod retineat."

Suppl., q. 4, a. 2: "Haec est conditio in actibus virtutum inventa, quod non potest in eis accipi superfluum, et diminutum, ut probatur in lib. ii Ethic. [c. 6 et 7]. Unde cum contritio, quantum ad id quod est displicentia quaedam in appetitu rationis, sit actus poenitentiae virtutis, nunquam potest ibi esse superfluum, sicut nec quantum ad intensionem, ita nec quantum ad durationem, nisi secundum quod actus unius virtutis impedit actum alterius magis necessarium pro tempore illo. Unde quanto magis homo continue in actibus hujus displicentiae esse potest, tanto melius est, dummodo actibus aliarum virtutum vacet suo tempore, secundum quod oportet. Sed passiones possunt habere superfluum et diminutum, et quantum ad intensionem, et quantum ad durationem. Et ideo sicut passio doloris, quem voluntas assumit, debet esse moderate intensa, ita debet moderate durare, ne si nimis duret, homo in desperationem, et pusillanimitatem, et hujusmodi vitia labatur" (cf. q. 3, a. 2, infra cit., in art. 25).

CONTRA CONCL. 5, qua statuitur Poenitentiam esse *partem potentialem justitiae commutativae.*

Obj. 18 (*Lugo*). Poenitentia non pertinet ad virtutem *justitiae,* quia, ut explicatum est supra (p. 283 sq.), *primo,* non omne peccatum importat proprie dictam injuriam seu injustitiam in Deum; *secundo,* etiam si omne peccatum importat injuriam, non inde resultat debitum reparandi ex justitia; *tertio,* si hoc debitum resultaret, peccator teneretur sub poena novi peccati actualis ad conterendum quam primum.

Resp. Hae Lugonis rationes, quae jam prima fronte singulares apparent, fallaci prorsus argumentatione proponuntur et in nutantibus principiis fundantur.

Prima ratio peccat in eo quod distinguat relate ad Deum inter rationem injuriae et rationem offensae, ita ut hae sint ab invicem

separabiles, necnon inter rationem Domini et rationem Legislatoris. Cum enim Deus habeat plenissimum jus dominationis in omnes actus humanos, ita ut isti ad eum tanquam ad ultimum finem dirigi debeant, in omni peccato quo homo avertitur a Deo, ut ab ultimo fine habetur ratio non solum offensae Dei sed etiam injuriae seu violationis juris divini (cf. De Veritate, q. 28, a. 2).

Secunda ratio, quod nempe ex injuria in Deum non sequatur debitum reparandi, adversatur ipsi sensui communi interpretanti legem ipsam naturalem, qua quis tenetur ex justitia ad reparandum damnum alteri illatum seu ad resarciendum jus laesum, ubi agitur de stricto jure ex parte personae offensae, quemadmodum ex parte Dei. Ex hoc autem quod homo non possit reparare ponendo illum eundem numero actum quem omisit, sequitur tantum quod non possit offerre restitutionem, non vero quod non possit offerre compensationem, per ipsum nempe actum Poenitentiae; item, ex hoc quod iste novus actus sit jam in potestate Dei, seu pluribus aliis titulis debeatur, non sequitur per ipsum non posse fieri compensationem ex vera justitia, sed tantum quod haec compensatio seu satisfactio non sit stricta et perfecta justitia atque condigna satisfactio, secus inde negaretur possibilitas omnis meriti de condigno et omnis proprie dictae satisfactionis hominis ad Deum.

Tertia ratio procedit ex male intellecta ratione praecepti poenitendi; est enim praeceptum positivum, non negativum, adeoque obligat semper, sed non pro semper i.e. statim vel quam primum. Actus enim poenitendi est quid positivum nec ceterum importat proprie restitutionem ejus quod subtractum est, cum actus omissus poni iterum non possit, sed compensationem pro eo quod omissum est.

Obj. 19 (*Lugo.*). Si Poenitentia pertinet ad justitiam, dicenda est justitia perfecta ita ut identificetur cum virtute justitiae vel sit ejus pars subjectiva, *non vero ejus pars potentialis.* Ita Lugo (Disp. 2, sect. 1, n. 6–8) qui, *in favorem Suaresii,* sequentibus rationibus conatur infirmare vim argumenti propositi in Concl. 5 (Quarta pars):

1. Rationi justitiae prorsus materiale et accidentale est quod habeatur aequalis vel inaequalis compensatio, dummodo quis compenset quantum potest; justitia enim formaliter solum obligat ad ponendam aequalitatem inquantum poni potest, totalem nempe vel partialem, pro viribus; repugnat quippe deberi ex justitia plusquam praestari possit. Unde si Poenitentia importat debitum compensandi pro peccato, est eo ipso perfecta justitia, quamvis nequeat nisi inaequaliter compensare.

2. Ceterum, proprie loquendo, satisfactio inaequalis debita ad modum justitiae est quid repugnans. Nam si quis ita satisfacit ut reparet partialiter debitum vel offensam, jam satisfacit aequaliter pro parte, adeoque ex perfecta justitia, sicut qui debet centum et dat

decem, quae sola habet, satisfacit ex perfecta justitia, pro parte debiti, seu pro decem. Unde si Poenitentia potest ex debito justitiae satisfacere partialiter pro peccato, jam satisfacit aequaliter pro parte, et est perfecta justitia.

3. Quod homo non possit ad aequalitatem satisfacere Deo, non est quid essentiale sed accidentale homini, nam potest natura humana elevari ad unionem hypostaticam et condigne satisfacere, ut patet in mysterio Incarnationis. Unde si admittitur quod homo per Poenitentiam vere satisfaciat pro peccato, etsi partialiter, nequit inde concludi Poenitentiam non esse perfectam justitiam.

4. Poenitentia satisfacit totaliter et ad aequalitatem pro peccatis venialibus; si ergo Poenitentia importat debitum et actum justitiae, dicenda est perfecta justitia, saltem relate ad peccata venialia.

Resp.

1. Rationi justitiae, acceptae simpliciter pro formali virtute justitiae, nequaquam accidentalis sed omnino essentialis est ratio aequalitatis, et quidem aequalitatis simpliciter dictae seu a parte rei, qua nempe tantum de facto et a parte rei reddatur, quantum debetur, et non solum quantum possibile est ex parte subiecti; et in hoc praecise justitia distinguitur ab aliis virtutibus quod eius medium non accipitur per relationem ad subiectum sed ad ipsam rem, unde dicitur in ea medium rationis esse ipsum medium rei (cf. supra in resp. ad obj. 17; item 2–2, q. 58, a. 10 et 11; q. 80, a. un.). Unde ex hoc ipso quod Poenitentia reddit Deo debitum non quantum homo debet sed quantum potest, deficit a ratione virtutis justitiae.

2. Contradictionem implicat tantum satisfactio inaequalis et justitia perfecta (seu formalis virtus justitiae), non vero satisfactio inaequalis (seu imperfectae et proportionalis aequalitatis) et justitia imperfecta (seu pars potentialis justitiae), qualis est praecise Poenitentia. Adductum autem exemplum reddentis decem pro cento quae debet, non est ad rem; nam sive satisfactio sive injuria Dei non sunt quid divisibile, quemadmodum centum libellae, nec proinde potest pars satisfactionis aequaliter satisfacere pro parte injuriae, eo vel magis quod injuria Dei est quid infinitum et diversae prorsus rationis a satisfactione hominis.

3. Est essentiale humanae naturae, ad unionem hypostaticam non elevatae, quod non possit satisfacere ad aequalitatem, imo est simpliciter essentiale ipsi humanae naturae quod non possit satisfacere ad aequalitatem pro peccato proprio, i.e. condigne poenitere, nam peccatum proprium non potest contingere in natura ad unionem hypostaticam elevata.

4. Concedimus contra quosdam theologos, etiam thomistas, Poeni-

tentiam satisfacere de condigno (quamvis non de toto rigore justitiae, ut patet) pro peccatis venialibus, sed inde non sequitur Poenitentiam esse perfectam justitiam, quia talis non est respectu peccati mortalis, quod est primarium eius obiectum. Species enim virtutis derivatur tantummodo a primario actu et obiecto (cf. 2–2, q. 28, a. 4), sicut charitas specificatur ab amore, non vero a desiderio vel gaudio, et religio specificatur a cultu divino; unde ex hoc quod Poenitentia satisfaciat condigne pro peccatis venialibus, imo et pro poena temporali mortalibus debita, non sequitur eam esse perfectam justitiam, quemadmodum idipsum dici nequit de religione, quamvis et ista in aliquo actu secundario, uti in solutione decimarum, servet strictam aequalitatem. Confer quae de hac re dicuntur infra, tum in art. 14 (p. 376), tum ac praecipue in art. 52 et 54 (Cap. VI De Satisfactione).

Dices. Satisfactio pro peccatis venialibus fit per ipsum actum contritionis qui est primarius actus Poenitentiae.

Resp. In ipso actu contritionis, qui secundum se et relate ad alios actus est primarius actus Poenitentiae, facienda est distinctio relate ad eius obiecta, ita ut relate ad peccatum mortale et poenam aeternam ipse sit actus primarius, relate vero ad peccatum veniale et ad poenam temporalem, tam pro venialibus quam pro mortalibus debitam, sit tantummodo actus secundarius; primo enim et per se contritio tendit ad auferendam simpliciter dictam aversionem a Deo, seu simpliciter dictum peccatum, et ad amicitiam divinam restaurandam, ex consequenti vero, ac ideo secundario, tendit ad remotionem eorum quae talem amicitiam quodammodo minuunt, seu peccatorum venialium, et extinctionem poenarum ex peccatis consequentium.

Instes. Actus Poenitentiae seu satisfactionis debet esse ejusdem rationis formalis tam relate ad peccata venialia quam relate ad mortalia, cum in utroque casu procedat ab eodem habitu qui specificatur ab unica ratione formali sub qua. Ergo unum de duobus: aut admittitur perfecta ratio aequalitatis et justitiae in utroque casu, aut in utroque negatur.

Resp. Antecedens, tum quoad directum assertum de actu Poenitentiae tum quoad adjectam probationem de unica ratione formali specificante habitum, non est simpliciter verum sed cum distinctione accipiendum.

Nam omnes quidem actus alicujus potentiae vel habitus debent respicere formale atque unicum objectum ejusdem ac procedere sub eadem formali ratione sub qua, non tamen omnes eodem modo; nam ad solam rationem actus principalis requiritur ut illud objectum respiciatur ut formale immediatum, ad rationem vero actus secundarii sufficit ut idem objectum formale respiciatur mediate, i.e. ut radix et causa movens illum actum ad attingendum aliud formale et immediatum objectum, cum ipso connexum et ad ipsum ordinatum. Unde duplex distingui debet objectum formale alicujus potentiae vel habitus, alterum principale, immediatum et specificativum, ad quod proxime tendit actus primarius, alterum secundarium, mediatum et consecutivum, quod totum ad principale tamquam ad causam et finem ordinatur, et ad quod proxime tendit actus secundarius et remote ipse actus principalis.

Nec id cogimur asserere quoad solam virtutem Poenitentiae. Nam ipsa charitas, quamvis sit una specifice virtus, praeter actum principalem amoris Dei, quo immediate attingit suum objectum formale, elicit etiam distinctum actum secundarium amoris proximi, qui non ipsum Deum sed proximum immediate attingit; et similiter, quamvis primarius actus voluntatis sit intentio finis, qui est formale et specificativum objectum voluntatis, tamen, ratione ipsius intentionis finis, voluntas elicit etiam secundarium actum electionis mediorum, cujus objectum proximum et formale non est ipsa bonitas finis, sed ipsa utilitas mediorum, seu ipsa relatio et conducentia mediorum ad finem.

Obj. 20. (*Durandus, Suarez, Reynaud*). Ad eandem virtutem pertinet servare jus illaesum et laesum reparare. Atqui servare jus illaesum est proprium objectum justitiae. Ergo Poenitentia, quae est reparatio juris divini laesi, non distinguitur a virtute justitiae, nisi forte ut ejus pars subjectiva.

Resp. *Conc. mai. Dist. min.:* Proprium objectum justitiae est jus illaesum servare, et consequenter reparare, quomodolibet, *nego;* illud servare et reparare secundum aequalitatem, seu servare aequalitatem inter duo, *concedo. Contradist. cons.:* Poenitentia est reparatio juris divini secundum aequalitatem, *nego;* secundum inaequalitatem, *concedo* vel *subdist.:* est reparatio juris divini proprie et stricte sumpti, i.e. boni divini relate ad creaturas prout Deus consideratur ut Dominus et Legislator, *concedo;* est reparatio juris divini late sumpti, i.e. boni divini considerati secundum seipsum vel boni moralis quod est quaedam boni divini participatio in creaturis, *nego,* nam ita jus divinum est objectum charitatis et aliarum virtutum.

Ad quorum intelligentiam et ad vitandas confusiones quae facile ex modo loquendi oriuntur, haec nota:

1. "*Servare jus illaesum*" est ambigua expressio nec in omni sensu exprimit primarium actum justitiae aut actum qui praecedat ipsam reparationem juris laesi. Sicut enim de ratione virtutis in genere est prosequi bonum et vitare malum, seu constituere bonum et illud ser-

vare, ita de ratione justitiae est primo constituere justum, secundo illud servare (*2–2*, q. 79, a. 1, corp. et ad *3*); justum autem constituere est reddere alteri quod ei debetur, sive dando sive restituendo; unde servare jus illaesum est quid posterius tum datione tum restitutione.

In Poenitentia igitur jus constituitur per ipsam restitutionem, seu melius per ipsam compensationem pro violatione quorumlibet praeceptorum quae sunt materia aliarum virtutum, quae quidem compensatio continetur in ipso actu contritionis, qui propterea constituit primum et positivum elementum hujus virtutis, i.e. "bonum prosequi". Secundum autem ac negativum elementum, i.e. "vitare malum", consistit in proposito non peccandi de cetero, per quod servatur jus, compensativa contritione constitutum.

2. *"Servare jus divinum illaesum"* (in quo adversarii saepe insistunt ad probandum quod Poenitentia identificatur cum justitia) dupliciter accipi potest, juxta duplicem significationem juris divini, alteram nempe impropriam, alteram propriam.

Primo enim ac *improprie*, jus divinum servatur illaesum per observationem praeceptorum, sive generaliter acceptam (qua nempe homo totaliter rectificatur et subicitur Deo), sive particulariter seu relate ad unam vel alteram materiam, puta charitatis, religionis, castitatis. Hic jus divinum accipitur non proprie ut objectum justitiae, sed pro bono divino generaliter aut particulariter considerato, ac respicitur non a Poenitentia, sed generaliter ab omnibus virtutibus sub dominatione charitatis (cf. *2–2*, q. 24, a. 12) et particulariter ab unaquaque in propria materia.

Secundo et *proprie*, jus divinum servatur illaesum per redditionem ejus quod Deo debetur ex debito justitiae seu cujusdam aequalitatis; quae quidem redditio contingit dupliciter: vel per dationem seu commutationem pro acceptis, quod fit per virtutem religionis, vel per compensationem seu commutationem pro ablatis in offensis, quod fit per Poenitentiam. Ita hae duae virtutes dividunt inter se duplex munus pertinens ad unam virtutem justitiae humanae, quae, secundum specificam suam rationem, inter hominem et Deum salvari non potest.

Obj. 21. Per actum contritionis fit Deo aequalis ac perfecta compensatio seu satisfactio pro peccato, nam per contritionem restituitur ratio ultimi finis quae fuerat ablata per peccatum. Ergo Poenitentia habet rationem perfectae justitiae, seu est formalis virtus justitiae.

Resp. Negatur antecedens necnon suppositum additae rationis, nam in restituenda ratione ultimi finis nequaquam perfecta satisfactio continetur. Ad cujus rei intelligentiam adverte peccatum dupliciter considerari posse, i.e. ex parte hominis et ex parte Dei.

Primo modo peccatum importat privationem gratiae et ordinationis ad ultimum finem ac est quid finitum, sicut subjectum in quo recipitur; unde bonitas actus contritionis, importans reconversionem voluntatis ad ultimum finem, ex una parte aequat malitiam peccati, imo saepe superexcedit, cum nempe peccatum adversatur virtutibus inferioribus ipsi charitati, ex qua actus contritionis procedit; ex alia tamen parte non habet moralem rationem compensationis seu satisfactionis, sed tantum physicam rationem restaurationis, nam malum ipsius subjecti qua tale non petit satisfactionem, quae est essentialiter ad alterum.

Secundo vero modo, seu ex parte Dei et ut malum et offensa Dei, peccatum assumit moralem rationem infinitae malitiae; contritio vero assumit quidem rationem satisfactionis, utpote ad alterum, sed ejus moralis bonitas non aequat malitiam peccati, cum maneat finita; bonitas enim honoris seu satisfactionis mensuratur ex dignitate personae honorantis, dum malitia offensae seu peccati mensuratur ex dignitate personae offensae.

Ceterum, de his fuse et ex professo agetur infra, in art. 50 (Cap. VI De Satisfactione).

ART. 13. Utrum Primarius Actus Elicitus Poenitentiae Sit Contritio, Seu "Animi Dolor Ac Detestatio . . . De Peccato Commisso, Cum Proposito Non Peccandi De Cetero" (q. 85, a. 1. 2. 3; Suppl., q. 1, a. 1).[29]

STATUS QUAESTIONIS

Ex consideratione ipsius virtutis descendimus ad considerationem actus, qui ab ipsa procedit, eo fine ut formalius ac praecisius determinetur ratio illius actus, ex quo, tanquam ex termino specificante, determinavimus in art. praec. ipsam formalem rationem virtutis.

Agitur tantummodo *DE IPSA ESSENTIA CONTRITIONIS;* de ejus enim divisione, proprietatibus, efficacitate et sacramentali indole, erit sermo in sequenti Capite III.

Quaeritur igitur, *primo:* an actus contritionis, prout definitur in textu articuli ex Conc. Trid., sit actus virtutis Poenitentiae, tum elicitus seu proprius, tum primarius seu formalis. *Secundo,* ad complementum istius, additur subtilior quaestio: in quonam ex tribus elementis, expressis in praedicta definitione, ipsa contritio formaliter consistat, an scilicet in dolore potiusquam in detestatione aut in proposito. *Tertio,* quaeritur: an praeter contritionem sint alii actus eliciti, nec tantum imperati, a virtute Poenitentiae.

[29] *Conc. Trid.*, sess. 14, cap. 4; cf. *Conc. Flor.*, Decr. pro Armenis, in quo omittitur mentio detestationis.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

In praedictis quaestionibus decidendis non desunt quaedam theologorum discrepantiae, quae ceterum magis intenduntur in quaestione de obiecto formali, discutienda in art. seq.

QUOAD PRIMAM ET PRINCIPALEM QUAESTIONEM, non levem notam discordantiae a communiori sententia introducunt plures theologi cum *Vasquez* (Hic, In a. 2, dub. unic., n. 17 sqq.), docentes contritionem non esse actum primarium et formalem Poenitentiae, imo nec elicitum ab ea. Volunt nempe formalem actum Poenitentiae esse tantummodo *voluntatem compensationis*, actum vero doloris seu detestationis, qui illi coniungitur, pertinere ad virtutem charitatis, ita ut duo illi actus, quamvis simul inveniantur, imo prior alterum imperet, tamen nequaquam in unum coalescant nec invicem ab intrinseco subordinentur, puta ad modum intentionis et electionis ex eadem virtute procedentium, sed pertineant ad distinctas virtutes concurrentes in unam materiam.

Ad rem Lugo: "Multorum sententia nunc est, motivum formale poenitentiae esse bonum compensationis: itaque praecipuus actus hujus virtutis est velle compensare, seu satisfacere Deo pro offensa, propter bonum, quod invenit in hoc, quod est compensare, seu satisfacere. Ex quo inferunt . . . non elici ab hac virtute actum doloris, vel retractationis circa peccata praeterita; quia ille actus non posset habere pro motivo formali bonum compensationis: peccata enim praeterita non opponuntur compensationi futurae, imo necessaria sunt, ut postea subsequatur aliqua compensatio; quare si haec virtus deberet de illis decernere; potius debuisset velle quod fuissent ut fuisset occasio ponendi compensationem, quam solam haec virtus formaliter vult. Caeterum dicunt poenitentiam ex affectu circa compensationem impetrare retractationem, et dolorem eliciendum, non a se, sed ab aliis virtutibus, scilicet, a charitate, a spe, a religione, et ab aliis: eligit enim poenitentia illos actus doloris, et retractationis ut media utilia, et necessaria ad suum finem consequendum, nempe ad compensationem, et satisfactionem pro peccatis: quod est proprium objectum poenitentiae, et a quo accipit sufficientem distinctionem, qua differat a reliquis virtutibus."[30]

Inter modernos eandem sententiam eligit *Billot*, qui scribit: "Facile est distinguere proprium poenitentiae actum, qui scilicet non habet ex alio laudem nisi quia est poenitentiae, ab actibus imperatis in quibus specialis huius virtutis honestas eatenus tantum resplendet, quatenus

[30] Disp. schol., t. 4, De Poenitentia, disp. 2, sect. 2, n. 16, Parisiis, 1892, p. 379.

ad finem eius assumuntur. Actus enim proprius, qui alias dici solet elicitus, est *voluntas faciendi id quod destruat offensam*, compensando illam tam quoad formale quam quoad materiale. Quia vero haec compensatio exhiberi nequit nisi per *aliarum virtutum actus*, ideo, hos omnes poenitentia ordinat ad obiectum suum; et sic *dolor de peccato ex motivo charitatis*, sic confessio et humilis sui ad Deum offensum submissio, sic oratio, abstinentia, eleemosyna, aliaque eiusmodi, erunt actus imperati virtutis poenitentiae [cf. In IV, D. 14, q. 1, a. 1, q. 3, ad 2m]. Et simile quid apparet in humanis, ubi reparatur iniuria per actum urbanitatis, observantiae, duliae, submissionis, etc. Sed ipsa voluntas reparandi, et actus praedictos ordinandi ad reparationis finem, specialem habet iustitiae commutativae honestatem, et huic respondet actus elicitus in praesenti.

"Observandum tamen quosdam esse actus, qui ab aliis virtutibus elicitive procedentes, ex sua nihilominus ratione intrinseca protestantur veluti exercite voluntatem satisfaciendi Deo et destruendi offensam eius. Quo in genere eminet actus doloris et detestationis de peccato qui dicitur contritio. Licet enim contritio ad charitatem pertineat quando ex motivo amoris Dei super omnia concipitur, vel alias diversas honestates [i.e. virtutes] sibi vindicet quando habet motiva inferiora: attamen cum sit directe et essentialiter contra peccatum ut est offensa Dei, semper constituit, vel perfecte vel imperfecte, eam compensationem quam poenitentia vult exhibere; unde semper protestatur, saltem in actu exercito, voluntatem cuiusdam satisfactionis Deo offerendae. Et haec ratio est cur contritio magis ad poenitentiam pertinere intelligatur quam caeteri actus imperati; nam oratio, ieiunium, eleemosyna, et alia similia, certo certius ad poenitentiae finem sunt maxime ordinabilia, sed hanc ordinationem in actu secundo ex seipsis solis non habent, nisi specialis accedat intentio operantis."[31]

QUOAD ALTERAM ET SECUNDARIAM QUAESTIONEM, *quidam* imprimis dicunt non distingui inter se actum detestationis et actum doloris, distingui vero ab eis actum propositi, eo quod duo priores ambo respiciant peccatum praeteritum, propositum vero respiciat futurum; sed *communis sententia* admittit distinctionem etiam inter detestationem et dolorem ob diversum obiectum formale et ex eo quod sint separabiles, ut patet in beatis, qui detestantur peccata praeterita, de quibus amplius dolere non possunt.

Praeterea, quidam, ut *Cajetanus* et praecipue *Suarez* (Disp. 3, sect. 4, n. 6), docent contritionem formaliter consistere non in dolore sed in detestatione, quia detestatio est ipsa causa et radix doloris et quia detestatio, non vero dolor, est actus liber; *alii*, ut *Gonet* (Disp. 7, a. 1),

[31] De sacram., t. 2, thes. 6, § 2, Romae, 1930, p. 64 sq.

Billuart, Hugon, Diekamp, docent eam consistere formaliter in dolore (praesuppositive vero in detestatione, consecutive in proposito), eo quod id magis concordet sensui traditionali et indoli Poenitentiae; *alii*, ut *S. Alphonsus* (n. 434), *Billot* (thes. 12, § 1), *Galtier* (n. 52–54), *Pesch* (n. 113), *Gihr* (§ 13), *Hervé* (n. 255), dicunt eam consistere formaliter in utroque actu detestationis et doloris, ob rationes utriusque sententiae, principaliter tamen in detestatione, ob rationes primae sententiae; *alii*, ut *Lugo* (Disp. 4, sect. 1, n. 6), dicunt hanc esse quaestionem de modo loquendi et quamlibet praedictarum sententiarum sustineri posse, quia Poenitentia non habetur nec in detestatione sine dolore, ut patet in beatis, nec in dolore abstrahendo a detestatione, ex qua dolor obtinet suam libertatem et moralitatem.

Ad rem *Cajetanus*, Quaestiones de contritione, Quaesitum primum, n. 2 (ed. leon. op. S. Thomae, t. 12, p. 341): "*Attritio* sonat imperfectam displicentiam peccati: *contritio* autem sonat displicentiam perfectam peccati. Et est sermo de peccato mortali. Notanter autem dico *displicentiam*, et non dico *dolorem* seu *tristitiam*. Quoniam contritio proprie significat displicentiam, quae est causa tristitiae seu doloris: quamvis frequenti usu dicatur quod contritio est dolor, significando causam ab effectu. Quanta autem differentia sit inter displicentiam et tristitiam quae est in voluntate, manifestat status caelestis patriae, in qua sanctis displicebunt peccata olim ab eis commissa, nullam tamen tristitiam de eis habebunt: ex hoc enim quod in patria erit displicentia et non erit trititia, manifeste patet quod tristitia ipsa quae est in voluntate, non est essentialiter displicentia. Sed ad displicentiam sequitur tristitia in his qui sunt tristitiae capaces."

Ad meliorem intelligentiam sententiae Suaresii (ex qua praecipue originem habuit ipsa sententia relatorum modernorum qui dicunt contritionem non consistere primario in ipso dolore) eiusque discrepantiae a mente S. Thomae, de qua dicetur ad calcem Concl. 2, nota doctorem eximium distinguere quatuor actus qui in contritione quodammodo involvuntur: *odium peccati* (actum fugae a peccato absolute considerato, i.e. prout abstrahit a commisso et non commisso), *detestationem* seu displicentiam peccati (actum fugae a peccato commisso et personali), *dolorem* (positivum actum tristitiae, inde generatum), *intentionem destruendi peccatum commissum*. Tres priores se habent inter se, e regione, sicut amor, cui opponitur odium, desiderium, cui opponitur detestatio seu desiderium quod peccatum non fuerit commissum, et gaudium, cui opponitur dolor seu tristitia. Ait autem contritionem essentialiter consistere in sola detestatione, cetera vero tria, non exclusa ipsa intentione destruendi peccata, prout distinguuntur a detestatione esse extrinseca et concomitantia.

In hac sententia tria displicent: *primo*, inepte assignatur distinctio inter odium et detestationem, nam uterque iste actus appetitus potest referri tum ad peccatum absolute sumptum tum ad peccatum a subjecto commissum; *secundo* ac potius, inepte reponitur essentia contritionis et Poenitentiae in aliquo actu negativo, seu fugae, nam, ut dictum est in art. praec. (resp. ad obj. 12), actus principalis Poenitentiae, sicut omnis proprie dictae virtutis, est actus positivus prosecutionis alicujus boni; *tertio* ac praecipue, inepte negatur intentionem destruendi seu reparandi peccatum esse essentialem in contritione, cum e contrario, juxta S. Thomam, in ea intentione inveniatur formalissima ratio Poenitentiae, ut fusius explicabitur in art. seq.; unde Suarez, dum laudabiliter impugnat sententiam Vasquesii, in oppositum errorem incidit. Essentia actus Poenitentiae, juxta S. Thomam, tota invenitur in detestatione seu dolore (contra Vasquez) reparativo seu satisfactivo (contra Suarez).

En quaedam verba *Suaresii* statuentis suam conclusionem: "Occurrit declarandum, quisnam ex actibus poenitentiae supra enumeratis contritio sit; et praesertim inquiri potest de illis quatuor actibus, qui sunt voluntas destruendi peccatum commissum, odium peccati, detestatio ejus, et dolor de illo. Et dicendum breviter est contritionem formaliter, et (ut ita dicam) in recto, esse detestationem ipsam; reliquos vero actus regulariter comitari illam, vel antecedenter, vel consequenter, et virtute semper includi in illa, non tamen esse de substantia contritionis, nec semper necessarios ad illam, quatenus ab ipsa detestatione formaliter seu realiter distincti sunt.

"Ita sumitur ex communi theologorum doctrina [?], D. Thom. [?] hic [q. 85, a. 1], art. seq., praesertim in solutionibus argumentorum, et superiori quaest., artic. 8, et in 4, d. 17, tota fere quaest. 2; et ibi aliorum; et Alens., 4 p., q. 17, memb. 1; Cajet., tom. 1 Opusc., tract. 4, q. 1; Vega, lib. 13 in Trident., c. 25. Et probatur breviter ex supra dictis, nam contritio est propriissimus et perfectissimus actus poenitentiae; sed talis actus in detestatione consistit, ut supra probatum est; ergo. Item contritio parit dolorem, ut Tridentinum significat, sess. 14, cap. 4, dum contritionem per detestationem et dolorem definit; et constat ex omnibus Theologis et ex communi conceptione omnium. Parit etiam affectum puniendi et vindicandi culpam in seipso . . .; sed hi sunt proprii effectus detestationis et displicentiae de peccato commisso; ergo. Deinde contritio scindit cor, Joel 2, separando illud ab affectu commissi peccati; hoc autem primario ac formaliter fit per detestationem; ergo."[32]

---

[32] De Poenitentia, disp. 4, sect. 1, n. 4, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1886, p. 71 sq.; cf. ibid., n. 5–7; item disp. 3, sect. 2, n. 6–9, sect. 4, n. 2–3. 6.

QUOAD TERTIAM QUAESTIONEM, a communiori sententia recedunt quidam theologi qui sentiunt, vel sentire videntur, solam contritionem esse actum elicitum a virtute Poenitentiae, ceteros vero actus, uti confessionem et satisfactionem, esse tantum actus imperatos ab ea. Imo, *Vasquez, Billot* aliique, qui in supradicta prima quaestione docent formalem actum Poenitentiae esse voluntatem compensandi, addunt hanc solam esse actum elicitum Poenitentiae, ceteros vero actus, inclusa ipsa contritione, esse tantummodo imperatos (cf. *Billot*, supra cit. in p. 336 sq.).

CONCLUSIO

Conclusio 1. Primarius actus elicitus Poenitentiae est contritio, seu "animi dolor ac detestatio . . . de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero".

Probatur 1. *Ex Scriptura et Traditione.*

Ut constat ex ipsis testimoniis allatis in art. 10 et ex referendis in art. proximo (p. 382 sq.), actus Poenitentiae constanter describitur ut animi dolor ac detestatio de peccato. Quod manifestum signum est hunc animi dolorem esse elicitum et primarium actum Poenitentiae; secus praefata testimonia tam inconsulte prolata essent ut instanter proposuerint actum aliquem extrinsecum vel secundarium, et intimam rationem huius virtutis silentio praeterierint.

Ceterum *Conc. Trid.*, sess. 14, cap. 4 (cit. in p. 264), sensum Traditionis colligens ac signantius proponens, explicite ait contritionem seu animi dolorem et detestationem "primum locum inter dictos poenitentis actus habere" et omnes actus poenitentiae, passim in Scripturis expressos, habere detestationem peccati tanquam causam et radicem seu "ex vehementi quodam anteactae vitae odio et ingenti peccatorum detestatione manasse".

Quibus concinens *Catechismus Conc. Trid.*, p. 2, c. 5, q. 4 (cit. in p. 265), ait "intimam poenitentiam" esse detestationem et odium peccatorum, ac propterea poenitentiam a Patribus per hunc cruciatum definiri.

Probatur 2. *Ex ipsa indole et fine Poenitentiae.*

Cum Poenitentia sit immediata dispositio ad justificationem, actus ejus elicitus ac primarius debet esse talis qui primario et formaliter operetur ad remotionem peccati. Talis autem est actus contritionis, et ipse solus; nam, ut dictum est contra Protestantes in art. 10 (p. 266 sq.), contrarium per contrarium expellitur, contrarium autem aversionis a Deo et conversionis ad creaturam, in qua peccatum consistit, est conversio voluntatis ad Deum et aversio a creatura, in qua dolor et detestatio peccati consistit.

Probatur 3. *Ex exclusione alterius actus et ineptitudine sententiae Vasquesii.*

Non est assignabilis alius actus, praeter contritionem, qui dici possit actus elicitus et primarius virtutis Poenitentiae. Actus enim satisfactionis et confessionis sunt quidem eliciti a virtute Poenitentiae (cf. infra, art. 35 et 47), sed nequeunt esse primarii, quia non praebent praecipuam compensationem pro peccato, quae in cordis conversione consistit. Actus amoris Dei secundum se est actus imperans Poenitentiam, elicitus vero a charitate. Actus amoris, complacentiae, gaudii, habentes pro objecto ipsum actum Poenitentiae, hunc non constituunt, sed supponunt, suntque vel actus eliciti ab alia virtute, puta a charitate gaudente de actu Poenitentiae, vel sunt tantummodo quaedam modalitates ipsius actus poenitentis voluntatis, reflectentis supra seipsam, vel subsequentes et secundarii quidam actus eliciti a virtute Poenitentiae sub propria ratione et finalitate reparativa.

Prorsus autem inepte inducitur ab adversariis *voluntas compensationis*, distincta a dolore et detestatione, tanquam actus elicitus et primarius Poenitentiae.

Primo enim, voluntas compensandi, si concipiatur ut divulsa a dolore et detestatione, non opponitur peccato, ut ipsi adversarii ultro fatentur, juxta supradictam expositionem Lugonis; ergo ipsa nequit esse actus Poenitentiae cujus ratio tota desumitur ex oppositione ad peccatum. Etiam in humanis non dicitur aliquis poenitere de offensa alteri illata, ex hoc tantum quod velit aliquam compensationem, puta pecuniariam, offerre.

Secundo, si voluntas compensandi, concepta ut distincta a dolore, esset proprius actus Poenitentiae, adstrueretur, contra omnem sensum communem et traditionalem, virtus quaedam Poenitentiae quae nunquam doleret de peccato, quamtumvis aliunde dicatur dolor requiri et poni per aliam virtutem. "Virtus [enim] poenitentiae in eo dicendi modo solum intendit formaliter satisfacere Deo, exhibendo compensationem necessariam pro offensa: non quidem, quia ipsa poenitentia odio habeat peccatum: sed quia amat bonum compensationis pro peccatis, ergo . . . virtus poenitentiae per se loquendo non affert odium peccati, sed solum amorem compensationis: stat enim bene, me velle omnino satisfacere pro debito, et tamen non dolere de debito illo

contracto; sic quippe ille, qui emit librum vult satisfacere pro libro, et non dolet, quod contraxerit illud debitum."[33]

Tertio ac praecipue, voluntas vere compensandi pro peccato nequit absolute concipi ut divulsa ab illius dolore et detestatione, cum nonnisi in dolore et detestatione compensatio pro peccato consistere possit, ut explicatum est in art. praec. (p. 301). Quo directe confoditur sententia Vasquesii, ex ipsa contra ipsam desumendo argumentum. Si enim primarius actus elicitus a Poenitentia est voluntas compensandi, compensatio autem non fit nisi per dolorem, voluntas compensandi est etiam voluntas dolendi, adeoque dolor necessario et essentialiter involvitur in primario actu Poenitentiae et ab eadem virtute elicitur.

DICES. Compensatio et dolor non sunt eadem ratio et idem obiectum, sed duo obiecta quorum unum se habet ut medium, alterum ut finis, non enim dolor est compensatio, sed per dolorem fit compensatio. Consequenter, voluntas compensandi et voluntas dolendi non sunt idem actus, sed duo dictincti actus quorum prior se habet ut intentio finis, alter vero ut electio medii. Ergo allata ratio nulla est, sed in suo robore manent haec tria: primo, quod voluntas compensationis et dolor ipse compensativus sint duo actus distincti; secundo, quod voluntas compensandi sit primarius actus Poenitentiae, utpote intentio finis, dolor vero nonnisi secundarius, utpote electio medii; tertio, quod voluntas compensandi sit actus elicitus a Poenitentia, utpote intentio finis, dolor vero sit actus imperatus a Poenitentia et elicitus ab alia virtute, utpote electio medii.

RESP. Compensatio et dolor non sunt proprie duo obiecta, sed duae inseparabiles rationes eiusdem obiecti; compensatio enim pro peccato non fit nisi per dolorem de peccato nec distinguitur realiter ab ipso dolore, sed est quaedam eius qualitas vel proprietas consistens in quadam relatione aequalitatis ad offensam; unde nec proprie compensatio et dolor se habent ut duo obiecta ad invicem ordinata ad modum finis et medii, sed ut duae rationes eiusdem realitatis ad invicem indivulse colligatae et ab invicem inpraescindibiles, ita quod eadem realitas sit, ex diverso angulo quo incipit consideratio, compensatio dolorosa et dolor compensativus.

Hae autem obiecti conditiones, sub eadem ratione et proportione transeunt in conditiones actus voluntatis, cuius tota indoles ab obiecto desumitur. Unde voluntas compensandi pro peccato et voluntas dolendi de eodem non sunt duo distincti actus, sed unicus, qui est voluntas compensationis dolorosae vel doloris compensativi, habens quidem duas formalitates invicem quodammodo subordinatas, quatenus motus

[33] *Lugo*, Disp. schol., t. 4, De Poenitentia, disp. 2, sect. 4, n. 44, Parisiis, 1892, p. 389.

voluntatis, consideratus ut incipiens a dolore, quo mediante attingit satisfactionem, accipit rationem actus electionis, consideratus vero ut respiciens directe ipsam satisfactionem, accipit rationem actus intentionis.

Exinde sequitur quod nulla adest simpliciter dicta prioritas et posterioritas inter voluntatem compensandi et voluntatem dolendi, cum invicem se includant, sicut earum objecta, vel, si placet, adest in utroque actu relate ad alterum prioritas et posterioritas in diverso ordine, sicut inter actus intentionis et electionis, ita ut dicatur voluntas dolendi praecedere in ordine executionis, voluntas vero compensandi in ordine intentionis; voluntas enim poenitendi incipit a dolendo ut inde compenset, et incipit a compensando ut propterea doleat.

Exinde a fortiori sequitur utrumque voluntatis actum compensandi et dolendi ab eadem virtute procedere, cum sit unicus formaliter actus. Ceterum, etiam si haberentur duo distincti actus, et quidem dictinctus actus intentionis et distinctus actus electionis, exinde non sequeretur eos pertinere ad distinctas virtutes; nam eadem virtus potest habere plures actus invicem subordinatos (ut patet in ipso actu propositi non peccandi, qui subordinate procedit ab eadem virtute a qua procedit actus doloris) et potest per diversos actus respicere finem et media intra eundem ordinem.

Ad eam rationem, qua obiciens innititur cum Vasquesio, scilicet *actum intentionis et actum electionis realiter distingui*, sic apte respondent *Salmanticenses:*

"Ut diximus tract. de ultimo fine disp. 3, dub. 1, n. 19 et dub. 2, n. 40, non semper intentio, et electio realiter distinguuntur, eo quod non semper illa versatur circa ultimum finem, nec semper haec circa media sub ratione pure mediorum. Idque maxime contingit quando in objecto apparet honestas subordinata ad aliud: atque ideo ex hoc capite eadem voluntate intenderetur compensatio dolorosa, et sub ratione compensationis esset intentio, et ut dolorosa sortiretur munus electionis. Esto tamen, ita esset, quod realiter differrent, nihil inde consequeretur objiciens, quoniam intentio particularis, et electio medii itidem particularis circa illum finem non est contra rationem unius, et ejusdem virtutis; sicut nec habere plures actus subordinatos, uti de facto reperiuntur in Poenitentia; nam ultra praedictam detestationem elicit etiam propositum non peccandi in posterum, ut supra dixit D. Thomas.

"Nec refert, quod virtus sit essentialiter habitus electivus, electio autem supponat intentionem: quoniam illa definitio verificari debet respectu finis universalis voluntatis, in ordine ad quem, et ad ratificandam voluntatem circa illum, actus virtutis sunt medium. Cum quo

tamen cohaeret virtutes ipsas peculiares sibi fines vindicare, et consequenter intentiones particulares in propria materia: quin adhuc sit opus ordine reflexo, in quo nullus est actus, qui non sit intentio, consensus, electio, et usus sui ipsius, ut . . . [disp. 2, dub. 2] de Praedestinat. vidimus ex D. Thoma, et tradit S. Doctor 1, 2, quaest. 16, art. 4, dicens: 'Quia actus voluntatis reflectuntur supra se ipsos, in quolibet actu voluntatis potest accipi consensus, et electio, et usus, ut si dicatur, quod voluntas consentit se eligere, et consentit se consentire, et utitur se ad consentiendum, et eligendum'."[34]

Conclusio 2. Tres actus, qui juxta descriptionem tridentinam quomodolibet involuntur in actu contritionis, scilicet dolor, odium et propositum, 1. sunt actus eliciti a Poenitentia; 2. sunt inter se distincti; 3. sunt ad invicem ita subordinati ut solus dolor formaliter constituat contritionem, ac proinde, stricte loquendo, ipse solus sit primarius et formalis actus virtutis Poenitentiae.

Probatur per partes.

1A PARS. DOLOR, ODIUM ET PROPOSITUM SUNT ACTUS ELICITI AB IPSA VIRTUTE POENITENTIAE.

Ex hoc quod contritio sit actus elicitus Poenitentiae sequitur quod saltem unus ex tribus illis sit actus elicitus. Et quidem de dolore nullum est dubium, quoniam Poenitentia maxime per dolorem constanter in Traditione definitur, imo, ut mox dicetur, dolor constituit formaliter ipsam contritionem. Quoad odium vero dubitari potest, ex hoc praecise quod ipsum antecedat dolorem qui est primarius, et ideo primus, actus Poenitentiae. Attamen et ipsum elicitur a Poenitentia, quatenus elicitur a voluntate ex intentione satisfaciendi, et quidem sub duplici consideratione infra explicanda, in responsione ad objectionem Suaresii.

Quoad propositum tandem magis adhuc dubitari posset quoniam ipsum refertur ad aliud objectum, i.e. ad peccatum futurum. Attamen et ipsum propositum dicendum est actus elicitus, quamvis secundarius, quoniam procedit immediate ex ipsa voluntate poenitendi seu peccatum destruendi; destruitur autem peccatum commissum primo et principaliter per hoc quod aufertur individualiter in seipso, consequenter vero et secundario per hoc quod impeditur ne redeat sub alia ratione vel sub alia individuatione.

2A PARS. DOLOR, ODIUM ET PROPOSITUM SUNT TRES ACTUS AB INVICEM DISTINCTI.

Quod propositum vitandi peccata realiter distinguatur a duobus praecedentibus actibus a nemine dubitatur, cum habeat distinctum

[34] De Poenitentia, Disp. 5, dub. 2, § 2, n. 48, Cursus Theol., t. 19, Parisiis, 1883, p. 400.

objectum proximum, scilicet peccatum futurum, vel si placet futuritionem peccati. Distinctio quoque inter odium et dolorem facile apparet tum ex eorum indole et objecto formali, nam, quamvis utrumque respiciat peccatum praeteritum, tamen dolor illud respicit ut malum a subjecto commissum et ad modum aggressionis, odium vero illud respicit non necessario ut a subjecto commissum et ad modum fugae, tum ex eorum separabilitate, nam odium peccati a se commissi potest esse absque dolore, ut patet de beatis qui maxime detestantur peccata sua praeterita sed de eis dolere non possunt propter statum beatitudinis.

3A PARS. SOLUS ACTUS DOLORIS FORMALITER CONSTITUIT ACTUM CONTRITIONIS, SEU FORMALEM ET PRIMARIUM ACTUM POENITENTIAE.

Propositum non amplius peccandi, cum respiciat peccatum ut futurum, nequit esse actus primarius Poenitentiae, quae primo et per se est de peccato commisso ut destruendo, et nonnisi consequenter se extendit ad eius reditum praecavendum, per quamdam nempe inclinationem participatam a virtute Prudentiae, ex qua ipsa Poenitentia regulatur. Propterea non dicitur esse contritio de peccato futuro sed magis cautio, quae provenit in virtute Poenitentiae ex influxu et foecundatione prudentiae.

Ad rem *S. Thomas, Suppl., q. 2, a. 4:* "In omnibus motoribus et mobilibus ordinatis ita est quod motor inferior habet motum proprium, et praeter hoc sequitur in aliquo motum superioris motoris; sicut patet in motu planetarum, qui praeter motus proprios sequuntur motum primi orbis. In omnibus autem virtutibus moralibus primus motor est ipsa prudentia, quae dicitur auriga virtutum. Et ideo quaelibet virtus moralis cum motu proprio habet aliquid de motu prudentiae. Et ideo cum poenitentia sit quaedam virtus moralis, quia est pars justitiae, cum actu proprie consequitur prudentiae motum. Proprius autem actus ejus est in objectum proprium, quod est peccatum commissum. Et ideo actus ejus proprius et principalis, scilicet contritio, secundum suam speciem respicit tantum peccatum praeteritum; sed ex consequenti respicit peccatum futurum, secundum quod habet aliquid de actu prudentiae adjunctum; et tamen in illud futurum secundum rationem propriae speciei non movetur. Et propter hoc ille qui conteritur, dolet de peccato praeterito, et cavet futurum. Sed non dicitur esse contritio de peccato futuro, sed magis cautio, quae est pars prudentiae contritioni adjuncta" (cf. In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 6, ad 4).

Nec etiam *odium seu detestatio* peccati potest esse formalis et primarius actus Poenitentiae, cum in eo desiderentur primariae et formales notae Poenitentiae. Odium enim non respicit formaliter pecca-

tum commissum ab ipso subjecto, sed abstrahit ab hac conditione et relatione, ut patet ex eo quod detur etiam in impeccabili voluntate humanitatis Christi; non est positivus actus aggressionis operans ad peccati destructionem, sed negativus actus fugae; non est quaedam satisfactio et compensatio pro peccato, quia nihil a peccatore adimit quod offerat Deo; non est quaedam poena quam peccator sibi infligit, juxta primaevum sensum vocis Poenitentiae (cf. supra, p. 5 sq.); non est quaedam fractio cordis et emollitio duritiae animi, juxta etymologicam rationem contritionis; non est quid incompossibile cum statu beatorum, in quibus tamen proprius et specificus actus Poenitentiae non datur.

DICES (*cum Suaresio et aliis*) *1.* Detestatio est actus liber, dolor vero non est liber sed necessario sequitur ex detestatione. Ergo formalis actus Poenitentiae quae est habitus electivus, non est dolor sed odium seu detestatio.

RESP. Non dicimus quemlibet dolorem, aut dolorem quomodolibet, esse formalem actum Poenitentiae, sed dolorem libere assumptum ex intentione satisfaciendi, modo explicato in Concl. 1 (p. 341 sq.) contra Vasquez. Hoc explicite docet *S. Thomas* in q. 85, a. 1 (cit. in art. 12, p. 287 sq., et hic, infra) et in *Suppl., q. 1, a. 1:* "Contritio est dolor voluntarius pro peccato, puniens in se quod dolet se commisisse"; item: "Dolor . . . assumptus" (cf. totam litteram infra citandam).

DICES 2. Odium peccati est primus actus elicitus a Poenitentia, praecedit enim dolorem et est causa doloris; atqui primus actus alicuius virtutis est actus primarius ejusdem, cum sit radix aliorum; ergo odium est primarius actus Poenitentiae et in eo contritio formaliter consistit.

Minor sic ostenditur a *S. Thoma, 2–2, q. 28, a. 4:* "Virtus, sicut supra dictum est (1–2, q. 55, a. 2 et 4), est habitus quidam operativus; et ideo secundum propriam rationem habet inclinationem ad aliquem actum; est autem contingens ex uno habitu plures actus ejusdem rationis ordinatos provenire, quorum unus sequatur ex altero. Et quia posteriores actus non procedunt ab habitu virtutis nisi per actum priorem, inde est quod virtus non definitur, nec denominatur nisi ab actu priori; quamvis etiam alii actus ab ea consequantur. Manifestum est autem ex his quae supra de passionibus dicta sunt (1–2, q. 25, a. 2 et 4), quod amor est prima affectio appetitivae potentiae, ex qua sequitur et desiderium, et gaudium. Et ideo habitus virtutis idem est qui inclinat ad diligendum et desiderandum bonum dilectum, et ad gaudendum de eo. Sed quia dilectio inter hos actus est prior; inde

est quod virtus non denominatur a gaudio, nec a desiderio, sed a dilectione; et dicitur charitas."

RESP. Non est dissimulanda gravitas hujus objectionis, ut videntur facere quidam thomistae, v.g. *Gonet, Billuart* et *Hugon,* cum docent contritionem consistere formaliter in solo dolore, praesuppositive vero in odio et consecutive in proposito; ex quo sequitur quod vel odium non est actus elicitus poenitentiae, quod prorsus inconvenit quia sic non tota contritio qualiter definitur a Conc. Trid. esset actus elicitus poenitentiae, vel actus primus non est primarius et formalis, quod videtur contradicere doctrinae S. Thomae in objecto loco.

Objectioni igitur posset quis respondere concedendo majorem et negando minorem universaliter intellectam. Potest enim concipi quod aliqua virtus ad hoc ut eliciat actum suum primarium debeat prius elicere actum aliquem secundarium qui ad illum requiratur tanquam ejus conditio, vel dispositio, vel radix; et ita, cum dolor nequeat elici nisi praecedat odium, intelligeretur quomodo poenitentia, ad hoc ut possit elicere actum suum primarium doloris, ex hac ipsa intentione, in qua praecedit dolor, tendat in executione ad prius eliciendum odium. Quae explicatio posset roborari concipiendo odium ut immediatam dispositionem ad dolorem; immediata enim dispositio simul praecedit et subsequitur formam in diverso genere causarum, materialis scilicet et formalis. *Attamen,* haec responsio videtur magis ingeniosa et speciosa quam concordans cum doctrina S. Thomae expressa in objecto textu.

Unde melius *respondetur concedendo minorem et negando majorem.* Primus enim actus elicitus a poenitentia non est odium peccati sed ipse dolor de peccato, quia, quamvis odium peccati praecedat et generet dolorem in esse physico, illum tamen non praecedit nec generat in esse morali satisfactionis et poenitentiae, sed potius illum subsequitur.

Ad cujus rei intelligentiam tria praenotanda sunt. Primo nempe, in actu laudabili seu virtuoso oportet distinguere ipsam physicam substantiam actus et rationem laudabilitatis seu moralitatis, vel, si placet, essentiam physicam et essentiam moralem. Secundo, actus elicitur ab habitu virtutis non secundam suam essentiam physicam praecisive sumptam (sic enim elicitur a sola potentia, etsi elevata per ipsum habitum infusum), sed secundum suam essentiam moralem, quatenus imponit physicae essentiae actus ordinationem sui finis seu formam suae rationalitatis et moralitatis. Tertio, ex hoc sequitur quod una virtus potest elicere sub una ratione moralitatis eundem physicum actum qui elicitur ab alia virtute sub alia ratione moralitatis; imo sequitur quod una virtus, residens in una potentia, potest in proprio ordine morali

elicere actum qui physice elicitur ab alia potentia;[35] item sequitur quod plures actus, quorum unus est causa alterius in ordine elicientiae physicae, non necessario servant eandem relationem et subordinationem in ordine elicientiae moralis, ita ut possit accidere quod actus qui in esse physico est primus et causa, sit secundus et effectus in esse morali, si nempe illa ratio, quam virtus formaliter considerat, inveniatur primario et principaliter in actu qui ab alio physice causatur et nonnisi secundario in isto.

Haec igitur ad praesentem materiam applicando, dicimus:

Primo: Unusquisque ex tribus actibus, quibus contritio coalescit, i.e. odium, dolor et propositum, est quidem unicus actus in ordine physico, sed duplicatur in ordine morali ita ut habeatur odium, dolor et propositum, elicita a charitate sub propria formali ratione, et odium, dolor et propositum, elicita a poenitentia sub alia ratione formali. Unde duplex distinguendum est odium peccati, alterum nempe de peccato ut est contra summum bonum amabile, qui elicitur a charitate, et alterum de peccato ut est contra summum bonum offensum et placandum, qui elicitur a poenitentia.

Ad rem *Salmanticenses:* "Licet [contritioni] supponatur odium . . . peccati ut oppositi bono divino, quod est proprium Charitatis; quia tamen praedictum odium non fit ex motivo satisfaciendi, remanet locus, ut superveniat alterum odium compensativum, et detestativum peccati alterius rationis a primo. . . Nam ut profunde, et eleganter docuit *Cano* relect, de Poenit. part. 2, conclus. 'diversa motiva formalia voluntatis diversae sunt formales rationes objecti; atque consequenter diversos habitus, et virtutes efficiunt'. Et ideo dare Petro pecunias, si in se quidem absolute consideretur, nullam habet laudem; sed si des, ut releves miseriam ejus, est actus misericordiae; si ut bene illi facias, ad benevolentiam, et amicitiam; si autem ut donum gratuitum, ad liberalitatem; sin vero ut debitum ex contractu solvas, ad justitiam spectat. Consimiliter tristitiam assumere de peccato, quia absolute Dei malum est, convenit Charitati; sed quod quis tristetur, et doleat de eodem peccato ut injuria, et offensa Dei animo ipsum placandi, et quoad fieri possit, ipsi satisfaciendi, alterius est virtutis, Charitate inferioris. Quare odium peccati ut est offensa Dei est quidem actus Charitatis, et Poenitentiae: hujus ut principii proxime elicientis, sed illius ut principii imperantis, et applicantis, quo pacto se habet agens superius ad inferius. Unde falsa est . . . [Vasquesii] propositio, 'quod odium peccati ut est offensa Dei sit essentialiter amor Dei', non minus quam ista: 'actus eleemosynae est essentialiter actus Charitatis', quia

[35] De his omnibus confer *Gonet, Joannem a S. Thoma* et *Salmanticenses,* cit. infra in art. 35.

a Charitate imperetur; et si quem verum admittit sensum, solus est, quod sit amor Dei radicaliter, et imperative, non vero formaliter; quia nimirum vera contritio, et detestatio peccati fundatur in amore Dei, et ab eo imperatur, ut sit propter ipsum Deum, ut summe bonum in se."[36]

Secundo: Tres actus quibus contritio coalescit, scilicet odium peccati, dolor et propositum, in esse physico considerati, talem habent ordinationem, ut odium sit causa et radix doloris et sit primus actus elicitus a voluntate. Si autem considerentur in ordine morali, oportet distinguere; nam iidem tres actus possunt elici tum a charitate tum a poenitentia, sub propria finalitate et moralitate utriusque virtutis, seu sub ratione amoris vel sub ratione satisfactionis. Prout igitur eliciuntur a charitate, retinent de facto eandem ordinationem quam habent in ordine physico, nam formalis actus charitatis est amor Dei, ratione cujus concipitur odium peccati,[37] quod est radix doloris et consequenter propositi. Prout vero eliciuntur a poenitentia, ordo eorum aliquatenus invertitur, ita ut dolor sit primus actus elicitus, odium vero et propositum sint actus subsequentes; nam id quod formaliter quaerit poenitentia, est ratio satisfactionis, et quia hanc in solo dolore primo et principaliter invenit, hunc actum immediate elicit; actus vero odii et propositi elicit subsequenter sub eadem ratione satisfactiva quae in eis aliqualiter invenitur quaeque derivatur ex eorum connexione cum ipso dolore, quatenus odium est causa doloris in esse physico et in esse morali charitatis et propositum est effectus completivus doloris.

Unde charitas dolet de peccato quia odio illud habet, poenitentia e converso odio habet peccatum quia de eo dolet; charitas dolet et odit quia amat, poenitentia odit et dolet quia satisfacit. Inde apparet etiam subordinatio poenitentiae ad charitatem, quoniam poenitentia incipit a dolore, dum charitas incipit ab odio qui physice praecedit dolorem, imo incipit ab amore qui est initium actuum humanorum.

Ceterum, praeter praedictum formale odium peccati, quod est secundarius actus elicitus a poenitentia, aliud distingui potest eminentiale odium peccati, quod pertinet ad primarium actum elicitum hujus virtutis quodque involvitur in ipso actu doloris.

[36] De Poenitentia, disp. 5, dub. 2, § 2, n. 47. Curs. theol., t. 19, Parisiis, 1883, p. 398 sq.

[37] Hic actus odii non est omnino idem ac actus amoris procedens ab eadem charitate, ut quidam male putant, sed est actus vere subsequens et ab illo realiter distinctus. Ad rem *S. Thomas, 1–2, q. 29, a. 2:* "Amor consistit in quadam convenientia amantis ad amatum; odium vero consistit in quadam repugnantia vel dissonantia. Oportet autem in quolibet prius considerare quid ei conveniat quam quid ei repugnet; per hoc enim aliquid est repugnans alteri, quia est corruptivum vel impeditivum ejus quod est conveniens. Unde necesse est quod amor sit prior odio, et quod nihil odio habeatur, nisi per hoc quod contrariatur convenienti quod amatur. Et secundum hoc omne odium ex amore causatur" (cf. ibid., ad 1. 2 et 3).

Cum enim primus ac fundamentalis actus voluntatis, implicite contentus in quolibet ordine actuum voluntariorum, sit amor,[38] cui sequitur odium de opposito, actus doloris includit in se amorem seu identificatur cum amore hujus boni quod est compensatio divini juris, ab ipso dolore indistincta, et consequenter includit odium contrarii, i.e. *odium non compensandi seu non dolendi*. Hoc odium non distinguitur ab ipso dolore nisi secundum rationem virtualis illius reflexionis supra suos actus, quae, ut dictum est supra, est propria voluntatis; propterea, ut notatum est in art. praec. (resp. ad obj. 9 et 10), S. Thomas ait poenitentiam formaliter opponi non omni peccato sed uni tantum quod est ipsa impoenitentia, seu voluntas non compensandi, aut non dolendi pro peccato. In hoc praeterea odio non compensandi aut non dolendi pro peccato, eminenter continetur *ipsum formale odium peccati*, quod, ut dictum est supra, est secundarius actus elicitus a poenitentia; qui enim odio habet non compensationem, amat compensare, et qui vult compensare, vult dolere, et qui vult dolere, vult odio habere peccatum, cum sine tali odio dolor non gigneretur. Sed totum hoc iterum pertinet ad praedictam virtualem et inexhaustam refexionem voluntatis supra semetipsam.

Haec eminentialis continentia actus odii peccati in ipso actu doloris ex una parte, et supradicta secundaria ratio ipsius prout est secundum se actus elicitus poenitentiae ex alia parte, causa est quare *S. Thomas*, dum loquitur de contritione et poenitentia, nonnisi duos actus distincte proponat, scilicet dolorem de commisso (cui quandoque in eodem contextu substituit detestationem vel displicentiam, quae ideo significant idem ac dolorem) et propositum vitandi in futuro.

Relinquitur ergo quod ipse *dolor de peccato* sit formalis et primarius actus poenitentiae, in quo proinde formaliter contritio consistit.

Ipse a *Concilio Florentino* primo et in recto citatur inter duos actus quibus definit contritionem; omissa enim mentione detestationis, contritionem definit: "Dolor de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero".

Ipse a *Conc. Trid.* primo et in recto citatur inter tres actus quibus contritio describitur.

Per ipsum tam constanter quam signanter Poenitentia a tota *Traditione* definitur (cf. definitiones tum contritionis, mox referendas in textu S. Thomae, tum virtutis Poenitentiae, de quibus in art. seq., p. 382 sq.).

Ipse a *S. Thoma* proponitur ut substantia et genus contritionis, abstrahendo quidem a detestatione seu odio et proposito (cf. infra).

Ipse in se colligit et ostendit omnes characteristicas et formales

[38] Cf. dicta in Art. 12, p. 317 sq.

notas virtutis Poenitentiae. Respicit enim peccatum ut commissum ab ipso subjecto; est positivus actus aggressionis, operans ad destructionem peccati, conterendo animum et tribulando cor; est quaedam satisfactio et compensatio pro peccato, cum peccator aliquid a se adimat et Deo reddat, "in compensatione divinae offensae spiritum Deo contribulatum offerens" (In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 1, q. 1); est quaedam intima inflictio poenae seu punitentia; est quaedam analogica fractio, qua duritia cordis conteritur et animi cohaesio ad peccatum disrumpitur, cum a proprio sensu, seu a superbia omnis peccati radice, mens peccatoris divellitur; est actus incompossibilis cum statu beatorum.

S. Thomas intimam indolem actus contritionis aperit in *Suppl., q. 1, a. 1*, ubi, explicans *definitionem eius etymologicam et discutiens quinque ejus reales definitiones*, a theologis et Patribus allatas, constanter dolorem exhibet ut elementum essentiale:

"Ut dicitur Eccli. x, 15, 'initium omnis peccati est superbia', per quam homo sensui suo inhaerens, a mandatis divinis recedit. Et ideo oportet quod illud quod destruit peccatum, hominem a proprio sensu discedere faciat. Ille autem qui in suo sensu perseverat, rigidus, et durus per similitudinem vocatur; sicut durum in materialibus dicitur quod non cedit tactui; unde et frangi dicitur aliquis quando a suo sensu divellitur. Sed inter fractionem, et comminutionem, sive contritionem in rebus materialibus, unde haec nomina ad spiritualia transferuntur, hoc interest, ut dicitur [Meteor., l. 4, c. 7 et 9], quod frangi dicuntur aliqua quando in magnas partes dividuntur, sed comminui, vel conteri, quando ad partes minimas reducitur hoc quod in se solidum erat. Et quia ad dimissionem peccati requiritur quod affectum peccati homo totaliter dimittat, quem per quamdam continuitatem, et soliditatem in sensu suo habebat; ideo actus ille quo peccatum dimittitur, contritio dicitur per similitudinem.

"In qua quidem contritione plura possunt considerari, scilicet ipsa substantia actus, modus agendi, principium et effectus. Et secundum hoc de contritione inveniuntur *diversae definitiones traditae*.

"Quantum enim ad ipsam substantiam actus datur *praedicta definitio* [*'Dolor pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi et satisfaciendi'*];[39] et quia actus contritionis est actus virtutis, et est pars poenitentiae sacramenti; ideo manifestatur in praedicta definitione inquantum est actus virtutis, in hoc quod ponitur genus ipsius, scilicet 'dolor'; et objectum in hoc quod dicitur 'pro peccatis', et electio, quae requiritur ad actum virtutis, in hoc quod dicitur 'assumptus'; sed

[39] Sic *S. Raymundus*, Summa de Poenit. et Remiss., § 4; *Alex. Halensis*, Summa, p. 4, q. 17, m. 1, a. 3.

inquantum est pars sacramenti, per hoc quod tangitur ordo ipsius ad alias partes, cum dicitur, 'cum proposito confitendi et satisfaciendi'.

"*Alia etiam definitio* invenitur, quae definit contritionem, secundum quod est actus virtutis tantum; sed additur ad praedictam definitionem differentia contrahens ipsam ad specialem virtutem, scilicet poenitentiam. Dicit enim quod *'contritio est dolor voluntarius pro peccato, puniens in se quod dolet se commisisse'*.[40] In hoc enim quod additur 'puniens', ad specialem virtutem contrahitur.

"*Alia autem definitio* invenitur *Isidori*[41] quae talis est: *'Contritio est compunctio et humilitas mentis cum lacrymis, veniens de recordatione peccati et timore judicii'*. Et haec quidem tangit rationem nominis in hoc quod dicit, 'humilitas mentis'; quia sicut per superbiam aliquis in suo sensu redditur rigidus, ita per hoc quod a sensu contritus recedit, humiliatur; tangit etiam modum exteriorem in hoc quod dicit, 'cum lacrymis'; et principium contritionis in hoc quod dicit, 'veniens de recordatione peccati', etc.

"*Alia* sumitur ex verbis *Augustini* [Implic. sup. Psal. xlvi, ante med.], quae tangit effectum contritionis, quae est: *'Contritio est dolor remittens peccatum'*.

"*Alia* sumitur ex verbis *Gregorii* [In Ezech., hom. xxii; Moral., l. 23, c. 11 al. 12], quae talis est: *'Contritio est humilitas spiritus, annihilans peccatum inter spem et timorem'*. Et haec tangit rationem nominis in hoc quod dicit quod contritio est 'humilitas spiritus'; et effectum ejus in hoc quod dicit, 'annihilans peccatum'; et originem in hoc quod dicit 'inter spem et timorem'; nec solum ponit causam principalem, quae est timor, sed etiam concausam, quae est spes, sine qua timor desperationem facere posset."

JUVERIT MENTEM IPSIUS S. THOMAE CLARIUS APERIRE, quoad indolem trium praedictorum actuum eorumque ad invicem habitudinem:

1. *QUOAD DOLOREM.*

S. Doctor constanter contritionem definit formaliter per rationem doloris:

Q. 84, a. 10, ad 4: "Poenitere est anteacta peccata deflere".

Q. 85, a. 1, ubi est directe quaestio de definitione Poenitentiae: "Poenitere est de aliquo prius a se facto dolere. . . Dolor vel tristitia . . . secundum quod consistit in voluntate . . . est cum quadam electione . . . Poenitens assumit moderatum dolorem de peccatis praeteritis cum intentione removendi ea" (cf. ad 3).

Q. 85, a. 3: "Poenitentia . . . habet quod sit virtus specialis . . . ex

---

[40] *Pseudo-Augustinus*, De vera et falsa Poenit., c. 8 et 19, supra cit., p. 5 et 233 sq.
[41] De summo bono, l. 2, c. 12.

eo quod poenitens dolet de peccato commisso, inquantum est offensa Dei cum emendationis proposito".

Suppl., q. 1, a. 1, nuper fusius cit.: "Quantum . . . ad ipsam *substantiam actus* datur praedicta definitio. . . [Actus contritionis] manifestatur in praedicta definitione inquantum est actus virtutis, in hoc quod ponitur *genus ipsius*, scilicet 'dolor'; et objectum in hoc quod dicitur 'pro peccatis', et electio, quae requiritur ad actum virtutis, in hoc quod dicitur 'assumptus' ".

Ibidem ait quod in alia definitione ("Dolor voluntarius pro peccato puniens in se quod dolet se commisisse") verbum "puniens" addit *differentiam contrahentem dolorem* ad speciem Poenitentiae.

Suppl., q. 4, a. 3: "In contritione tria consideranda sunt: primum est contritionis *genus*, quod est dolor. . ."

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 5, ad 4: "Verecundia est in *alio genere* quam poenitentia; quia verecundia est timor . . . sed poenitentia est dolor".

Confer infra, art. seq., p. 365–367.

2. *QUOAD DETESTATIONEM.*

S. Doctor, nulla facta mentione detestationis, ait actum Poenitentiae duo importare, i.e. dolorem et propositum (cf. infra, ubi de proposito).

Cum S. Doctor memorat actum detestationis seu odii et ait Poenitentiam consistere in detestatione, vel displicentia, vel reprobatione, manifeste has identificat cum dolore, tanquam proximam causam cum effectu:

Q. 85, a. 1, ad 3: "Dolere de eo quod prius factum est, cum intentione conandi ad hoc quod factum non fuerit, esset stultum. Hoc autem non intendit poenitens; sed dolor ejus est displicentia seu reprobatio facti praeteriti cum intentione removendi sequelam ipsius, scilicet offensam Dei et reatum poenae; et hoc non est stultum."

Q. 85, a. 2, ad 1: "Si . . . in actu poenitentis consideretur sola displicentia [i.e. *tristitia seu dolor*] peccati praeteriti, hoc immediate ad charitatem pertinet, sicut et *gaudere* de bonis praeteritis. . ."

Q. 85, a. 5, corp.: "Quintus actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum. . ."

Q. 85, a. 5, ad 1: "Peccatum prius incipit homini displicere . . . propter supplicia".

Q. 86, a. 2: "Detestatio conversionis [ad peccatum] . . . et propositum emendandi . . . pertinet ad rationem poenitentiae" (coll. cum q. 85, a. 3).

Suppl., q. 1, a. 2, ad 1: "Alius dolor est in voluntate, qui nihil aliud est quam displicentia alicujus mali, secundum quod affectus voluntatis nominantur per nomina passionum, ut (In 3 Sent., dist. 26, q. 1, a. 5)

dictum est. Et sic contritio est dolor per essentiam, et est actus virtutis poenitentiae."

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 3 passim.

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 6, ad 2: "Si per planctum [seu dolorem] significatur actus poenitentiae, tunc nihil aliud dicit quam detestationem".

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 6, ad 6: "Definitio Ambrosii . . . quod 'poenitentia est dolor cordis et amaritudo animae pro malis quae quisque commisit:' . . . non ponit nisi unum eorum quae continent praedictae definitiones, scilicet detestationem peccati commissi."

In 4 Sent., dist. 17, q. 2, a. 2, q. 2: "[De peccato originali] non potest esse contritio, proprie loquendo; sed displicentia potest esse de eo, vel dolor."

In 4 Sent., dist. 17, q. 2, a. 3, q. 1, ob. 4: "Dolor contritionis displicentia quaedam est".

In 4 Sent., dist. 17, q. 2, a. 3, q. 1: "In contritione est duplex dolor. Unus in ipsa voluntate, qui est essentialiter ipsa contritio, quae nihil aliud est quam displicentia praeteriti peccati. . . Alius dolor est in parte sensitiva".

Cum S. Doctor distinguit et opponit displicentiam et dolorem, in hoc tantum reponit formalem actum Poenitentiae:

Q. 84, a. 8: "Interior . . . poenitentia est qua quis dolet de peccato commisso, et talis poenitentia debet durare usque ad finem vitae; semper enim debet homini displicere quod peccavit; si enim ei placeret peccasse, jam ex hoc ipso peccatum incurreret, et fructum veniae perderet. *Displicentia autem dolorem causat* in eo qui est susceptivus doloris, qualis est homo in hac vita; post hanc vitam autem sancti non sunt susceptivi doloris; unde *displicebunt* eis peccata praeterita sine omni *tristitia*, secundum illud Isa. lxv, vers. 16: 'Oblivioni traditae sunt angustiae priores'." Et ideo, addit S. Doctor in Suppl., q. 4, a. 3, in eis non est contritio, quia, quamvis sit displicentia, non est dolor: "Animae . . . quae in patria sunt contritionem habere non possunt, quia carent dolore" (cf. 3 p., q. 84, a. 8, cit. infra in p. 397).

3. *QUOAD PROPOSITUM.*

Quandoque S. Doctor, definiens contritionem per dolorem, nullam cujuslibet propositi mentionem facit (cf. Suppl., q. 1, a. 1, aliosque textus nuper cit.).

Quando in ea definitione introducit notam propositi, saepe ac signanter loquitur non de ipso proposito vitandi futura peccata sed de actuali proposito seu intentione operandi ad destructionem peccati, quae ab ipso actu doloris non distinguitur; definit enim contritionem

dolorem de commissis cum proposito emendationis, seu cum intentione removendi illa peccata quantum ad rationem offensae ejusque sequelas quae sunt reatus culpae et poenae (q. 85, a. 1, corp. et ad 3; a. 2, corp. et ad 1; a. 3; a. 4; q. 86, a. 2; In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 3, q. 4; qui textus hic passim citantur, v.g. in art. seq., p. 365 sq.).

Quandoque loquitur de solo proposito confitendi et satisfaciendi; ita in celebri definitione antiquorum: "Dolor pro peccatis assumptus, cum proposito confitendi et satisfaciendi", quam S. Doctor dicit esse definitionem "quantum ad ipsam substantiam actus" (Suppl., q. 1, a. 1, nuper cit.).

Quandoque loquitur de ipso proposito praecavendi peccata futura, sed simul ostendit minus essentialem vel accidentalem ejus rationem:

Q. 84, a. 10, ad 4: "Poenitere est anteacta peccata deflere, et flenda non committere, scilicet simul dum flet vel actu, vel proposito. Ille enim est irrisor, et non poenitens, qui simul dum poenitet, agit quod poenitet, vel proponit iterum se facturum quod gessit, vel etiam actualiter peccat eodem vel alio genere peccati. Quod autem aliquis postea peccat vel actu, vel proposito, non excludit quin prima poenitentia vera fuerit: nunquam enim veritas prioris actus excluditur per actum contrarium subsequentem; sicut enim vere cucurrit qui postea sedet, ita vere poenituit quid postea peccat."

Q. 87, a. 1, ad 1: "Poenitentia de peccatis mortalibus requirit quod homo proponat abstinere ab omnibus et singulis peccatis mortalibus".

Opusc. 5, relatum a Conc. Flor. in Decr. pro Armenis, nuper cit.

C. Gent. 4, 72: "In poenitentia requiritur ut mens avertatur a peccato, dolens de commisso, et proponens non committendum".

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 6: "Duo oportet quod homo in corde exhibeat per poenitentiam: primo dolorem cordis pro malis quae fecit; secundo propositum de cetero talia non committendi".

Suppl., q. 2, a. 4, supra cit. (p. 345): "Ille qui conteritur dolet de peccato praeterito, et cavet futurum". Notetur quod in hoc articulo, ubi explicite et directe consideratur habitudo contritionis ad peccata futura, S. Doctor signanter docet contritionem secundum rationem propriae speciei respicere tantum praeteritum et nonnisi consequenter respicere futurum.

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 6: "Unde Magister ad formam debitam eam [definitionem Ambrosii et Gregorii] reducens, tria ponit; scilicet genus, in hoc quod dicit quod 'est virtus;' dolorem de praeteritis, in hoc quod dicit: 'Qua commissa mala plangimus;' et propositum de futura emendatione, in hoc quod dicit: 'Cum emendationis proposito.' Alia vero quae dicuntur, ad idem pertinent".

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 6, ad 4: "Quamvis ad poenitentiam,

inquantum est poenitentia, non pertineat respectus ad futurum, tamen in quantum est emendatoria offensae commissae in Deum, exigit respectum in futurum, scilicet propositum de cetero cavendi; et hoc propositum intelligitur in hoc quod dicit: 'Flenda iterum non committere;' idest, habere propositum non committendi. Vel intelligitur quantum ad perfectam poenitentiam, ut quod additur, non sit de essentia poenitentiae, sed de perfectione, quia sine hoc non consequitur ultimum fructum suum; vel ut referatur ad idem tempus, ut Magister dicit."

Conclusio 3. Praeter contritionem, seu praeter tres actus odii, doloris et propositi, dantur alii actus ab ipsa virtute Poenitentiae eliciti, nec tantum imperati, inter quos numerantur sacramentalis confessio et satisfactio.

Probatur ex eo quod quaelibet virtus potest elicere omnes actus quibus competit propria ratio formalis; ratio autem satisfactionis, quae est propria virtutis poenitentiae, invenitur non tantum in contritione, seu odio, dolore et proposito, sed etiam, quamvis secundarie, in aliis actibus, et nominatim ac peculiariter in confessione et satisfactione sacramentali.

Inter actus, qui quomodolibet referuntur ad Poenitentiam, alii respiciunt eam ut objectum, uti actus amoris, complacentiae, gaudii de peracta Poenitentia, et sunt actus eliciti ab aliis virtutibus, uti charitate et religione (nisi considerentur ut modalitates ipsius actus eliciti a Poenitentia, reflectentis supra semetipsum, ut mox dicetur); alii referuntur ad eam secundum rationem causalitatis. Et ex his alii sunt imperantes Poenitentiam, alii vero imperati ab ea (potest autem actus Poenitentiae imperari ab actu cujuslibet virtutis, praecipue a charitate, et vicissim potest imperare actus quarumlibet virtutum), alii tandem eliciti ab ipsa virtute.

Potest autem virtus Poenitentiae elicere sub aliqua saltem ratione quemlibet actum virtuosum, seu omnes actus quibus voluntas tendit in bonum et fugit a malo (ut amorem, desiderium, gaudium, odium, dolorem), quatenus tamen invenitur in eis aliqua ratio satisfactionis, quae est proprium objectum in quod ipsa tendit, quemadmodum, in naturalibus, apis argumentosa directe operatur circa quemlibet florem in quo aliquid mellis inveniri possit.

Inter hos actus *primo* occurrit ipsa contritio, seu potius tres actus doloris, odii et propositi, inter quos, ut supra dictum est, dolor est primus ac fontalis. *Secundo* occurrunt sacramentalis confessio et satisfactio, quas esse actus elicitos ipsius Poenitentiae ostendetur in proprio loco (art. 35 et 47). *Tertio* occurrunt quidam actus impliciti vel

reflexi, habentes pro objecto ipsos determinatos ac directos actus confessionis, satisfactionis et praecipue contritionis, scilicet actus amoris, complacentiae, gaudii, etc., qui eliciuntur a Poenitentia potius indistincte a praedictis directis actibus; nihil enim est magis reflexivus quam actus voluntatis, quae eo ipso quod vult, vult se velle, et eo ipso quod dolet, vult se dolere, et amat et gaudet se dolere. *Quarto* occurrunt quidam actus abstractiores qui vix distinguuntur ab ipso dolore contritionis, sed sunt potius diversi ejus aspectus et considerationes, uti voluntas compensandi, vel satisfaciendi, vel reparandi, vel resarciendi jus divinum laesum per peccatum.

Ad rem *Suarez:* "De . . . actibus [virtutis poenitentiae in communi] . . . pauca scribunt Theologi, sed fere solum de contritione, et attritione in particulari; mihi tamen res necessaria visa est, tum ad melius cognoscendas rationes particulares dictorum actuum, tum ad comprehendendam naturam hujus virtutis. . . Dicendum est primo, poenitentiam posse elicere omnes actus, quibus voluntas *in bonum tendit*. . . Nam imprimis potest poenitentia elicere simplicem voluntatem seu dolorem circa honestatem justitiae ad Deum; deinde desiderium operandi hujusmodi justitiam, ad quod pertinet propositum servandi mandata; praeterea gaudium de tali justitia, vel observatione mandatorum, vel etiam de satisfactione exhibita pro peccatis, juxta id Aug., de Vera et falsa poenitentia, c. 13: 'Poenitens de peccato doleat, et de dolore gaudeat'. Similiter huc pertinet intentio destruendi peccatum, ut docet D. Thom. hic, art. 2, ad 1, et art. 4, et voluntas non peccandi amplius, et satisfaciendi pro peccato commisso, et utendi mediis ad hunc finem accommodatis. . . Dico secundo: virtus poenitentiae *fugit malum* seu peccatum omnibus modis, quibus voluntas solet malum refugere, et ita etiam distinguuntur plures alii actus hujus virtutis. . . Notandae sunt voces, quibus hi actus significari solent, scilicet odium, detestatio, displicentia, dolor et tristitia."[42]

ART. 14. Utrum Objectum Formale Poenitentiae Sit Satisfactio Contenta In Emendatione Dolorosa; Objectum Vero Materiale Omne Et Solum Peccatum Personaliter Commissum (q. 85, a. 1. 2. 3; cf. In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1; dist. 17, q. 2, a. 2).

STATUS QUAESTIONIS

Ex consideratione actus logice descendimus ad determinationem proprii objecti Poenitentiae, ex quo sive actus sive habitus specificatur, ut

[42] De Poenitentia, disp. 3, sect. 1, n. 2, sect. 2, n. 2 et 6, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 40–42.

inde ad calcem articuli propria definitio huius virtutis colligatur. Ceterum et hic articulus est summarium duorum praecedentium, quorum Conclusiones nonnisi ex ratione, quamvis minus determinata, ipsius objecti hujus virtutis deduci poterant.

Quaestio magis directe agitatur inter eos qui admittunt Poenitentiam esse specialem et distinctam virtutem; alii enim consequenter objectum Poenitentiae supprimunt seu reducunt ad formale objectum charitatis, religionis, justitiae, etc.

Quaestioni de *objecto formali* adjungitur quaestio de *objecto materiali*, quae non est confundenda cum supra habita disputatione de materia remota hujus sacramenti (Art. 6–9), quamvis cum ea habeat communia quaedam elementa, ut in Concl. 2 patebit.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

QUOAD QUAESTIONEM DE OBJECTO FORMALI.

Prima sententia Durandi, SUARESII, Coninck et *Theophyli Reynaud,* docet objectum formale Poenitentiae esse *servare jus divinum illaesum* (adeoque objectum totale esse peccatum ut auferendum ad servandum jus divinum illaesum). Propterea inferunt actum specificum Poenitentiae esse actum tendentem ad servandum jus divinum illaesum et Poenitentiam esse idem ac virtutem justitiae, modo explicato in art. 12.

His doctoribus consentire videntur quidam inter modernos, ut *de San* (De paenitentia, c. 3, n. 38 et 55; c. 6, n. 91) et *Galtier,* qui aliunde docens nobiscum Poenitentiam esse tantummodo partem potentialem justitiae, scribit: "Suarez . . .; Lugo . . .; Coninck . . .; de San . . . dicunt primarium motivum ejus esse jus Dei servandum et consequenter at secundario tantum jus idem, si laesum fuerit, resarciendum. Hic modus intelligendi videtur magis philosophicus. Ita enim res se habet in aliis virtutibus. Praeterea ita magis clare patet paenitentiam esse virtutem simpliciter et non tantummodo secundum quid seu ex supposito peccato. Alii tamen dicunt primarium paenitentiae motivum esse reparationem juris laesi. Et haec opinio magis respondet sensui vocis usuali. Sed non evincit illo sensu vocis indicari intimam virtutis naturam. Ergo, probabiliter saltem, eadem virtus respicit jus divinum ab ipso subjecto prosequendum et, quando ab ipso laesum est, tendit ad illud per ipsum redintegrandum."[43]

Secunda sententia VASQUESII et aliorum docet objectum formale Poenitentiae esse *bonum compensationis* pro peccato (adeoque peccatum ut compensandum), intellecta compensatione absolute et simpliciter, i.e. abstrahendo ab hoc quod fiat per ipsum dolorem, imo ita ut id excludatur ex ipsa ratione formalis objecti. Unde inferunt actum specificum Poenitentiae esse solam voluntatem compensandi, contritionem vero non esse actum primarium, imo nec elicitum a Poenitentia, ut explicavimus in art. 13.

[43] De Paenitentia, thes. 2, n. 30, Parisiis, 1931, p. 22.

Tertia ac peculiaris sententia LUGONIS docet objectum formale Poenitentiae nullo modo esse rationem compensationis, praecise quia haec est separanda a dolore et detestatione, eo quod includat aliquem amorem peccati,[44] sed esse *bonitatem pacis cum Deo* (adeoque peccatum ut obstaculum pacis auferendum), i.e. bonitatem reparandi offensam, non ut injuriam (nam, inquit, non in omni peccato datur ratio injuriae, nec, si daretur, fundaret strictum debitum reparandi), sed mere ut offensam, seu ut quid rumpens pacem inter Deum et hominem. Ex quo Lugo infert actum primarium Poenitentiae esse contritionem ut restituentem pacem cum Deo et Poenitentiam nullo modo reduci ad justitiam, sed esse specialem quamdam virtutem quae reconciliativa vocari potest quaeque viget etiam in naturalibus inter homines.

Ad rem ipse: "Existimo . . . dari aliquam specialem virtutem ab aliis omnibus diversam, cujus *formale objectum sit aequalitas moralis cum Deo;* non dico, aequalitas, quae fit per justitiam stricte sumptam, sed aequalitas alia moralis, quae explicatur per hoc, quod est, non habere Deum rationabiliter aversum, et indignatum, seu non dare Deo fundamentum rationabiliter se avertendi ab homine: quod incomplexe, et communiter dicitur offendere Deum; haec virtus intendit vitare hanc Dei offensionem, et conservare illam aequalitatem moralem; quod si posita fuerit offensa, eadem virtus conatur illam tollere, et reducere priorem aequalitatem et pacem cum Deo.

"Differt autem multum haec virtus a virtute justitiae etiam inter homines: aliud enim est offendere aliquem, aliud vero inferre injuriam: injuria quippe est contra jus strictum, et proprium quod alius habet: offensa vero contingit saepe sine injuria, verbi gratia, si amicus a me petat librum commodatum quo ipse valde indiget, et quem ego sine incommodo possum commodare; et tamen nolo id facere procul dubio, offendo amicum, et do sufficiens fundamentum, ut rationabiliter avertatur a me, licet revera nullam irrogem ei injuriam contra justitiam. . . Ad tollendam ergo, vel vitandam injuriam obligat justitia; ad tollendam vero, vel vitandam offensam inclinat alia virtus etiam inter homines, quae prohibet dare alicui sufficientem, et rationabilem causam indignationis et aversionis etiam sine injuria, et inclinat ad tollendam etiam illam, quando posita est, exhibendo satisfactionem suffi-

[44] Cf. supra, art. 12, resp. ad obj. 6, p. 312 sq.

cientem per obsequia, per veniae petitionem, et alia similia pro quantitate offensae, ea enim satisfactione posita, offensa extinguitur. . .

"Hanc virtutem dari inter homines, certum est experientia, et ratione naturali; est enim honestum, et laudabile neminem habere offensum, nec rationabiliter aversum: quod communiter dicimus habere pacem cum omnibus; quare *illa virtus, licet minus proprie, posset appellari pax,* dico, minus proprie; quia non est illa pax de qua agit S. Thomas 2.2, quaest. xxix, quae est effectus charitatis; sed pax quaedam tollens querelas, et offensiones rationabiles aliorum.

"Hoc supposito dicimus, dari aliam virtutem similem hominis ad Deum, quae inclinat ad habendum pacem cum Deo, seu ad vitandam offensam Dei, et ad tollendam illam modis omnibus, quando posita est, cujus *objectum formale est bonitas pacis cum Deo, seu non habere Deum aversum, et indignatum:* cum autem Deus omnibus peccatis offendatur; omnia illa odio habet haec virtus, sub ea ratione formali, quia offensae Dei sunt: et omnia illa conatur tollere, ut iterum habeat Deum pacatum, et placatum, et ideo *dicitur virtus reconciliativa,* quia tendit ad hoc, ut Deum aversum nobis reconciliet."[45]

Quarta sententia S. Thomae et Thomistarum[46] docet objectum formale Poenitentiae esse rationem emendationis, seu potius *satisfactionis* (adeoque peccatum ut emendabile, seu expiabile per actum ipsius poenitentis qui est ipse dolor). Unde infertur specificum actum Poenitentiae esse dolorem, in quo praecipue ratio emendationis, compensationis et satisfactionis invenitur, et Poenitentiam esse partem potentialem justitiae eo quod satisfaciat quidem seu compenset, sed ad inaequalitatem.

QUOAD QUAESTIONEM DE OBJECTO MATERIALI.

Conveniunt omnes theologi in docendo peccata mortalia actualia, nondum remissa, constituere objectum materiale, et quidem saltem principale, virtutis Poenitentiae.

Sententia Thomistarum et, ut videtur, communior etiam inter alios theologos, est objectum materiale Poenitentiae esse *omne et solum peccatum personaliter commissum,* adeoque peccatum mortale actuale, peccatum mortale habituale, peccatum veniale, peccatum jam remissum sive mortale sive veniale, ipsam poenam prout est sequela peccati; non vero imperfectiones proprie dictas, peccatum materiale, peccatum originale, peccatum alienum.

Ab hac sententia discedunt, quoad unum vel aliud ex praedictis objectis, quaedam singulares opiniones, inter quas maxime notabilis est quae docet peccata aliena esse objectum Poenitentiae.

[45] Disp. schol., t. 4, De Poenitentia, disp. 2, sect. 4, n. 49–51, Parisiis, 1892, p. 390 sq.

[46] Cf. *Joannem a S. Thoma,* Disp. 34, a. 1, n. 10. 14. 15. 21. 23. 24; *Salmanticenses,* Disp. 5, per totam, praecipue dub. 2, n. 34. 36. 38. 39–49; dub. 4, n. 157 sqq.; *Gonet,* Disp. 2, a. 2; *Billuart,* Diss. 2, a. 1.

Imprimis *Lugo* (Disp. 3, sect. 1, n. 13) videtur docere *peccatum habituale* qua tale, i.e. prout distinguitur ab actuali, non esse objectum Poenitentiae; nam ipsum qua tale dicit solam carentiam condonationis divinae, quae nequit ab homine retractari cum non sit actio hominis sed Dei. Dicimus "videtur docere", quia sat confusa Lugonis expositio, mox subicienda, potest etiam ita interpretari ut dicat peccatum habituale (et similiter peccatum originale) esse quidem objectum virtutis Poenitentiae, utpote de quo possit esse dolor et satisfactio, non tamen objectum actus retractationis.

Ad rem ipse, immediate post verba citata in art. 8 (p. 234): "Caeterum quoad primam partem de peccato habituali, non satis capio, quomodo possit esse objectum retractationis: loquor autem de habituali, prout contradistinguitur ab actuali. Nam suppono, habituale peccatum nihil aliud esse, quam actuale praeteritum prout moraliter perseverans: censetur autem perseverare quandiu non condonatur a Deo, vel per satisfactionem tollitur . . .: itaque habituale addit supra actuale praeteritum illam carentiam condonationis divinae. . . Si . . . [ergo] sermo sit de illo, quod habituale addit supra actuale, non video, quomodo possit esse objectum retractationis: nam illud est mera negatio condonationis Dei, ut dixi, quam non possum ego retractare, cum non sit actio mea, sed Dei. Possum sane de habituali ut habituali dolere, quatenus formaliter tollit pacem divinam: possum intendere illius ablationem, et satisfacere pro illo: *quod etiam de originali eodem modo dicendum est:* caeterum retractare, illud ut habituale est, non possum: sicut nec possum reatum poenae ex peccato ortum proprie retractare, licet possim retractare culpam actualem, ex qua ortus fuit ille reatus: sic etiam possum retractare peccatum actuale, ex quo oritur habitualis macula: caeterum ipsam habitualitatem (ut ita dicam) inde ortam retractare non possum."[47]

Quidam, quos suppresso nomine memorat Lugo (Disp. 3, sect. 1, n. 8), docent, ut probabile, *peccata venialia* non esse objectum materiale Poenitentiae, eo quod pro venialibus homo possit offerre aequalem compensationem, dum de ratione Poenitentiae est offerre inaequalem tantum satisfactionem.

Quidam, ut *Suarez* (Disp. 2, sect. 1, n. 15 sq.) et *Lugo* (Disp. 3, sect. 2, n. 45), docent quod *poena* est objectum materiale Poenitentiae tantummodo sub ratione medii ad placandum Deum, non vero sub ratione objecti detestandi et compensandi, sicut peccatum.

[47] Disp. schol., t. 4, De Poenitentia, disp. 3, sect. 1, n. 13, Parisiis, 1892, p. 399.

Ad rem *Lugo:* "Possumus . . . dupliciter poenam considerare. Primo quatenus poenitentiae virtus amplectitur eam ut medium ad placandum Deum iratum ratione culpae: et hoc modo poena est objectum materiale poenitentiae; non quidem objectum fugae, sed prosecutionis. Alio vero modo possumus eam considerare in ordine ad fugam, quatenus reatus ille inducit aliquam maculam, vel quasi maculam in anima, et est effectus peccati praeteriti, et hoc modo inquirimus, an poenitentia habeat odio eum reatum, sicut habet odio peccata? Affirmant aliqui, quia poenitens intendendo destructionem peccati, intendit etiam satisfacere pro poena debita peccato. Sed procul dubio verius loquitur Suarez ubi supra n. 14, dum dicit, poenitentiam non fugere, imo amplecti malum poenae. Quia poenitentia solum fugit illud malum, quod opponitur cum Dei placatione, et pace, quam intendit: cum hac autem solum opponitur malum culpae, quae est offensa Dei; non reatus poenae: nam sublata culpa, Deus nullo modo manet offensus, nec aversus: et tamen restat reatus poenae: potest ergo homo illum reatum fugere ex alio motivo, quatenus opponitur, v.g. cum visione Dei, quam retardat, vel quatenus affert malum aliquod ipsi homini: non tamen quatenus opponitur paci cum Deo, quam poenitentia intendit; cum reatus nullo modo sit offensa Dei."[48]

Lugo (Disp. 3, sect. 1, n. 9–11) docet *proprie dictas imperfectiones* (quae nempe nullo modo sint peccata, neque venialia) esse objectum Poenitentiae, quatenus potest circa ea exerceri aliquis verus actus odii, sub ratione indirectae et remotae dispositionis ad ipsum peccatum.

Ad rem ipse: "Videtur poenitentia exercere posse aliquem odii actum circa has imperfectiones, quasi circa oppositas saltem mediate cum Dei pace, quam conservare intendit. Nam licet propter ipsas non avertatur Deus positive ab homine, ut ita dicam; avertitur tamen quasi negative, id est minus convertitur ad ipsum, et licet non irritetur positive ad puniendum, tamen deobligatur ad danda auxilia efficacia, et uberiora; quae negatio, licet non sit positive, et in rigore poena: est tamen quasi indirecte propter imperfectionem, quasi propter removens prohibens; et ita illa imperfectio videtur indirecte disponere ad culpam; quam ex negatione auxilii efficacis consequitur; quare sub hac ratione potest odio haberi a poenitentia, tanquam dispositio remota inducens indirecte culpam et offensionem Dei, et sub eadem ratione potest virtus poenitentiae vitare imperfectiones, et ab illis accurate cavere."[49]

Lugo (Disp. 3, sect. 1, n. 16 sqq.) docet *peccatum materiale* esse objectum Poenitentiae, non tamen immediate sed quasi mediate, quatenus ejus repetitio disponit remote ad peccatum formale, ac proinde sub hac ratione detestari potest a Poenitentia.

[48] Disp. schol., t. 4, De Poenitentia, disp. 3, sect. 2, n. 45, Parisiis, 1892, p. 410.
[49] L.c., sect. 1, n. 10, p. 398.

Ad rem ipse: "Dixi . . . actum illum materialem perjurii, v.g. sine culpa patrati non pertinere immediate ad objectum poenitentiae: non enim nego, pertinere posse quasi mediate: nam illi actus etiam ex inadvertentia facti generant habitum, et disponunt, ut facilius similes actus postea etiam cum aliqua advertentia fiant, quibus Deus offendatur: quare sub hac ratione possunt a poenitentia odio haberi, non quidem quatenus Deum offendunt, sed quatenus disponunt saltem remote ad Dei offensam."[50]

Suarez (Disp. 2, sect. 1, n. 14) docet *peccatum originale* esse objectum detestabile per actum virtutis Poenitentiae; nam justitia ad Deum potest odio habere statum injustitiae in quo invenitur humanum genus, eo vel magis quod voluntas Adae, quae peccavit, quodammodo nostra reputatur. Item *Lugo* (Disp. 3, sect. 1, n. 12 sq.) non repugnat doctrinae qua dicatur peccatum originale esse objectum Poenitentiae, solum tamen quoad actum detestationis, non vero quoad actum retractationis, seu "posse virtutem poenitentiae detestari culpam originalem, ut oppositam paci cum Deo" (cf. textus cit. in p. 234 et 361).

Quidam, ut *Suarez* (Disp. 2, sect. 1, n. 10 sq.), *Coninck* (Disp. 1, dub. 3). *Lugo* (Disp. 3, sect. 2) et inter modernos *Galtier* (De Poenit., thes. 2, n. 30, C; hanc sententiam ut probabilem defendens), docent etiam *peccata aliena* esse Poenitentiae objectum, quamvis non primarium, eo quod tum in peccatis propriis tum in alienis eadem ratio objecti formalis Poenitentiae inveniatur, scilicet laesio juris divini (Suarez) vel perturbatio pacis cum Deo (Lugo), adeoque ab eodem habitu virtutis procedit odium peccati proprii et odium peccati alieni.

Advertentes tamen novitatem suae sententiae, praedicti doctores fucatum aliquod temperamentum in eam introducunt. *Suarez* quidem, ingenua usus distinctione, ait eundem quidem habitum elicere actum detestationis peccatorum tum propriorum tum alienorum, attamen, sub proprie dicta denominatione Poenitentiae, secundum quam importat duplicem rationem retractationis et justitiae ad Deum, ipsum referri et attingere tantummodo peccata propria. *Lugo* vero duplicem affert distinctionem, alteram inter actus, qua docet Poenitentiam circa peccata aliena elicere solummodo actum odii, non vero retractationis; alteram magis artificiosam inter ipsos habitus, qua, juxta nutantia ac sibi propria principia tum philosophica tum theologica, introducit duos habitus Poenitentiae, alterum acquisitum, alterum infusum; quoad habitum acquisitum docet peccata propria et aliena posse detestari vel a duobus habitibus distinctis, vel a duabus partibus ejusdem habitus,

[50] L.c., n. 20, p. 401.

seu veluti a partialibus habitibus, vel partialiter ab eodem habitu secundum diversas terminationes; quoad habitum vero infusum ait quod, quamvis non valeat aliquid certum statuere eo quod bene posset admitti duplex habitus Poenitentiae, alterum de peccatis propriis, alterum de alienis, tamen probabile est unum eundemque habitum ad utrumque objectum se extendere.

Ad rem *Suarez:* "Honestas uniuscujusque virtutis, objective sumpta, per ipsammet virtutem amabilis est, sive nude consideretur, sive in proprio, sive in alieno subjecto. Et sic charitas amat honestatem et dignitatem divini amoris ubicumque illi proponatur. Ergo pari ratione unaquaeque virtus detestatur malum suae honestati contrarium, ubicumque illud proponatur; nam . . . ejusdem virtutis est odisse malum et diligere bonum. Ergo proportionali ratione poenitentia odio habet turpitudinem peccati, ubicumque illa proponatur, non quidem per modum retractationis, nam hic affectus imbibit respectum ad proprium actum commissum, sed per modum simplicis odii et abominationis."[51]

CONCLUSIO

Conclusio 1. Objectum formale et specificativum Poenitentiae est ratio satisfactionis, seu compensationis pro offensa, contentae in emendatione dolorosa, non vero servare generaliter jus divinum illaesum, aut bonum compensationis nude sumptum, aut bonum pacis cum Deo.

Probatur per partes.

1A PARS: OBJECTUM FORMALE POENITENTIAE EST RATIO SATISFACTIONIS, SEU COMPENSATIONIS, CONTENTAE IN EMENDATIONE DOLOROSA.

Ratione peccati, prout est laesio juris Dei ut Domini et Legislatoris, consistens in aversione voluntatis a Deo ejusque adhaesione ad creaturam, debetur Deo satisfactio, i.e. effectiva compensatio pro offensa; haec autem nequit consistere nisi in ipsa emendatione seu mutatione voluntatis, quae habetur per dolorem, quo veluti frangitur cohaesio voluntatis ad peccatum et offertur Deo cor confractum et contribulatum. Atqui talis satisfactio ex una parte pertinet ad virtutem Poenitentiae et ex alia parte est objectum habens specialem bonitatem moralem, valens specificare directe et per se ipsam virtutem, quod facere non valet ulla alia ratio ab adversariis excogitata vel excogitabilis. Ergo ipsa est objectum formale et specificativum Poenitentiae.

[51] De Poenitentia, disp. 2, sect. 1, n. 11, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 30.

Praeterea, juxta sensum traditionalem, virtus Poenitentiae formaliter et primario tendit in offensam Dei ut directe destruendam, reparandam et compensandam. Atqui nonnisi per satisfactionem contentam in emendatione dolorosa, formaliter et primario fit directa destructio, reparatio et compensatio offensae Dei, ut ex modo dictis patet. Ergo virtus Poenitentiae tendit formaliter in praedictam satisfactionem.

Praeterea, Poenitentia est formaliter quaedem justitia ad Deum, quamvis imperfecta, de ratione autem justitiae est reddere unicuique suum. Atqui per solam satisfactionem contentam in emendatione dolorosa, seu per quamdam interiorem fractionem adhaesionis ad peccatum quae in dolore consistit, peccator restituit Deo quod suum est, seu ipsam non adhaesionem ad peccatum quae coincidit cum adhaesione ad Deum. Ergo praedicta satisfactio est de formali ratione Poenitentiae, adeoque ejus formale objectum.

Praeterea, idem colligitur ex signanti et constanti *DOCTRINA S. THOMAE,* praecipue in locis in quibus directe attendit ad formalem indolem Poenitentiae, prout est specialis virtus ad aliis distincta, et ad ipsum primarium objectum ejus:

A. 1: Poenitentia est "dolor de peccatis praeteritis cum intentione removendi ea."

A. 1, ad 3: "Dolor [poenitentis] . . . est displicentia seu reprobatio facti praeteriti cum intentione removendi sequelam ipsius, scilicet offensam Dei et reatum poenae".

A. 2: "Ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Manifestum est autem quod in poenitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati praeteriti, inquantum est Dei offensa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis."

A. 2, ad 2: "Poenitentia . . . respicit omnia peccata, sed tamen sub ratione speciali, inquantum scilicet sunt emendabilia per actum hominis".

A. 2, ad 3: "Poenitentia expellit omne peccatum effective inquantum operatur ad destructionem peccati".

A. 3: "Poenitentia non habet quod sit virtus specialis ex hoc solo quod dolet de malo perpetrato, ad hoc enim sufficeret charitas; sed ex eo quod poenitens dolet de peccato commisso, inquantum est offensa Dei cum emendationis proposito".

A. 3, ad 3: "[Homo] voluntarie recompensat emendam, quod pertinet ad poenitentiam".

A. 4: "Proprius . . . [Poenitentiae] actus est propositum emendandi illud quod contra Deum commissum est."

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 3: "Aliud est de ratione poenitentiae . . . quod non est de ratione virtutis communiter, scilicet de peccato commisso satisfacere."

Ibid.: "Poenitentia accipit specialem rationem objecti ex hoc quod respicit peccatum a se commissum ut expiabile per poenitentis actum".

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 3, ad 3: "Quamvis detestari absolute mala peracta consequatur omnem virtutem . . . tamen ad expiationem detestari, est proprium specialis virtutis [i.e. Poenitentiae]."

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 4: "Objectum [Poenitentiae] . . . est peccatum commissum, quod intendit expiare".

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 4, ad 1: "Ordo ejus [i.e. Poenitentiae] ad objectum tangitur in hoc quod dicitur peccata commissa flere".

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 4, ad 2: "[Poenitentia] in peccata commissa destruenda movetur . . .; actus ejus [est] . . . peccatum expellere".

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 6: "Poenitentia consistit in emendatione offensae voluntarie assumpta".

Ibid.: "Deo, qui intuetur cor, oportet quod incipiat recompensatio fieri in ipso cordis affectu . . . [et proinde] quod homo in corde exhibeat per poenitentiam . . . dolorem cordis pro malis quae fecit".

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 6, ad 4: "[Poenitentia] est emendatoria offensae commissae in Deum".

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 6, ad 6: S. Doctor ait definitionem Magistri de Poenitentia esse "completissimam" eo quod tangat ea "quae ad emendationem Deo exhibendam requiruntur" et definitionem Pseudo-Augustini "differentias etiam magis proximas ad propriam speciem ponere, in hoc quod addit rationem punitionis ad dolorem."

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 3, q. 4: "Detestari malum commissum cum emendationis proposito et intentione expiandi, vel Deum placandi de offensa commissa, est actus ejus [i.e. Poenitentiae]."

Ex his patet S. Thomam objectum formale Poenitentiae exhibere sub tribus sequentibus rationibus, sibi invicem aequivalentibus: 1. *Dolere* de peccato formaliter ut offensa Dei (adeoque ut est quid expiabile et emendabile, nam offensa qua talis expiationem appellat); qui actus dolendi exprimitur etiam vocibus: displicentia, reprobatio, detestatio, fletus. 2. *Emendare* per actum hominis, operari ad destructionem peccati, peccatum effective expellere, destruere, removere. 3. *Satisfacere*, expiare, punire, compensare. Istae tres rationes ita a S. Doctore inter se subordinantur ut explicite aut aequivalenter dicatur: dolor emendans et compensans, vel emendatio per actum hominis seu dolorem, vel satisfactio (seu expiatio, compensatio, punitio) per actum hominis seu dolorem. Ipsa autem ratio satisfactionis seu compensationis pro-

ponitur ut magis specifica et formalis; signanter in paenultimo ex citatis textibus S. Doctor ait rationem punitionis (seu satisfactionis pro culpa) exprimere differentiam magis proximam ad propriam speciem Poenitentiae.

Ex dictis colligitur objectum formale Poenitentiae esse satisfactionem seu compensationem pro offensa Dei, contentam in emendatione quae invenitur in dolore. Hoc formale objectum ex tribus sibi invicem subordinatis rationibus vel formalitatibus coalescit, scilicet *dolore, emendatione* et *satisfactione,* ita tamen ut haec ultima sit propriissima ratio formalizans alias easque colligens sub unica ratione objecti formalis, a quo specificatur Poenitentia. Haec enim, cum sit formaliter quaedam justitia ad Deum, habet pro objecto satisfactionem seu compensationem offensae Dei; talis autem satisfactio consistit in ipsa emendatione cordis, et haec cordis emendatio consistit in ipso dolore. Propterea indifferenter dici potest, et a variis doctoribus dicitur, objectum formale Poenitentiae esse satisfactionem, vel emendationem, vel dolorem, seu peccatum ut expiabile, vel ut emendabile, vel ut flebile; formaliter tamen loquendo objectum Poenitentiae est incomplexe et indivise satisfactio emendationis dolorosae, et formalissime est ipsa ratio satisfactionis pro offensa Dei.

2A PARS: OBJECTUM FORMALE POENITENTIAE NON EST RATIO SERVANDI GENERALITER JUS DIVINUM ILLAESUM, NEC BONUM COMPENSATIONIS NUDE SUMPTUM, NEC BONUM PACIS CUM DEO.

Ratio servandi *jus divinum illaesum,* generice et indistincte accepta, non constituit specialem bonitatem, sed pertinet diverso modo ad omnes virtutes, ut dictum est in art. 12 (resp. ad obj. 20, p. 333 sq.). Ad Poenitentiam quidem pertinet servare jus divinum illaesum, sed sub hac peculiari et specifice distincta ratione quae est compensare pro jure laeso, i.e. satisfacere pro peccato per emendationem dolorosam. Rationibus a *Galtier* adductis responsum est ibidem.

Bonum compensationis nude sumptum, seu ut praescindit ab emendatione dolorosa, nequit constituere objectum Poenitentiae, ut ostensum est in art. praec. (p. 341 sq.).

Bonum pacis cum Deo nequit esse formale objectum Poenitentiae, sed tantummodo ejus finis extrinsecus. Nam, ipso Lugone fatente nobiscum contra Vasquesium, primarius et formalis actus Poenitentiae est contritio, seu dolor et detestatio. Jamvero bonum pacis cum Deo nequit esse formale objectum contritionis (idem autem esse debet objectum virtutis et objectum primarii actus ipsius); nam bonum pacis cum Deo non odio habetur, sed e contrario appetitur, solum vero

peccatum poenitens detestatur et tantum de eo tristatur. Nec valet dicere contritionem esse de ipso peccato prout est obstaculum pacis cum Deo, quia ratio obstaculi est ratio negativa quae nequit specificare positivum actum contritionis; unde adducenda est ratio quaedam positiva, nec alia esse potest quam ratio satisfactionis et compensationis dolorosae, per quam ipsum obstaculum pacis cum Deo aufertur et pax ipsa tanquam finis et effectus obtinetur.

Inconsulte *Lugo* adducit in favorem suae sententiae *auctoritatem S. Thomae,* inquiens: "Clarius . . . S. Thomas hoc expressit [scilicet bonum pacis esse objectum Poenitentiae] in IV, d. XIV, q. 1, art. 1; quaestiunc. iii, ad ultimum, ubi probat idem intentum his verbis: 'Sicut enim est alicujus virtutis, ut homo placet eum, quem peccando offendit; ita etiam est alicujus virtutis, ut homo Deum placet, quem peccando offendit.' Non potuit clarius nostram sententiam explicare: haec enim est nostra conclusio, et ejus probatio, ut vidimus."[52]

Respondetur imprimis quod, etiam si S. Doctor alibi et explicite contra sensum Lugonis mentem suam non aperuisset, ex objectis verbis tantummodo deduceretur bonum pacis vel potius placationem Dei pertinere quomodolibet ad Poenitentiam, non vero tanquam ipsum ejus objectum, quinimmo hoc excluditur ex ipsa adducta comparatione cum placatione hominis, quae non est objectum justitiae, sed ejus finis et effectus. Satisfactio enim homini reddita pro offensa ipsi illata, consistens in humiliatione, petitione veniae aliisque signis displicentiae, habet pro immediato objecto ipsam offensam ut detestabilem et emendabilem per illos actus, non vero ipsam passivam placationem offensi, quae se habet tantum ut finis et effectus.

Ceterum, S. Doctor immediate post allegata verba ter retundit inconsultam Lugonis interpretationem, explicite docens reconciliationem cum Deo non esse objectum sed finem Poenitentiae:

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 4: "Objectum ejus [i.e. Poenitentiae] est peccatum commissum, quod intendit expiare; finis autem est Deus, cui intendit reconciliari".

Ibid., ad 1: "In hoc quod dicit, quod poenitentia reconciliat Deo, non tangitur relatio poenitentiae ad objectum suum, sed magis ad finem; sed ordo ejus ad objectum tangitur in hoc quod dicitur peccata commissa flere".

Ibid., ad 2: "Poenitentia . . . quamvis non habeat Deum pro objecto, habet tamen Deum pro fine proximo: quia ad hoc in peccata commissa destruenda movetur ut Deo reconcilietur" (cf. integrum textum cit. in art. 12, Concl. 4, p. 299 sq.).

[52] Disp. schol., t. 4, De Poenitentia, disp. 2, sect. 4, n. 51, Parisiis, 1892, p. 391.

DICES 1. Ratio satisfactionis, cum includat amorem ipsius peccati, non importat perfectam rationem honestatis nec ideo potest specificare aliquam virtutem. Ceterum (et haec est objectio *Lugonis*), quamvis satisfactio sit objectum honestum valens specificare innominatam quamdam virtutem, nequit esse objectum specificans ipsam Poenitentiam. Nam Poenitentia opponitur peccato, cum, juxta sensum Traditionis, tota tendat ad dolendum et detestandum peccatum; satisfactio vero seu compensatio non opponitur peccato, imo ita in sua formali ratione illud involvit, ut amor satisfaciendi includat aliquem amorem (non absolutum sed simplicem et conditionatum) ipsius peccati, eo quod si non haberetur peccatum, non posset poni ipsa satisfactio.

RESP. Ut ostendimus supra in art. 12 (resp. ad obj. 6, p. 312 sq.), falsum est voluntatem satisfaciendi includere amorem peccati; unde ruit fundamentum hujus objectionis sub duplici ejus forma. Ratio satisfactionis et ratio doloris de peccato nedum opponantur, sibi invicem includunt, ut supra dictum est, ita ut satisfactio non tantum non involvat amorem peccati sed sit ipsa ejus detestatio.

DICES 2. Satisfactio nequit esse objectum Poenitentiae sed ad summum ejus finis et effectus; nam satisfactio fundatur vel consistit in ipso dolore, ut dictum est; dolor autem est ipse actus Poenitentiae, ergo nequit esse objectum aut fundamentum objecti ipsius, cum objectum praesupponatur actui.

RESP. Objectum Poenitentiae non est satisfactio ut actio, sed ut ratio, seu est ipsa ratio expiabilitatis vel (sit venia verbo) satisfacibilitatis, et idem dic de dolore et emendatione; adaequatum enim objectum Poenitentiae est peccatum ut expiabile, emendabile, flebile. Nec obstat quod istae tres rationes aut denominationes in peccato proveniant ex ipsis tribus actionibus satisfactionis, emendationis et doloris, quoniam id est proprium omnium objectorum et terminativorum, respectu actuum et potentiarum; ita propriissimum objectum intellectus est intelligibile, quod dicitur ab intellectione, et objectum voluntatis est volibile, quod dicitur a volitione; sub his tamen rationibus adest quaedam ratio eas proxime fundans, uti sub intelligibilibus adest quaedam ratio eas proxime fundans, uti sub intelligibilitate ratio immaterialitatis vel veri, et sub volibilitate ratio convenientiae vel boni, et sub expiabilitate ratio offensae qua talis.

DICES 3. Formale objectum Poenitentiae nequit esse satisfactio pro peccatis. Nam Poenitentia praecedit remissionem peccati ad quam tendit; jamvero ante remissionem peccati seu infusionem gratiae nihil est satisfactorium, cum satisfactio fundetur in ipsa gratia. Ergo Poeni-

tentia nequit habere rationem satisfactionis neque in suo actu neque in suo objecto.

Nec valet dicere cum quibusdam quod contritio, quae est formalis actus Poenitentiae, subsequitur gratiam a qua ipsa procedit ac ita accipit vim satisfactoriam; nam, abstrahendo ab hoc quod vix intelligi possit quomodo contritio subsequatur gratiam cum ordinetur ad remissionem peccati, exinde sequeretur quidem contritionem esse satisfactoriam, non tamen satisfactoriam ad peccati remissionem quae jam supponitur facta.

Nec valet addere contritionem simul praecedere et subsequi gratiam in diverso genere causarum; nam difficultas adhuc integra subsistit, quoniam contritio aut intelligitur prior gratia, et tunc nullatenus est satisfactoria, aut intelligitur posterior, et tunc non est satisfactoria pro ipso peccato, imo nec videtur quomodo ipsa sit actus Poenitentiae quae debet praecedere peccati remissionem.

RESP. *Quidam* thomistae, ut *Cajetanus* (Opusc. de fide et operibus, c. 11) et *Soto*, huic difficultati veluti succumbentes, concedunt Poenitentiam et contritionem non habere vim satisfactoriam pro ipso peccato, sed tantum pro poena temporali. Quod manifeste opponitur doctrinae S. Thomae superius expositae.

Alii dicunt Poenitentiam esse satisfactoriam pro peccato hoc sensu quod Deus infundit gratiam peccatorum remissivam, intuitu satisfactionis subsecuturae per actum contritionis procedentem ab ipsa gratia. *Attamen* haec solutio imprimis pervertit ipsam indolem actus Poenitentiae, nam haec essentialiter ordinatur ad ipsam destructionem peccati nec proinde potest praesupponere ejus remissionem jam factam; secundo, ex hac solutione sequeretur effectum, seu contritionem, esse causam suae causae, seu gratiae remissivae, et ipsam gratiam quae est principium meriti cadere sub merito, seu esse terminum meriti vel satisfactionis; quae pugnant cum sana philosophia et theologia.

Alii, ut *Suarez* et *Joannes a S. Thoma*, negant minorem praefati argumenti. Docent nempe actum contritionis justificantis non procedere a gratia sanctificante, sed eam praecedere, ac elici a voluntate sub auxilio gratiae actualis; addunt tamen hanc contritionem habere sufficienter rationem verae satisfactionis, etsi sub hac ipsa ratione perficiatur per supervenientem gratiam sanctificantem, a qua veluti informatur et a qua subinde elicitur. *Attamen*, haec sententia auribus thomisticis dura videtur, praecipue quoad primum ejus assertum, ut convenientius ostendetur infra in art. 51 (Cap. VI De Satisfactione).

Alia igitur et vera solutio, ex principiis *S. Thomae* deducta, proponitur ab aliis thomistis, uti *Salmanticensibus*, qui hanc rem fusiori ac subtili calamo expendunt.[53]

Cui solutioni sequentia quinque capita doctrinae S. Thomae *praemittenda sunt:*

Primo, in justificatione peccatoris duae causae et duo motus concurrunt, Deus nempe infundens gratiam et liberum arbitrium eam acceptans (1–2, q. 113, a. 3).

Secundo, infusio gratiae et remotio peccati, in quibus consistit justificatio, sunt duae mutationes realiter et essentialiter distinctae (De Veritate, q. 28, a. 6), cum habeant distinctos terminos a quo et ad quem (i.e. a non esse gratiae ad esse gratiae, et ab esse peccati ad non esse peccati).

Tertio, prior mutatio debetur formaliter influxui divino seu gratiae, altera vero debetur influxui liberi arbitrii qui consistit in ipso actu retractationis seu contritionis (1–2, q. 113, a. 6).

Quarto, inter has duas mutationes talis ordo prioritatis (non temporis sed naturae) invenitur ut infusio gratiae praecedat in ordine causae efficientis et finalis, remotio vero peccati praecedat in ordine causae materialis seu ex parte subjecti, quia non intelligitur remissa culpa, seu justificatio, nisi praeintelligatur remotum impedimentum remissionis, seu peccatum, sicut non intelligitur expulsa umbra per lucem solis nisi praeintelligatur remotum corpus a quo provenit umbra (1–2, q. 113, a. 8; De Veritate, q. 28, a. 7).

Quinto. "Quia tamen haec mutua causarum dependentia non impedit, quin retinet absolutum causarum ordinem, et, quia finis, qui est primus in intentione, est ultimus in executione; et deinde efficiens, a quo primo in executione primo incipit motus, ad quem subsequitur forma, ac tandem sistitur in materia, seu subjecto recepturo formam; idcirco in justificatione, in qua finis est remissio peccati, prior est infusio gratiae a Deo ut ab efficienti, deinde informatio essentialis . . . gratiae, ad quam sequitur contritio ex parte subjecti, ac tandem consequitur remissio culpae sub conceptu offensae; nam sub conceptu maculae, et privationis jam supponitur ablata in signo primo infusionis, licet non sub ratione voluntariae, quo pacto importat aversionem a Deo, et fundat ipsius offensam. Quod luculentius, et compendiosius explicuit *D. Thomas 1, 2, quaest. 113, art. 6*. Ubi enumerans omnia praedicta inquit: 'Quatuor enumerantur, quae requiruntur ad justificationem impii, scilicet gratiae infusio, motus liberi arbitrii in Deum per fidem, et motus liberi arbitrii in peccatum, et remissio culpae'. Ubi remissio culpae posterior assignatur motu liberi arbitrii. 'Cujus ratio (inquit) est, quia sicut dictum est, justificatio est quidam motus, quo anima

[53] De Poenitentia, Disp. 5, dub. 4, § 6, n. 157–173.

movetur a Deo a statu culpae in statum justitiae, in quolibet autem motu, quo aliquid ab altero movetur tria requiruntur. Primo quidem motio ipsius moventis. Secundo motus ipsius mobilis. Tertio consummatio motus, sive perventio ad finem. Ex parte igitur motionis divinae accipitur gratiae infusio (ecce primum absolute): ex parte vero liberi arbitrii moti accipiuntur duo motus ipsius secundum recessum a termino a quo, et accessum ad terminum ad quem. (En actum contritionis detestantem peccatum propter Deum summe dilectum, in quo est recessus a peccato, et accessus ad Deum). Consummatio autem, sive perventio ad terminum hujus motus importatur per remissionem culpae: in hoc enim justificatio consummatur', quia ut dictum est, finis qui est primus in intentione, est ultimus in executione. Hinc vero clarissime liquet actum contritionis ita subsequi ad infusionem gratiae, quod antecedat, si non prioritate temporis, prioritate tamen naturae, et causalitatis, remissionem offensae; atque ideo medium tenet inter unam, et alteram, unde ita est effectus gratiae, subindeque posterior, quod etiam sit causa remissionis, et consequenter prior."[54]

Ex his liquido et immediate fluit *solutio difficultatis.*

Nam actus poenitentiae seu contritio, ordine non temporis sed naturae, mediat inter gratiam (ac ideo remotionem peccati ut maculae) et remotionem peccati ut offensae, adeoque prout sequitur gratiam et ex ea fluit, est satisfactoria, et prout praecedit remotionem offensae, est satisfactoria pro offensa seu suum influxum satisfactorium dirigit in remotionem offensae. Hoc modo omnia quae a thomistis docentur optime salvantur et ad invicem coordinantur, quod nempe actus contritionis tendat in remotionem peccati eamque praecedat, et tamen sequatur ex ipsa gratia seu ex charitate per quam peccatum ipsum removetur; item quod contritio sit satisfactoria seu habeat influxum satisfactorium in remotionem peccati, et tamen id habeat ex ipsa gratia per quam peccatum expellitur; nam peccatum removetur sive ab ipsa gratia, in ratione maculae, sive a contritione, in ratione offensae, et ita contritio praecedit remotionem offensae et contra eam satisfactorie operatur, quamvis subsequatur remotionem maculae et gratiam, a qua dependet quoad suum esse et operari.

Oppones ineptam esse praedictam distinctionem inter remotionem peccati ut maculae et remotionem peccati ut offensae, eo fine excogitatam ut inter utramque remotionem fiat locus contritioni. Nam in ipso eodem signo priori, in quo Deus removet peccatum ut maculam per infusionem gratiae, intelligitur etiam extincta offensa, non enim Deus gratiam infunderet si adhuc offensus maneret, cum nihil aliud sit esse offensus quam alium excludere a gratia sua, ut ait S. Thomas, q. 86, a. 2.

[54] *Salmanticenses,* De Poenitentia, Disp. 5, dub. 4, § 6, n. 164, Cursus Theol., t. 19, Parisiis, 1883, p. 488 sq.

Resp. Offensa Dei, adhuc ex parte Dei, duo importat, actum ipsum displicentiae voluntatis divinae, qui vocari potest offensa activa, et ipsam rationem violationis juris divini, quae non est voluntaria Deo sed creaturae, quaeque vocari potest offensa passiva; etiam in humanis aliud est ipsa injuria alicui illata et aliud est ipsa displicentia exinde in ejus voluntate causata, ita ut possit ille deponere actum displicentiae quin ex hoc ipso auferatur factum violationis sui juris ab alio patratae. Praeterea, gratia tripliciter accipi potest: primo active et ex parte Dei, prout dicit voluntatem gratiosam et benevolam; secundo ex parte hominis, quoad physicam ejus entitatem habitus supernaturalis; tertio ex parte hominis, quoad suum effectum moralem auferendi rationem offensae et instaurandi relationem amicitiae; primo modo gratia opponitur offensae Dei activae, secundo modo opponitur maculae peccati, tertio modo opponitur offensae passivae.

Quapropter, si offensa sumatur active, certo certius ipsa remittitur eo ipso quod Deus infundit gratiam, non enim Deus gratiam infunderet si adhuc peccatorem odio haberet; unde in eodem signo priori remittitur activa offensa per oppositam gratiam activam et aufertur etiam macula peccati per oppositam physicam entitatem gratiae. Inde tamen non sequitur in eodem instanti priori ipsam offensam passivam tolli; nam haec non opponitur directe ipsi physicae entitati gratiae nec inde ab ea destruitur, sed destruenda est in signo posteriori per retractationem creaturae seu per oppositum actum contritionis, ex ipsa gratia profluentem, eo quod, cum sit voluntaria non Deo sed creaturae, intelligitur tandiu manere quandiu per oppositum actum contritionis non sit retractata.

"Quocirca in illo priori infusionis gratiae, intelligitur exclusa macula peccati, et displicentia divina ex parte actus; non vero ipsa formalis offensa, ut adhuc in humanis ostendere possumus, ubi non semel accidit deposita inimicitia personae suppetere adhuc quid ex justitia luendum poenae, vel restituendum. Et hoc quod realiter, et a parte rei successive accidit inter homines, intelligitur fieri, et revera fit instantanee inter Deum, et hominem justificandum: convertit enim Deus media gratia se ad creaturam, in quo stat condonatio activa ex parte Dei; et in eodemmet instanti se convertit sub ipsa gratia creatura ad Deum, in quo stat ejus satisfactio: et tunc completur, ac perficitur justificatio libera tam ex parte Dei, quam ex parte creaturae, et omnia consonant."[55]

[55] *Salmanticenses,* De Poenitentia, Disp. 5, dub. 4, § 6, n. 172, Cursus Theol., t. 19, Parisiis, 1883, p. 497.

Oppones iterum. Remotio peccati, ut est offensa, fit per ipsam gratiam tertio supradicto modo acceptam; ex quo sequitur quod actus contritionis qui est influxus ipsius gratiae mediet inter gratiam ut auferentem maculam et eandem gratiam ut auferentem offensam, ac proinde quod eadem gratia sit prior et posterior seipsa et quod influxus gratiae seu contritio praecedat et causet ipsam gratiam; in quo habetur cumulus subtilium contradictionum.

Resp. In his nulla deprehenditur contradictio sed tantum mutuus influxus et mutua prioritas causarum in diverso genere; ad hoc praecise reducitur tota ratio justificationis in qua infusio gratiae causat remotionem peccati et vicissim, ac ita unum istorum est prius et posterius seipso secundum diversam rationem et diversum genus causae; cum autem in justificatione interveniant duo influxus, Dei nempe et liberi arbitrii, gratia, ut a Deo descendens, causat gratiam, ut a libero arbitrio acceptatam, causando hanc ipsam acceptationem seu actum contritionis ex quo, tanquam ex actu satisfactorio, ipsa obtinet ut sit remotiva offensae qua talis, et non tantum ablativa maculae, quod habet directe ex seipsa.

Ejusdem rationis prioritatis et posterioritatis exempla praebet et Philosophia et Theologia. Sic forma hominis, seu anima humana, una existens, praebet corpori diversos perfectionis gradus (i.e. esse corporeum, vegetativum, sensitivum, intellectivum); ex unoquoque autem istorum graduum dimanant propria accidentia, ita ut haec praecedant et disponant ad superiorem gradum (sic accidentia quae sunt propria corporis praeintelliguntur dimanare ante gradum vegetativum) et consequenter eadem forma secundum diversos gradus est prior et posterior seipsa in essendo et influendo (cf. 1 p., q. 76, a. 6, corp. et ad 1). Aliquid altius ac profundius accidit in mysterio Trinitatis, in quo eadem prorsus relatio paternitatis est prior et posterior semetipsa, imo est prior et posterior actu generationis, nam sub conceptu "in" (imo formalius sub conceptu "ad, ut quo") praecedit generationem tanquam ejus principium atque constituit personam Patris, sub conceptu vero "ad" (imo formalius sub conceptu "ad, ut quod") subsequitur generationem et ab ea dimanat tanquam a suo fundamento.

Conclusio 2. Objectum materiale Poenitentiae est omne et solum peccatum personaliter commissum, adeoque peccatum mortale tam actuale, quam habituale, peccatum veniale, peccatum jam remissum sive mortale sive veniale, ipsa poena prout est sequela peccati, non vero imperfectiones proprie dictae, peccatum materiale, peccatum futurum, peccatum originale, peccatum alienum.

Probatur per partes.

1a Pars. Omne et solum peccatum personale est objectum materiale Poenitentiae.

Nam circa omne et solum peccatum personale exerceri potest primarius actus Poenitentiae, qui est contritio, seu dolor et detestatio.

2a Pars. Peccatum mortale tam actuale quam habituale est objectum Poenitentiae, et quidem primarium.

Quoad peccatum mortale actuale planum est ipsum esse objectum, et quidem primarium Poenitentiae, cum in ipso, tanquam in perfecta aversione a Deo, consistat simpliciter dicta offensa Dei, quae dolorosa reconversione et satisfactione indigeat.

Idem ceterum valet de peccato habituali, in quo tanquam in effectu manet ipsum peccatum actuale; in eo enim, odio habetur causa tanquam in effectu, et quia dolor seu detestatio peccati implicat ejus retractationem, eo ipso etiam habituale peccatum retractari dici potest, cum retractatio actualis peccati tantum extendatur quantum ipsum peccatum, adeoque usque ad ejus effectus. Unde inaniter *Lugo* concedit dolorem et negat retractationem quoad peccatum habituale, nec *S. Thomas* ullatenus distinguit inter actus poenitentis, sed simpliciter asserit Poenitentiam consistere in "intentione removendi sequelam [peccati] . . . , scilicet offensam Dei et reatum poenae" (*a. 1, ad 3;* cf. In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 6, ad 3). Quod autem addit Lugo peccatum habituale, ut sic et prout distinguitur ab actuali, importare solam carentiam condonationis divinae, verum non est; ipsum enim importat essentialiater rationem maculae et effectus peccati actualis, et ita nequit abstrahere a sua relatione ad actuale.

3a Pars. Peccatum veniale est objectum Poenitentiae, quamvis secundarium.

Ut enim dictum est in art. 7 (ubi de materia Poenitentiae ut sacramenti), peccatum veniale habet veram rationem peccati et offensae Dei, quamvis non simpliciter, adeoque appellat reparationem et satisfactionem, quae est proprium objectum Poenitentiae. Praeterea, peccatum veniale inclinat et disponit ad mortale; unde ipse actus detestationis mortalium ad venialia quodammodo extenditur. Praeterea, aliae virtutes fugiunt suum contrarium, etiam in materia levi, sicut temperantia fugit actum gulae etiam levem, justitia abstinet a furto etiam levi necnon a levioribus offensionibus et laesionibus juris alieni; ergo a pari Poenitentia detestatur offensam Dei etiam in materia levi.

Speciosa autem *objectio* quorundam, deducta ex hoc quod Poenitentia importet inaequalem satisfactionem, dum de venialibus datur

aequalis satisfactio, nihil officit, quoniam, ut dictum est in art. 12 (resp. ad Instes post obj. 19, p. 332 sq.), non est necesse ut actus secundarius alicujus virtutis respiciat immediate ipsum formale objectum virtutis, sicut actus principalis, sed sufficit ut illud respiciat mediate, i.e. tanquam radicem et causam moventem ad attingentiam proprii et immediati sui objecti; jamvero ex intentione satisfactionis pro offensa Dei simpliciter, quae nequit esse nisi inaequalis, movetur poenitens ad satisfactionem pro offensa Dei secundum quid, quae est necessario aequalis; nec ista ratio aequalitatis contradicit rationi inaequalitatis quae habetur in actu principali, quoniam haec inaequalitas est elementum specificum Poenitentiae non in sensu exclusivo sed tantum affirmativo; non enim Poenitentia tendit in satisfactionem ut sit inaequalis, sed quae est inaequalis, quinimmo, cum Poenitentia sit quaedam justitia ad Deum, de cujus ratione est tribuere unicuique suum, ad intimam indolem ejus pertinet ut tendat ad satisfactionem quantum potest, adeoque secundum aequalitatem relate ad venialia, quamvis non possit nisi inaequaliter satisfacere pro mortalibus (cf. supra, art. 12, p. 332 sq.).

4a Pars. Peccatum jam remissum, tam mortale quam veniale, est objectum Poenitentiae.

Ut enim dictum est in art. 7, Concl. 3 (ubi de materia sacramenti Poenitentiae), peccatum, quantumvis remissum, remanet in suo esse objectivo ut praeteritum, necnon quodammodo subjective in suis causis et effectibus, adeoque potest a principali actu Poenitentiae attingi, seu abhorreri et reparari (cf. dicta in art. 11, resp. ad obj. 1, p. 271–276).

5a Pars. Etiam poena, pro peccato debita, est objectum Poenitentiae.

Poena enim est effectus peccati, unde in ea abhorreri potest ipsum peccatum tanquam causa in effectu, et intentio destruendi poenam per satisfactionem est intentio destruendi peccatum in suis effectibus.

Unde vana est distinctio *Lugonis* et *Suaresii*, concedentium poenam attingi a Poenitentia ut medium placationis et ut objectum prosecutionis, non vero ut objectum doloris et detestationis; ex ipsa enim detestatione provenit quod poenitens amplectetur poenam, non enim eam amplectitur ut objectum amatum, sed ut objectum auferendum, seu potius amplectitur satisfactionem per quam aufertur ipsa poena, seu reatus poenae aut debitum solvendi poenam. Propterea *S. Thomas* absque ulla distinctione ait actum Poenitentiae esse "dolorem . . . facti praeteriti cum intentione removendi sequelam ipsius, scilicet offensam Dei et reatum poenae" (a. 1, ad 3) et "detestari aliquid ex purgatione ejus et quantum ad culpam et quantum ad reatum" (In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 3; cf. q. 1, a. 1, q. 6, ad 3; dist. 17, q. 2, a. 2, q. 1).

6a Pars. Imperfectiones proprie dictae nullo modo sunt objectum Poenitentiae.

Imperfectio tripliciter accipi potest, vel mere negative, pro carentia perfectionis possibilis inesse subjecto, et ita omnis actus hominis, quantumvis bonus, est imperfectus; vel privative, pro carentia perfectionis debitae ex titulo necessitatis, et haec in moralibus, consistit in peccato saltem veniali; vel iterum privative, pro carentia tamen perfectionis debitae ex solo titulo convenientiae, et haec est proprie dicta imperfectio de qua praesens quaestio movetur (nam constat imperfectionem secundo modo acceptam nullatenus esse objectum Poenitentiae, primo vero modo acceptam constituere proprium ejus objectum).

Proprie dicta igitur imperfectio nullatenus est objectum Poenitentiae quia nullo modo importat rationem peccati, ut constat ex ejus distinctione ab ipso peccato veniali, imo est secundum se actus bonus et meritorius, cum in actu voluntario non detur medium inter bonum et malum. Si ergo peccatum non est, nullam habet rationem offensae nec esse potest objectum proprie dictae displicentiae divinae aut doloris humani.

Inanis autem est distinctio *Lugonis* dicentis imperfectiones, etsi non malas, indirecte et remote disponere ad ipsum peccatum, ac ita esse objectum Poenitentiae. Id enim negatur, quia imperfectio, attenta natura ipsius actus, est actus bonus et meritorius, unde non ad peccatum sed ad gratiam disponit, quamvis non ad uberiora gratiae auxilia, nec a Deo retrahit sed ad Deum ducit, quamvis tardiori pede; non enim idem est indisponere et minus disponere, nec avertere et minus convertere. Nec refert quod spirituales magistri imperfectiones abhorreant earumque detestationem quam maxime inculcent, quoniam talis detestatio non pertinet ad virtutem Poenitentiae sed ad zelum charitatis, quo "aemulamur charismata meliora" et "excellentiorem viam" dilectionis prosequimur (1 Cor. 12, 31; cf. 13, 1 sqq.).

7a Pars. Peccatum materiale non est objectum Poenitentiae.

Peccato enim materiali prorsus deest propria ratio peccati, seu ratio voluntarii; unde ipsum non est offensa Dei quae indigeat reparari et compensari per dolorosam conversionem voluntatis. Ad rem *S. Thomas:* "Contritio non est de peccato ratione substantiae actus tantum, quia ex hoc non habet rationem mali"; "Contritio opponitur peccato ex parte illa qua ex electione voluntatis procedit . . . non autem ex parte ejus quod est in peccato materiale" (*In 4 Sent., dist. 17, q. 2, a. 2, q. 2, ad 1; q. 3, ad 1*).

Nec valet recurrere ad paritatem cum aliis virtutibus, quae detestantur suum contrarium, etiam involuntarium, quemadmodum justitia

fugit a nocumento proximi, quantumvis involuntario. Nam in hoc nulla est paritas, quoniam Poenitentia nequit abstrahere a ratione voluntarii, in qua consistit proprium ejus objectum, scilicet peccatum.

Nec juvat fingere cum *Lugone* aliquam mediatam pertinentiam peccati materialis ad hanc virtutem, fundatam in eo quod iteratio hujus peccati generet habitum ac ita remote disponat ad formale peccatum. Nam praedictus habitus, quicumque sit, nequaquam in ipsa voluntate generatur, quae est unica causa et subjectum formalis peccati. Ceterum, si peccatum materiale esset quomodolibet objectum Poenitentiae, idipsum asserendum esset de quibuslibet naturalibus inclinationibus et passionibus, quae possunt esse homini remota occasio peccati, dum sunt potius materia virtutis et meritorum. Detestatio igitur peccati materialis non ad Poenitentiam pertinet, sed ad reliquas virtutes in propria cujusque materia.

8a Pars. Peccatum originale non est objectum Poenitentiae.

Peccatum enim originale non est peccatum a subjecto commissum, nec consistit in aversione voluntatis a Deo, quae indigeat compensari per dolorosam conversionem, nec ideo potest quis de eo poenitere, quamvis possit in illud tendere per actum detestationis elicitum ab aliis virtutibus, ut dictum est in art. 8, Concl. 1 (p. 233 sq.). Ex quo manet contritus scrupulus *Lugonis* praedictam detestationem tribuentis ipsi virtuti Poenitentiae.

9a Pars. Peccatum futurum non est proprie objectum Poenitentiae.

Peccatum enim futurum non est peccatum commissum, nec importat aversionem et duritiam voluntatis quae indigeat removeri et conteri. Attamen circa tempus futurum, potius quam circa peccata futura, seu circa peccata possibilia in tempore futuro, datur secundarius actus Poenitentiae, qui est propositum non peccandi de cetero (cf. art. praec., Concl. 2, p. 345).

10a Pars. Peccatum alienum non est objectum Poenitentiae.

Contraria sententia nullum fundamentum habet in Traditione, imo est prorsus inaudita et extranea sensui Patrum et antiquorum doctorum, quorum omnes definitiones tum de contritione (cf. textum S. Thomae ad calcem art. praec., p. 351 sq.), tum de Poenitentia (cf. ad calcem praesentis art., p. 382 sq.), quas ipse *Lugo* affert et approbat (Disp. 2, sect. 2), nonnisi ad propria peccata ipsius poenitentis referuntur.

Praeterea, circa peccata aliena nequit exerceri sive actus secundarius Poenitentiae seu propositum vitandi, ut per se patet, sive actus principalis seu contritio, nam haec consistit in dolore, displicentia et detestatione non qualicumque sed tali quae importet conversionem voluntatis et fractionem duritiae ipsius; patet autem dolorem, displicentiam et detestationem, quam quis concipit de peccatis alterius, nullo modo istius voluntatem convertere vel frangere. Unde talis dolor et detestatio non ad Poenitentiam pertinet sed ad alias virtutes, praecipue ad charitatem et religionem. Ad rem *S. Thomas:* "Nullus poenitet nisi de his quae ipse fecit . . . [et] nullus conteritur de peccatis alienis", "Illud idem conteritur quod prius durum et integrum fuit: unde patet quod contritio pro peccato sit in eodem in quo peccati duritia praecessit: et sic de alienis peccatis non est contritio" (*In 4 Sent., dist. 17, q. 2, a. 2, q. 5, Sed contra et solutio*).

Item, finis Poenitentiae (imo, juxta Lugonem, objectum ipsum Poenitentiae) est peccatoris reconciliatio cum Deo; jamvero per dolorem et detestationem de peccatis alienis praedicta reconciliatio peccatoris non obtinetur.

Item, de peccato originali, quod minimum habet de voluntario, non datur Poenitentia; ergo a fortiori non datur de peccatis alienis, quae nulla omnino ratione sunt subjecto voluntaria.

Ceterum, rationes quibus adversarii suam affirmationem fulcire conantur, nullius sunt ponderis.

Cum enim aiunt objectum formale Poenitentiae esse laesionem divini juris quae aeque convenit propriis et alienis peccatis, falso nituntur fundamento; nam objectum Poenitentiae est laesio divini juris non quomodolibet, sed ut compensabilis per ipsam reconversionem voluntatis.

Cum igitur ulterius asserunt objectum Poenitentiae esse peccata, abstrahendo ab hoc quod sint propria vel aliena, gratuita affirmatione contenti sunt; nam peccatum, seu laesio divini juris, non quomodolibet inspicitur a Poenitentia, sed ut expiabile et compensabile per voluntatis conversionem. Ceterum, si praedicta affirmatio vera esset, sequeretur in Christo fuisse veram Poenitentiam, quod, quamvis non displiceat Suaresio et Lugoni (cf. art. seq., p. 386), est contra communem sensum theologorum.

Cum vero addunt Poenitentiam posse attingere peccata aliena sub ratione doloris et compensationis quamvis non sub ratione retractationis, iterum ex falso procedunt supposito; non enim aliter quam in ipsa voluntatis retractatione potest dolor poenitentialis et compensatio pro peccato consistere; cum enim Poenitentia sit simul et essentialiter tum retractatio tum compensatio, nequeunt hae duae rationes ab invicem praescindere, sed Poenitentia per eundem actum quo est retractativa, est etiam compensativa.

Cum denique obiciunt per eandem virtutem hominem posse solvere debita tum propria tum aliena, ut patet tum de debitis inter homines, tum de supernaturali satisfactione qua justus opera bona satisfactoria cedit in favorem aliorum, iterum obliviscuntur objecti formalis Poenitentiae, quod non est qualiscumque compensatio et satisfactio, sed pro peccato, talis nempe quae fiat per ipsam reconversionem ipsius voluntatis peccatricis. Nequit autem una voluntas fieri conversa per conversionem alterius nec ideo unus homo fieri poenitens per Poenitentiam alterius, sicut nequit unus fieri humilis vel castus per humilitatem vel castitatem alterius. Ex quo patet disparitas cum satisfactione bonorum operum quae pro aliis applicantur; haec enim est satisfactio non pro culpa, sed pro poena temporali, quae non consistit in conversione voluntatis sed tantum in executione alicujus operis; ob charitatis enim vinculum quo vinciuntur membra corporis mystici, opus unius valet coram Deo in satisfactionem pro altero, voluntas vero unius nequaquam computatur pro voluntate alterius ad finem contritionis, cum ipse defectus contritionis supponat illum avulsum a corpore mystico quod contritione et charitate coadunatur.

S. Thomas, In 4 Sent., dist. 20, q. 1, a. 2, q. 3, ad 2, adversario, ex ficta paritate inter contritionem, confessionem et satisfactionem, arguenti justum non posse satisfacere pro alio sicut non potest pro ipso conteri, respondet: "Contritio ordinatur contra culpam, quae ad dispositionem bonitatis vel malitiae hominis pertinet; et ideo per contritionem unius alius a culpa non liberatur. Similiter per confessionem homo se sacramentis Ecclesiae subjicit. Non autem potest unus sacramentum pro alio accipere; quia in sacramento gratia suscipienti datur, non alii. Et ideo non est similis ratio de satisfactione, contritione, et confessione."

Tandem artificiosae distinctiones *Lugonis* inter habitus partiales, inter habitum acquisitum et infusum et inter duos habitus tam acquisitos quam infusos, fallaces sunt. Prima enim distinctio dissolvitur in luce thomisticae ac sanae philosophiae, quae docet habitum esse qualitatem simplicem et indivisibilem; secunda probabitur falsa ex art. 16, ubi ostendetur Poenitentiam naturalem, seu acquisitam, non esse vere habitum virtutis; tertia scopum non attingit sed aërem videtur verberare, quoniam si peccata aliena attinguntur per habitum diversum ab eo quo propria attinguntur quique in Traditione consideratur sub nomine Poenitentiae, sequitur peccata aliena per Poenitentiam non attingi, quidquid sit de propria ratione et indole illius habitus qui ad detestanda aliena peccata in medium adducitur a Lugone.

NOTA 1. DE ADAEQUATO OBJECTO VIRTUTIS POENITENTIAE.

Objectum materiale est ipsum peccatum prout est laesio juris divini, attingenda per actum ipsius virtutis Poenitentiae.

Hoc objectum coalescit ex tribus gradibus seu subordinatis rationibus, i.e. *peccato, laesione juris divini* (vel jure divino laeso) et *actu virtutis;* inde oritur diversus modus loquendi doctorum, pro materiale objecto Poenitentiae assignantium vel peccatum, vel jus divinum, vel actum poenitentis. Stricte loquendo, objectum materiale proximum et immediatum est ipse actus virtutis, nam virtus nihil aliud est quam inclinatio ad actum, unde S. Thomas simpliciter ait "materiam [seu objectum] Poenitentiae esse actus humanos"; cum autem peccatum et laesio juris divini sint objectum actus Poenitentiae, ideo evadunt etiam mediatum et remotum objectum ipsius virtutis, ita ut laesio juris divini (et hoc modo ipsum jus divinum) sit objectum minus proximum, peccatum vero sit objectum remotum, et hoc sensu sit primum quod consideratur in objecto Poenitentiae ac non raro objectum simpliciter et sine addito nominatur.

Objectum formale quod, id nempe a quo immediate virtus specificatur, est ratio satisfactionis per emendationem dolorosam, prout afficit proxime actum poenitentis, et remote peccatum ut est laesio divini juris (adeoque actus poenitentis prout continet satisfactionem, emendationem, dolorem, et peccatum seu laesionem divini juris, ut expiabilem, emendabilem et flebilem). Hoc iterum objectum coalescit tribus rationibus ad invicem subordinatis, ut dictum est in Concl. 1, ita ut *satisfactio,* quae est formalissima, fundetur in *emendatione* et haec in *dolore.* Inde similiter provenit diversus modus loquendi doctorum in assignando formali objecto hujus virtutis, secundum quod nempe explicite considerant unam vel aliam ex tribus praedictis rationibus.

Objectum formale quo, seu intima ratio sub qua objectum formale quod valet specificare virtutem et ab ea attingi, est ipsa *specialis honestas,* seu moralis bonitas, quae relucet in praedicta satisfactione. Sic enim se habet bonitas relate ad voluntatem sicut se habet immaterialitas relate ad intellectum; utraque scilicet est ratio ultima ac quasi glutinum quo objectum conjungitur utrique facultati et evadit volibile et intelligibile.

Quidam introducunt *Deum,* puta ut placandum vel homini reconciliandum, cum loquuntur de objecto Poenitentiae; sed, ut diximus tum hic in Concl. 1 (contra Lugonem), tum in art. 12 (Concl. 4), Deus ejusque placatio et reconciliatio se habent non ex parte objecti

sed ex parte finis, quantumvis immediati (in quo Poenitentia convenit cum religione et differt a ceteris virtutibus moralibus, quae respiciunt Deum ut finem tantummodo mediate), ita ut ipsa placatio et reconciliatio sit *finis qui*, Deus vero ipse sit veluti *finis cui*.

NOTA 2. DEFINITIO VIRTUTIS POENITENTIAE.

Ex ejus objecto, praecipue formali, intelligitur qualiter haec virtus sit definienda. Oportet enim in ejus definitione compendiose includere rationem virtutis, rationem talis virtutis, seu justitiae potentialis, et utrumque formale et materiale objectum.

Sic igitur apte definiri videtur: *VIRTUS INCLINANS AD SATISFACIENDUM PRO OFFENSA DEO ILLATA PER PECCATUM.* Ubi vox "virtus" est genus, vox "inclinans" indicat nativam indolem generis remoti seu habitus, cetera vero verba sunt differentia specifica, ita ut in illis significetur et id quod est veluti genus proximum, seu ratio justitiae, et objectum formale, seu ratio satisfactionis, et triplex objectum materiale, seu actus poenitentis, ratio offensae et materia peccati.

Celebriores Patrum definitiones,[56] quarum plures refert et explicat *S. Thomas,* In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 6, sunt sequentes:

Tertullianus: "Passio animi quaedam quae veniat de offensa sententiae prioris [aliter: pejoris]" (loc. cit. in p. 98).

Lactantius: Dolor de errato, propria castigatio, propositum non peccandi de cetero (cf. loc. cit. in p. 10).

Ambrosius: "[Per Poenitentiam] dum dolemus admissa, admittenda excludimus" (De Poenit., l. 2, c. 10, M.L. 16, 541). Item: "Poenitentia vera est dolor cordis, et amaritudo animae pro malis quae quisque commisit" (Serm. 25 [9 de Quadragesima], M.L. 17, 677).

Augustinus: "Consideremus quod esse soleat in hominibus opus poenitendi. Procul dubio reperitur voluntas mutandi: sed . . . cum dolore animi est; reprehendit enim in se quod temere fecerat" (De diver. quaest. ad Simplicianum, l. 2, q. 2, n. 4, M.L. 40, 141).

Hieronymus: "Vera est poenitentia, jugiter fletibus commissa diluere et ablata non iterare" (Breviarium in Psalmos, In Psal. 118, Phe., M.L. 26, 1274).

Gennadius Massiliensis: "Poenitentia vera est, poenitenda non admittere, et admissa deflere. Satisfactio poenitentiae est, causas peccatorum excidere, nec earum suggestionibus aditum indulgere" (Liber ecclesiasticorum dogmatum, c. 54, M.L. 58, 994).[57]

---

[56] Confer supra in art. praec., p. 351 sq., definitiones principalis actus Poenitentiae, seu contritionis, ex quo accipitur ipsa indoles hujus virtutis.

[57] Hic liber invenitur etiam inter opera Augustini, cui olim tribuebatur; cf. M.L. 42, 1218, sub c. 24.

Gregorius M.: "Poenitentiam agere est et perpetrata mala plangere, et plagenda non perpetrare" (loc. cit. in p. 10).

Isidorus Hisp.: "Poenitentia appellata, quasi punitentia, eo quod ipse homo in se puniat poenitendo quod male admisit" (loc. cit. in p. 5).

Pseudo-Augustinus, De vera et falsa poenitentia: "Poenitentia est vindicta semper puniens in se quod dolet commisisse" (loc. cit. in p. 5).

Magister Sententiarum, Patrum descriptiones in forma definitionis redigens, ait: "Poenitentia est virtus vel gratia qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus et odimus, et plangenda ulterius committere nolumus, quia poenitentia vera, est in animo dolere, et odire vitia" (Sent., l. 4, dist. 14, n. 1, M.L. 192, 869; cf. dist. 15, circa finem).

In his definitionibus duo elementa constanter inveniuntur: dolor, seu detestatio peccati, et propositum vitandi peccatum. Praeterea Augustinus et Magister Sententiarum indicant formaliorem notam emendationis seu mutationis voluntatis, quae continetur in ipso dolore. Tandem Lactantius, Isidorus et praecipue Pseudo-Augustinus indicant formalissimam notam punitionis seu justitiae, contentam in ipsa emendatione dolorosa. Propterea *S. Thomas,* qui varia elementa definitionis tradit in a. 1. 2. 3 quin directe suam proponat, laudata ut completissima definitione Magistri Sent., praeferre videtur, uti formaliorem, definitionem Pseudo-Augustini, quam etiam citat hic in Sed contra a. 3.

Ad rem ipse, *In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 6:* "Haec duo oportet quod homo in corde exhibeat per poenitentiam: primo dolorem cordis pro malis quae fecit; secundo propositum de cetero talia non committendi; et haec duo praedicta definitio [Ambrosii et Gregorii] comprehendit, quamvis non in forma definitio proponatur. Unde *Magister* ad formam debitam eam reducens, tria ponit; scilicet genus, in hoc quod dicit quod 'est virtus;' dolorem de praeteritis, in hoc quod dicit: 'Qua commissa mala plangimus;' et propositum de futura emendatione, in hoc quod dicit: 'Cum emendationis proposito.' Alia vero quae dicuntur ad idem pertinent".

Ibid., ad 6: "Non est inconveniens de eodem dari diversas definitiones secundum diversa quae in rebus inveniuntur. Definitio igitur praemissa Gregorii et Ambrosii, quam *Magister* ad formam definitionis reducit, completissima est, quia tangit et genus et actum et objectum, et utrumque illorum quae ad emendationem Deo exhibendam requiruntur. Et in idem redit definitio Augustini [i.e. *Pseudo-Augustini,* De vera et falsa poenitentia] posita in Littera, scilicet: 'Poenitentia est quaedam vindicta dolentis, etc.' nisi quod magis exprimit proximum genus ipsius; quia ponit ipsam non solum in genere virtutis, sed in genere justitiae, in hoc quod dicit eam vindictam; et differentias etiam

magis proximas ad propriam speciem ponit, in hoc quod addit rationem punitionis ad dolorem."

ART. 15. Utrum Subjectum Proximum Virtutis Poenitentiae Sit Voluntas, Subjectum Vero Remotum Sit Omnis Et Solus Homo Purus (q. 85, a. 4; cf. In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 3, seu Suppl., q. 16).

STATUS QUAESTIONIS

Duplex instituitur quaestio, altera de *subjecto proximo* seu facultate, quae est immediatum principium operationis, altera de *subjecto remoto* seu natura et supposito, quae sunt remotum principium quo et quod actionum et passionum. Prima quaestio supponit realem distinctionem tum facultatum (i.e. intellectus, voluntatis, appetitus sensitivi concupiscibilis et irascibilis) ab essentia animae, tum virtutum ab essentia gratiae sanctificantis; si enim facultates ab essentia animae vel virtutes ab essentia gratiae non distinguerentur, Poenitentia sicut qualibet alia virtus subjectaretur immediate in ipsa essentia animae quae est subjectum gratiae sanctificantis. Altera quaestio appellat distributionem naturarum et suppositorum in Deum, angelum et hominem, et in hominem assumptum ad personalitatem divinam per hypostaticam unionem et hominem purum seu habentem personalitatem creatam.

Quaeritur ergo:

1. An Poenitentia sit in sola voluntate, non vero in intellectu, nec in appetitu concupiscibili aut irascibili.

2. An Poenitentia sit in omni et solo homine puro, adeoque etiam in Adamo ante peccatum, in parvulis baptizatis, in B. Virgine, in beatis, nullatenus vero in Deo, in Christo, in angelo.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

QUOAD PRIMAM QUAESTIONEM DE SUBJECTO PROXIMO.

Quidam antiquiores, ut *Altissiodorensis* et *Halensis* relati in art. 12 (p. 280), cum doceant Poenitentiam non esse singularem virtutem sed generalem conditionem omnium virtutum, consequenter dicunt ejus subjectum proximum esse *omnes facultates animi.* Eos tacite ac breviter memorat S. Thomas, In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 3, q. 1, inquiens: "Quidam dicunt, quod poenitentia est in omnibus viribus", eorumque rationem sub forma objectionis sic refert (ibid., ob. 1): "Nihil . . . agit ubi non est. Sed poenitentia expellit peccatum a qualibet vi. Ergo est in qualibet vi."

Alii antiquiores, quos similiter memorat S. Thomas (ibid.), docuerunt subjectum Poenitentiae esse appetitum *concupiscibilem,* eo quod ipsa consistat in dolore qui est passio illius appetitus. Quam *rationem* sic exponit S. Doctor, hic, ob. 1: "Poenitentia enim est tristitiae species. Sed tristitia est in concupiscibili, sicut et gaudium. Ergo poenitentia est in concupiscibili."

Alii antiquiores, de quibus iterum S. Thomas (ibid.), dixerunt subjectum Poenitentiae esse appetitum *irascibilem,* eo quod ipsa sit quaedam vindicta, adeoque pertineat ad iram, quae est passio illius appetitus, seu appetitus vindictae. Quam *rationem* sic exponit S. Doctor, hic, ob. 2: "Poenitentia est vindicta quaedam, sicut Augustinus [Pseudo-Augustinus] dicit in lib. De poenitentia. Sed vindicta videtur ad irascibilem pertinere, quia ira est appetitus vindictae. Ergo videtur quod poenitentia sit in irascibili."

Idem *Alexander Halensis* (Summa Theol., 4 p., q. 12, m. 2) videtur docere Poenitentiam subiectari non simpliciter in voluntate, sed in libero arbitrio, sive hoc accipiatur pro quadam facultate electiva mediorum, distincta a voluntate quae est facultas intentionis finis, sive accipiatur pro utraque simul facultate *intellectus* et voluntatis concurrentium ad electionem. *Ratio* est quia Poenitentia est quaedam justitia; ergo importat judicium circa jus; ergo pertinet etiam ad intellectum.

Bonaventura (In 4 Sent., dist. 4, a. 2, q. 1) docet subjectum Poenitentiae esse quidem ipsam solam *voluntatem,* attamen non formaliter inquantum est appetitus rationalis eminenter concupiscibilis, sed inquantum *irascibilis. Ratio* est quia Poenitentia est punitiva et vindicativa.

Alii, ut *Petrus de Palude, Soto, Valentia* et *Suarez* (Disp. 7, sect. 1), distinguunt *duplicem habitum* Poenitentiae, alium qui sit in sola voluntate et a quo eliciatur rationalis actus detestationis peccati et alium qui sit in appetitu concupiscibili quique ordinetur ad regulandam sensibilem passionem seu dolorem de peccato. *Ratio* est quia hic dolor est actus virtuosus et laudabilis, adeoque sibi vindicat specialem virtutem a qua eliciatur et reguletur.

Sententia communis theologorum cum *S. Thoma* est subjectum Poenitentiae esse ipsam *solam voluntatem,* et quidem inquantum est eminenter appetitus rationalis concupiscibilis.

QUOAD SECUNDAM QUAESTIONEM DE SUBJECTO REMOTO.

A sententia affirmativa (cf. Statum Quaestionis), quae est fere communis inter thomistas, partialiter recedunt sequentes opiniones:

Quidam docent etiam *in Christo* esse virtutem Poenitentiae.

Et quidem *Scotistae*, juxta suam sententiam de Poenitentia consistente in quadam vindicta vel satisfactione pro poena (cf. supra, art. 12, p. 284 sq.), dicunt in Christo esse Poenitentiam etiam secundum actum suum proprium et principalem, eo quod Christus vere et proprie satisfecit pro nobis. Ceterum, etiam ex sententia scotistica qua docetur impeccabilitatem Christi non esse absolutam et essentialem, sed provenire ex sola visione beatifica et auxilio divino, quemadmodum in beatis et B. Virgine, sequeretur in Christo esse saltem habitum Poenitentiae.

Suarez vero (Disp. 7, sect. 1, n. 10 sq.; item De Verbo Incarn., disp. 19, sect. 1), *Lugo* (Disp. 6, n. 4 sqq.) et *Coninck* (Disp. 1, dub. 3), docent in Christo esse habitum Poenitentiae, imo et actum ejus quod est odium peccati, quamvis non sit specificus et absolutus actus detestationis satisfactoriae, a quo Poenitentia denominatur; aliis verbis, dicunt in Christo esse habitum Poenitentiae quoad suam entitatem, etsi non quoad suam denominationem, et actum Poenitentiae, etsi non actum detestationis satisfactoriae. Ratio est quia in actu detestationis peccati inquantum est laesio divini juris (Suarez) vel perturbatio pacis cum Deo (Lugo), salvatur ratio Poenitentiae ejusque objecti formalis (cf. in art. praec., p. 358 sq.).

Quidam, ut *Vasquez, Biel, Collet*, docent Poenitentiam fuisse *in Angelis* in statu viae, eo quod potuerint peccare.

Quidam, ut *Vasquez, Nugnus, De Augustinis, Hugon, Keuppens*, negant *in B. Virgine* fuisse virtutem Poenitentiae. Ratio est quia ipsa fuit de facto impeccabilis, seu confirmata in gratia; deficiente autem materia, seu ipsa possibilitate peccandi, deficit habitus.

Quidam, ut *Vasquez*, negant hanc virtutem fuisse *in Adamo* in statu innocentiae et esse *in beatis*, saltem qui non peccarunt.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Subjectum proximum virtutis Poenitentiae est ipsa et sola voluntas, non vero generaliter omnes facultates, nec particulariter intellectus aut appetitus concupiscibilis vel irascibilis.

Probatur.

Ut enim ratiocinatur *S. Thomas*, Poenitentia est quaedam species justitiae, justitia autem est in voluntate. Nec refert quod Poenitentia sit tantum improprie dicta species justitiae, seu pars potentialis justitiae, quoniam omnes partes tam subjectivae quam potentiales alicujus virtutis debent esse in eodem subjecto ac ipsa virtus, cum pertineant

ad eandem lineam, seu versentur circa idem objectum vel habeant eundem modum attingendi suum objectum.

Idem patet immediate ex consideratione proprii objecti et actus Poenitentiae, qui est satisfactio emendativa per dolorem de peccato; hoc enim totum consistit in quodam actu voluntatis, seu in aversione voluntatis a peccato et ejusdem conversione ad jus divinum et ad Deum.

Item, id patet ex eo quod omnes virtutes subjectantur in voluntate, exceptis his quae respiciunt assensum vel judicium rationis, seu fide et prudentia, quae sunt in intellectu, et his quae habent pro objecto regulationem sensitivarum passionum, seu fortitudine et temperantia, quae sunt in appetitu irascibili et concupiscibili; Poenitentia autem non respicit assensum et judicium rationis, quamvis hoc ei praesupponatur ex influxu prudentiae dominantis quamlibet virtutem moralem, nec ordinatur ad regulandam aliquam passionem, quamvis ei conjungatur et ab ea imperetur dolor sensibilis, elicitus et regulatus ab appetitu concupiscibili sub influxu prudentiae.

Exinde patet *falsitas aliarum opinionum* supra relatarum. Poenitentia scilicet:

Non est in omni facultate; nam non est generalis conditio omnium virtutum, sed specialis virtus et habitus; jamvero "unus habitus non potest esse nisi unius potentiae, sicut una forma nisi unius materiae, et unum accidens non nisi unius subjecti" (In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 3, q. 1). Nec refert quod Poenitentia influat quodammodo in omnem facultatem, expellens omne peccatum quod contrariatur cuilibet virtuti, nam, ut dictum est in art. 12 (resp. ad obj. 10, p. 315 sq.), Poenitentia id facit non formaliter, seu ipsa ipsius positione, quemadmodum unaquaeque virtus relate ad peccatum sibi contrarium, sed effective et operative, seu per ipsum actum doloris detestantis (In 4 Sent., l. c., ad 1).

Non est in appetitu concupiscibili; nam dolor sensibilis non est actus formalis et elicitus Poenitentiae, sed tantum materialis et imperatus ab ea (Ibid., ad 2; hic, ad 1).

Non est in appetitu irascibili; nam motus vindictae, contentus in ira, provenit ex passione et respicit alterum, dum motus vindictae qui quodammodo continetur in Poenitentia provenit ex ratione et respicit ipsum subjectum; ceterum etiam justitia vindicativa, quamvis respiciat alterum, non est in irascibili sed in voluntate, praecise quia non est motus passionis sed rationis (hic, ad 2). Ipse autem motus passionis quo peccator dicitur quodammodo irasci contra seipsum et vindicare in seipso jus divinum, laesum per peccatum, est tantum actus materialis impera-

tus a Poenitentia, elicitus vero ab appetitu sensibili, nec ceterum est proprie passio irae seu vindictae, cum non sit ad alterum,[58] sed identificatur cum odio et dolore sensibili, adeoque non ad irascibilem appetitum pertinet, sed ad concupiscibilem.

Non est in libero arbitrio juxta sensum Halensis, i.e. accepto libero arbitrio pro facultate distincta a voluntate, nam talis facultas non datur, nec accepto pro *intellectu* simul et voluntate, nam, quamvis judicium intellectus praerequiratur ad movendum et regulandum actum voluntatis, non inde ipse intellectus evadit subjectum talis regulationis seu virtutis, sed sola voluntas,[59] quemadmodum, quamvis vicissim ad proferendum rectum judicium praerequiratur virtuosa dispositio appetitus judicantis, subjectum judicii non est ipse appetitus sed solus intellectus.[60] Unde ruit ratio allata ab Halensi. Ceterum, conceditur voluntatem esse subjectum Poenitentiae non quatenus est facultas intentionis finis, sic enim est subjectum solius charitatis, sed quatenus est facultas electionis mediorum, seu liberum arbitrium;[61] sed ista voluntatum distinctio non importat distinctionem facultatum sed activitatum.

Non est in voluntate sub ratione appetitus eminenter irascibilis, sed sub ratione concupiscibilis; nam, quamvis Poenitentia aliquid commune habeat cum justitia vindicativa, ab ea tamen essentialiter differt, imo non ad eam reducitur ut pars potentialis, sed ad commutativam, ut dictum est in art. 12 (p. 304 sq.); unde pertinet ad tendentiam concupiscibilem, cum consistat in dolore seu tristitia, quae est passio appetitus concupiscibilis.

Nec potest tandem adstrui duplex habitus Poenitentiae, quorum alter sit in voluntate, alter in appetitu sensitivo; nam habitus regulans dolorem sensibilem de peccato in appetitu sensitivo, si daretur, non esset proprie habitus Poenitentiae, quia in dolore sensibili non salvatur proprium objectum et actus Poenitentiae, seu satisfactio emendativa de peccato, quae consistit in sola mutatione et dolore voluntatis. Ceterum, praedictus habitus, quomodolibet accipiatur, necessarius non est (nec proinde datur), cum ad imperandum et regulandum dolorem sensibilem de peccato, quatenus est actus virtuosus ac laudabilis, sufficiat copulatus influxus Poenitentiae et prudentiae.

Hanc sententiam manifeste supponunt sequentia verba *S. Thomae: Hic, ad 4:* "Voluntas . . . movet omnes alias potentias animae; et ideo non est inconveniens, si potentia [seu habitus Poenitentiae] *in voluntate existens* aliquid in singulis potentiis animae operetur." *In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 3, q. 4:* "Poenitentia in nobis dupliciter accipitur. Uno modo secundum quod est passio; sic enim nihil aliud est quam dolor vel tristitia de malo commisso [i.e. actus quidam]. . . Alio modo accipitur secundum quod est virtus [seu habitus]".

[58] 1–2, q. 46, a. 7, ad 2: "Proprie . . . et per se non contingit aliquem sibi ipsi irasci".
[59] Cf. 2–2, q. 58, a. 4.
[60] Cf. 2–2, q. 60, a. 1, ad 1 et 2.
[61] Cf. 2–2, q. 24, a. 1, ad 3.

Ad rem *Gonet:* "Licet poenitentia ut passio, sit in appetitu sensitivo, sumpta tamen pro virtute non existit, etiam complete, nisi in voluntate. Primo quia in ea solum potentia subjectari debet immediate, cujus actus possunt immediate attingere ejus objectum: tales autem non sunt actus appetitus sensitivi, utpote cum sint corporei, objectum autem poenitentiae sit quid spirituale, scilicet jus divinum laesum, et reparabile per satisfactionem. Secundo, quia dolor existens in appetitu sensitivo, licet regulariter loquendo sequatur ad actum poenitentiae, imo saepius tanto major sit, quanto major est poenitentia cordis; tamen neque est essentialis poenitentiae, neque simpliciter ei necessarius. Tertio, quia difficultas quae est in appetitu sensitivo ad eliciendum actum poenitentiae, sufficienter tollitur per virtutem temperantiae, cujus proprium est omnes delectationes et tristitias moderari: ergo ad vincendam illam difficultatem, non requiritur virtus poenitentiae in appetitu sensitivo; quamvis in eo poni debeat virtus liberalitatis, quae amorem inordinatum pecuniarum moderetur, quia in eo nulla praesupponitur virtus, quae talem effectum cohibeat."[62]

Conclusio 2. Subjectum remotum virtutis Poenitentiae est omnis et solus homo purus, adeoque etiam Adam in statu innocentiae, parvuli nuper baptizati, B. Virgo, beati omnes, non vero Deus, Christus, angeli in quolibet statu.

Probatur.

Ibi esse potest habitus Poenitentiae ubi verificari potest ejus materia seu objectum. Atqui materia seu objectum Poenitentiae, quod est peccatum emendabile per satisfactionem seu mutationem voluntatis, verificari potest in omni et solo homine puro. Ergo in omni et solo homine puro esse potest habitus Poenitentiae, seu ipse est subjectum remotum hujus virtutis.

Ad minorem.

Nam omni homini puro convenit sive peccatum (ut ipsis beatis in quibus peccatum praecessit) aut saltem potentia peccandi (ut Adamo in statu innocentiae, parvulis recenter baptizatis, ipsi B. Virgini sub aliqua ratione), sive emendatio aut potentia emendandi; in omni vero alio subjecto deest vel ipsa potentia peccandi (ut in Deo et Christo),

[62] De Poenitentia, disp. 2, a. 3, § 6, n. 86, Clypeus, v. 6, Parisiis, 1876, p. 536.

vel potentia emendandi (ut in angelis). Unde poenitere, seu de peccato resipiscere, est proprium hominis, quia Deus non potest peccare, angelus non potest resipiscere, homo vero potest utrumque. Explicatur per singula:

IN DEO NON EST POENITENTIA, quia absolute et sub omni ratione deest potentia peccandi. Unde cum in Scriptura dicitur Deus poenitere, id accipitur lato sensu pro quodam actu detestationis, et quidem analogice ad ea quae contingunt in homine.

IN CHRISTO, UT HOMINE, NON EST POENITENTIA, ob absolutam et essentialem ejus impeccabilitatem, provenientem non ex ejus natura, sicut in Deo, sed tantum ex supposito divino illius naturae. Ad rem *S. Thomas, In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 3, q. 3, ad 2:* "Christus non potuit peccare . . .; et ideo materia hujus virtutis non competit sibi nec actu nec potentia; et propter hoc non est simile de ipso et de aliis."

Haec sententia non levem confirmationem obtinuit ex *decreto S. Officii*, 15 julii 1893, quod, occasione alicujus motus, inaugurati Loigny in Gallia a Mathilde Marchat, ad propagandam devotionem Cordis Jesu Poenitentis, reprobavit, ut periculosas novitates circa fidei dogmata, titulos: *Cor Iesu poenitens*, Cor Iesu poenitens pro nobis, Iesu poenitens, Iesu poenitens pro nobis.[63]

En textus decreti: "Feria IV, 15 iulii 1893 Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Patres Inquisitores Generales decreverunt: Sancta Romana Universalis Inquisitio iampridem, nempe decreto feriae IV 13 ianuarii 1875 generatim consuluit *ne insueti cultus tituli promoverentur, speciatim vero de titulo Poenitentis Domino Nostro Iesu Christo tributo*. Quum igitur ad supremae huius Congregationis notitiam pervenerit, quod Loigny adhuc pertinaciter manet quod vocant Opus Sacri Cordis Iesu Poenitentis, atque eius auctores fautoresque, licet pluries a Summo Pontifice damnati, non desistunt sacrilega audacia confingere atque in publicum edere visiones ac revelationes Cordis Iesu Poenitentis, sancta Romana Universalis Inquisitio, re mature perpensa, omnino prohibet et damnat titulum: Cor Iesu Poenitens — Cor Iesu poenitens pro nobis. — Iesu poenitens — Iesu poenitens pro nobis.

"Praecipit vero Ordinariis locorum, ubi Societates sub huiusmodi titulis sunt erectae, ut damnato titulo alium substituant in Ecclesia probatum, neque eas consistere patiantur, nisi omnia ad iuris regulas exacta fuerint.

[63] De hac quaestione confer *Analecta ecclesiastica*, 1894, t. 2, p. 291–301; *Nouvelle Revue Théologique*, 1893, p. 496 sqq.

"Postremo omnibus in mentem revocat decretum feriae IV 13 ianuarii 1875 quod hic transcribitur: Feria IV 13 ianuarii 1875 Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia PP. IX in solita Audientia r. p. d. Assessori Sancti Officii impertita . . . mandavit . . . monendos esse . . . scriptores, qui ingenia sua acuunt super . . . argumentis quae novitatem sapiunt, ac sub pietatis specie insuetos cultus titulos etiam per ephemerides promovere student, ut ab eorum proposito desistant, ac perpendant *periculum quod subest pertrahendi Fideles in errorem; etiam circa Fidei dogmata;* et ansam praebendi Religionis osoribus ad detrahendum puritati Fidei, doctrinae Catholicae ac verae pietati."[64]

Sententia *Scotistarum* falso nititur fundamento; nam poenitere non est principaliter et formaliter satisfacere pro poena sed dolere, seu satisfacere pro peccato, medio dolore. Similiter sententia *Suaresii et Lugonis* gratis asserit, quod non semel rejectum est in praec. articulis, salvari rationem Poenitentiae in actu detestationis qui non sit dolor satisfactivus de peccato proprio.

Ceterum nemo negabit Christum habuisse virtutem Poenitentiae eo eminenti sed impropriissimo sensu, a theologica conversatione prorsus abiciendo, quod ex motivo aliarum virtutum, praecipue charitatis, justitiae et religionis, maxima detestatione et tristitia ad peccata aliena affectus fuerit et pro illis toto corde vice nostra satisfecerit, praebens "*maximum exemplum poenitentibus*" (3 p., q. 15, a. 1, ad 5; cf. q. 46, a. 6, corp. et ad 2 et 4).

Opponit Suarez. Christus habet voluntatem ejusdem naturae ac nostra, etsi non sub ratione potentiae peccandi. Ergo ei convenit virtus Poenitentiae ejusdem entitatis ac nostra, etsi non sub ratione emendationis sed sub sola ratione detestationis peccati ut offensae Dei.

Resp. Neg. cons. et paritas, quoniam de essentia voluntatis non est ut sit potentia peccandi, dum de essentia Poenitentiae est ut sit emendatio proprii peccati nec tantum qualiscumque detestatio peccati; unde datio proprii peccati nec tantum qualiscumque detestatio peccati; unde in Christo salvatur vera voluntas humana separata a potentia peccandi, sed nequit salvari vera ratio Poenitentiae divulsa a ratione emendationis.

Instat Suarez. Ex hoc quod Christus est impeccabilis non sequitur quod excludatur ab eo virtus Poenitentiae. Nam impossibilitas materiae et objecti alicujus virtutis non excludit interiorem dispositionem et conditionatam voluntatem recte operandi in materia talis virtutis, adeoque non excludit habitum virtutis. Ita, ob talem interiorem dispositionem, datur virtus virginitatis etiam in homine corrupto et datur virtus Poenitentiae

[64] Acta Sanctae Sedis (cura V. Piazzesi), v. 26, Romae, 1893–94, p. 319.

tum in Adamo innocente, tum in B. Virgine quae, ob donum confirmationis in gratia, non potuit peccare.

Resp. Impossibilitas materiae et objecti, si est tantum conditionalis, seu dependens a circumstantiis vel statu subjecti, non excludit praedictam interiorem dispositionem et voluntatem, adeoque nec habitum virtutis, quamvis excludat actum, ut patet in tribus casibus objectis; si vero est absoluta et essentialis, ut in Christo, excludit simpliciter praedictas dispositiones voluntatis et consequenter ipsum habitum virtutis. Voluntas enim conditionata de re absolute impossibili (ut si homo diceret: Si essem Deus vel angelus, hoc et hoc facerem, vel si Christus diceret: Si per impossibile peccarem, illico et profunde poeniterem) est chymerica velleitas relate ad objectum illud impossibile (quidquid enim in ea est voluntarii, refertur potius ad aliud objectum circa quod voluntas vere afficitur), nec ideo est sufficiens ad constituendum habitum virtutis, seu habitum electivum boni. Ceterum, si esset sufficiens ad constituendum habitum, sequeretur nullam esse virtutem quae non possit esse in qualibet voluntate, et ita in Angelis esset temperantia et castitas, in beatis et in ipso Christo esset fides et spes, imo in ipso Deo adesset Poenitentia.

Suaresii objectionem evertit ipse *S. Thomas, Quaest. Disp. de Spe, a. 4, ob. 11 et ad 11.*

Sic enim obicit: "Actus virtutis videtur esse non solum facere vel velle facere, quod ad virtutem pertinet, quando facultas adest; sed etiam velle facere, si facultas adesset; actus enim justitiae est velle reddere pecuniam debitam, etiam si eam quis non possit habere. Sed sancti qui sunt in patria, sic sunt dispositi, quod vellent beatitudinem expectare, etiam si eam non haberent. Ergo in eis est actus spei. Sed actus procedit ab habitu. Ergo in eis est virtus spei."

Respondet autem: "Objectum alicujus virtutis potest deesse dupliciter: uno modo, cum possibilitate habendi; et sic etiam objecto non habito potest esse actus virtutis et virtus, sub hac conditione, si facultas adesset; alio modo, cum impossibilitate habendi, et sic nec habitus nec actus manet: frustra enim remaneret. Et hoc modo tollitur objectum spei in patria; quia nunquam de cetero erit possibile beatitudinem esse futuram."

Opponit Lugo: "Ubi non repugnat ex natura rei actus poenitentiae absolutae; licet hic et nunc ratione alicujus circumstantiae repugnet, non repugnat habitus infusus elicitivus illius actus; habitus enim non respiciunt, quid possit hoc subjectum facere attentis omnibus circumstantiis, sed quid possit simpliciter facere: in iis autem omnibus [i.e. Christo, B. Virgine, Adamo, beatis, innocentibus], quantum est

ex parte subjecti, non repugnabat actus detestationis absolutae, licet repugnaret hic et nunc ratione alicujus circumstantiae, ergo in iis omnibus potuit esse habitus elicitivus, quantum erat de se, illius detestationis absolutae. . . Hinc infero, idem dicendum esse de Christo Domino: nam licet in ipso habitus ille non haberet denominationem poenitentiae, ut dixi, propter impeccabilitatem intrinsecam subjecti: caeterum non repugnabant illi ejusmodi actus, neque ex parte humanitatis, neque etiam ex parte suppositi secundum se considerati: quia non repugnabat, quod assumpta fuisset humanitas ad suppositum Verbi post commissum peccatum; et tunc ille homo Deus posset elicere perfectam detestationem illius peccati commissi prius ab illa humanitate; non ergo repugnat, per se loquendo, actus perfectae poenitentiae cum unione hypostatica magis quam memoria peccati; de facto autem repugnabat, quatenus non supponebatur peccasse humanitas illa ante unionem ad Verbum."[65] Eandem rationem sic exprimit *Suarez:* Si Verbum assumpsisset humanitatem alicujus hominis jam habentis virtutem Poenitentiae, hanc virtutem non destrueret sed potius in assumpta humanitate conservaret; haec autem humanitas esset aeque impeccabilis ac humanitas quae de facto a Verbo assumpta est; unde ratio impeccabilitatis non excludit a Christo habitum Poenitentiae.

Resp. Ratio allata a Lugone valet de aliis subjectis enumeratis, non vero de Christo, ob absolutam ejus impeccabilitatem. Quod vero tum a Lugone tum a Suaresio gratis asseritur de existentia Poenitentiae in Christo in hypothesi assumptionis alicujus humanitatis quae in priori supposito peccaverit vel virtutem Poenitentiae habuerit, simpliciter negandum est. Nam praedicta humanitas in priori supposito erat peccabilis, in supposito vero Verbi est absolute impeccabilis, unde in illo potuit poenitere, in isto vero non potest, etiam de peccato illo praeterito, cum illud fuerit in alio supposito, et peccatum ac poenitentia, sicut omnes actiones et passiones, sint suppositorum.

IN B. VIRGINE FUIT VIRTUS POENITENTIAE.[66]

Praecipua ratio est quia in B. Virgine, secus ac in Christo, mansit absoluta peccabilitas quae est propria suppositi creati, quaeque proinde valet sufficienter specificare et inducere in eam habitum Poenitentiae. Quamvis enim B. Virgo fuerit sine ullo peccato, imo de facto impeccabilis, tamen haec impeccabilitas non erat, sicut in Christo, absoluta et essentialis, seu proveniens ex ipsis principiis entis, nam omne suppositum creatum est et manet essentialiter defectibile, sed erat conditionata

[65] De Poenitentia, disp. 6, n. 7–11, Disp. schol., t. 4, Parisiis, 1892, p. 467 sq.

[66] Hoc quibusdam videtur displicere, sed a theologis etiam modernis, communius docetur, ut a *Suaresio, Lugone, Gonet, Salmanticensibus, Collet, Lépicier, Merkelbach, Amann, Dublanchy.*

et superaddita, seu proveniens ex statu in quo B. Virgo inveniebatur, i.e. ex dono confirmationis in gratia; quod donum nequaquam extinxit in ea absolutam potentiam peccandi sicut non extinxit propriam rationem creaturae, quinimmo, ipso ablato, B. Virgo fuisset iterum naturaliter de facto peccabilis. Haec autem absoluta peccabilitas, quae mansit in B. Virgine, sufficiens est ad specificandum habitum Poenitentiae; nam, quamvis ad ponendum actum requiratur praesentia materiae seu objecti, ad habendum habitum sufficit possibilitas materiae, ut docet *S. Thomas* (In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 3, q. 2, infra cit.); nec refert quod haec possibilitas sit tantum absoluta et non de facto, nam absoluta possibilitas est vera possibilitas, et ceterum si conditionata impossibilitas peccandi impediret habitum Poenitentiae, hic non daretur etiam in parvulis nuper baptizatis et in beatis, qui de facto et ratione sui status peccare non possunt.

Alia ratio est quia, natura prius ad acceptionem doni confirmantis, fuit in B. Virgine illa eadem potentia de facto peccandi, quae est in nobis quaeque per ipsum donum confirmationis in gratia fuit ablata (seu potius ita ligata ut evaserit conditionata impossibilitas peccandi), nam prius est esse quam auferri; unde fuit etiam in B. Virgine virtus Poenitentiae, infusa una cum aliis virtutibus et gratia sanctificante, quae veluti subsequenter confirmatae sunt, cum prius sit esse in gratia quam in ea confirmari. Aliis verbis: in ipso eodem primo instanti temporis suae conceptionis Beata Virgo, *ordine naturae* prius intelligitur fuisse cum suis naturalibus conditionibus, inter quas invenitur potentia peccandi; secundo, habuit debitum contrahendi peccatum originale utpote filia Adae; tertio, ex meritis futuri Redemptoris ab hoc debito soluta est ita ut peccatum originale non contraheret; quarto, accepit gratiam sanctificantem et virtutes ab ea fluentes, adeoque et Poenitentiam, correspondentem naturali potentiae peccandi; quinto, accepit donum quo confirmata est in hac gratia et his virtutibus, ne posset eas amittere per peccatum (quomodolibet tandem hoc donum intelligatur, sive ut subsequens ac distinctum auxilium, sive ut ipse gradus abundantissimae gratiae, prior enim est gratia quam gradus ejus). Hoc autem donum confirmationis non extinxit virtutem Poenitentiae, cum non extinxerit absolutam potentiam peccandi, sed eam virtutem potius confirmavit, sicut ipsa visio beatifica, quae intrinsecam causat impossibilitatem peccandi, non expellit Poenitentiam ab ipsis beatis, eo quod non expellat absolutam potentiam peccati, quae per solam unionem hypostaticam in natura humana extingui valet.

Confirmatur ex ipsa paritate cum beatis. In his enim est virtus Poenitentiae, quamvis adsit impeccabilitas; ergo a pari fuit in B. Virgine, non obstante ejus impeccabilitate. Quae ratio excrescit in argumentum a fortiori, si cum quibusdam dicatur impeccabilitas B. Virginis fuisse ab extrinseco; nam constat apud omnes, impeccabilitatem beatorum esse ab intrinseco, quamvis non sit absoluta et essentialis, sicut in Christo, sed conditionata et accidentalis, seu ratione status beatifici. Nec refert quod beati retineant Poenitentiam quam habuerunt in statu viae, quoniam ex hoc ipso quod haec non extinguatur per statum gloriae, ostenditur impeccabilitatem non essentialem non esse incompossibilem cum virtute Poenitentiae; ceterum, ut dictum est, etiam in B. Virgine infusio virtutis Poenitentiae est natura prior dono confirmationis.

Confirmatur etiam ex doctrina *S. Thomae*, qui quamvis hanc quaestionem de B. Virgine non agitet, nostram doctrinam supponere videtur In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 3, q. 3, ad 2 (supra cit., p. 390), ubi ait soli Christo non competere materiam Poenitentiae nec actu nec potentia, et ibid., q. 2 (infra citand., p. 398), ubi ait habitum posse inveniri in quolibet subjecto in quo ejus materia suppetere possit.

Dices 1. Frustraneus est habitus qui non possit in actum transire.

Resp. Frustraneus est habitus qui absolute non possit in actum transire, sicut esset habitus Poenitentiae in humanitate Christi, non vero qui tantum ob aliquam conditionem non possit in actum transire; si enim ablata esset conditio confirmationis in gratia, habitus Poenitentiae in B. Virgine potuisset in actum transire, quia non amplius ipsa fuisset impeccabilis, quemadmodum, si auferretur conditio status beatifici, Poenitentia beatorum posset in actum doloris prodire.

Unde habitus Poenitentiae in B. Virgine importabat talem animi dispositionem, ut si occurrisset peccatum, quod absolute, etsi non de facto, occurrere poterat, de eo poenituisset ac doluisset. Ceterum, quamvis talis habitus de facto non potuerit transire in actum absolutum, potuit tamen transire in actum conditionatum circa peccatum ("Si per impossibile peccarem, illico dolorem"), qui non est chymerica velleitas (sicut esset in Christo), quia non est circa rem absolute impossibilem; item, potuit habitus Poenitentiae in B. Virgine transire in secundarium actum qui est gratias Deo agere pro praedicto dono praeservationis a peccato absolute possibili, quemadmodum, ut ait *S. Thomas*, habitus Poenitentiae in beatis transit in actum qui est "gratias agere Deo pro misericordia relaxante peccata" (In 4 Sent., infra citand.); item, dici potest habitum Poenitentiae in B. Virgine transisse in secundarium actum detestationis peccatorum aliorum hominum, inquantum sunt defectus illius communis ac defectibilis naturae creatae, quae in ipsa B. Virgine permansit cum sua absoluta defectibilitate.

Dices 2. Perfectioni et dignitati B. Virginis non convenit quidquid habet rationem imperfectionis et connexionis cum peccato, ut est habitus Poenitentiae.

Resp. Habitus Poenitentiae, quamvis dicat relationem ad peccatum tanquam ad objectum materiale, non inde inquinatur in sua ratione formali, est enim virtus seu habitus bonus, nec in suo objecto formali, hoc enim est ipsa destructio mali seu peccati, ut dictum est in art. 12 (resp. ad obj. 12, p. 319), nec necessario supponit suum subjectum per peccatum inquinatum, sed tantum supponit remotam saltem et absolutam peccabilitatem, quae est essentialis et inseparabilis imperfectio omnis suppositi creati.

IN ANGELO, ETIAM SECUNDUM STATUM VIAE, NEQUIT ESSE VIRTUS POENITENTIAE, quia non est in eo potentia emendandi seu resipiscendi, ratione inflexibilitatis liberi arbitrii, qua finem ultimum ita immobiliter eligit, ut semel a Deo aversus, non possit iterum converti, quemadmodum semel conversus, nequit averti. Datur tamen in daemonibus, sicut etiam in hominibus damnatis, imo et in peccatoribus in statu viae, detestatio peccati patrati, inquantum est sibi inductivum mali, sed ea detestatio est actus et passio, non vero habitus et virtus.

Ad rem *S. Thomas, In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 3, q. 4:* "Peccatum angeli est irremissibile, ut in II lib. [dist. 7, q. 1, a. 2] dictum est. Et quia peccatum, ut est remissibile vel expiabile, est propria materia istius virtutis quae poenitentia dicitur; ideo cum materia non possit eis competere, non adest eis potentia exeundi in actum; et ideo nec habitus eis convenit; et ideo angeli susceptivi poenitentiae virtutis esse non possunt."

Ibid.: "Detestatio . . . mali competit alicui secundum quod habet ordinem naturalem ad bonum. Et quia in nulla creatura talis inclinatio totaliter tollitur; ideo etiam in damnatis talis detestatio manet, et per consequens poenitentia passio, vel similis ei, ut dicitur Sap., v. 3: 'Intra se gementes, et poenitentiam agentes'. Et haec quidem poenitentia, cum non sit habitus, sed passio vel actus, nullo modo in beatis angelis esse potest, in quibus peccata commissa non praecesserunt; sed in malis angelis est, cum sit eadem ratio de ipsis et de animabus damnatorum; quia secundum Damascenum, De fide orth., lib. II, cap. iv, quod est homini mors, hoc est angelis casus."

BEATI RETINENT VIRTUTEM POENITENTIAE, tum quia per visionem beatificam non evacuatur in eis absoluta possibilitas peccandi, tum quia in statu viae fuit in ipsis (excepta B. Virgine) potentia peccandi, imo et ipsum peccatum saltem veniale (exceptis

parvulis mortuis ante usum rationis), tum quia adhuc in patria, etsi non possint elicere formalem et principalem actum Poenitentiae qui est ipse dolor, utpote incompossibilem cum beatitudine, possunt elicere aliquem actum Poenitentiae, scilicet gratiarum actionem pro misericordia Dei donantis delicta de quibus in vita poenituerunt et actum detestationis peccatorum praeteritorum.

Ad rem *S. Thomas, In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 3, q. 3:* "Virtutes cardinales in patria remanebunt, sed secundum actus quos habent in fine suo, ut in III lib. [dist. 33, q. 1, a. 6] dictum est; et ideo cum poenitentia virtus sit pars justitiae, quae est habitus cardinalis, quicumque habet habitum poenitentiae in hac vita, habebit in futura; sed non habebit eumdem actum quem nunc habet, sed alium, scilicet gratias agere Deo pro misericordia relaxante peccata."

Ibid., ad 3: "Poenitere proprie loquendo, prout dicit actum poenitentiae qui nunc est, non erit in patria; nec tamen habitus frustra erit, quia alium actum habebit."

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 3, q. 4, ad 4: "Non est eadem ratio de angelis sanctis et animabus sanctis; quia in animabus sanctis praecessit vel praecedere potuit peccatum remissibile, non autem in angelis; et ita, quamvis sint similes quantum ad statum praesentem, non tamen quantum ad statum praeteritum, quem poenitentia respicit directe."

3 p., q. 84, a. 8: "[Poenitentia displicentiam importat.] Displicentia autem dolorem causat in eo qui est susceptivus doloris, qualis est homo in hac vita; post hanc vitam autem sancti non sunt susceptivi doloris; unde displicebunt eis peccata praeterita sine omni tristitia, secundum illud Isa. lxv, vers. 16: 'Oblivioni traditae sunt angustiae priores'."

Suppl., q. 4, a. 3, corp. et ad 1: "Animae . . . post hanc vitam, quae in patria sunt, contritionem habere non possunt, quia carent dolore propter gaudii plenitudinem. . . Charitas non causat . . . dolorem, nisi in illis qui doloris capaces sunt; sed plenitudo gaudii in beatis omnem capacitatem doloris excludit; et ideo quamvis charitatem habeant, tamen contritione carent."

IN ADAMO IN STATU JUSTITIAE ORIGINALIS FUIT VIRTUS POENITENTIAE, non secundum actum quia non habuit peccatum, sed secundum habitum, quia habuit potentiam peccandi, nec tantum potentiam absolutam sicut B. Virgo, cum non esset confirmatus in gratia.

Ad rem *S. Thomas, 1 p., q. 95, a. 3:* "Si . . . imperfectio, quae est de ratione virtutis alicujus, repugnat perfectioni primi status, poterat hujusmodi virtus ibi esse secundum habitum et non secundum actum, ut patet de poenitentia, quae est dolor de peccato commisso, et de misericordia, quae est dolor de miseria aliena. Perfectioni autem primi

status repugnat tam dolor, quam culpa et miseria. Unde hujusmodi virtutes erant in primo homine secundum habitum, et non secundum actum. Erat enim primus homo sic dispositus, ut si peccatum praecessisset, doleret; et similiter si miseriam in alio videret, eam pro posse repelleret: sicut Philosophus dicit [Ethic., l. 4, cap. ult., in fine], quod 'verecundia, quae est de turpi facto, contingit studioso solum sub conditione; est enim sic dispositus quod verecundaretur, si turpe aliquid committeret.' "

IN PARVULIS NUPER BAPTIZATIS EST VIRTUS POENITENTIAE, infusa una cum aliis virtutibus et gratia sanctificante, nam in eis est potentia peccandi; actus vero Poenitentiae non adest quousque ab eis, adepto usu rationis, committatur peccatum; hic autem actus procedit ab ipso eodem habitu infuso in Baptismo, si agitur de peccato veniali, procedit vero a novo habitu infuso in secunda justificatione, si agitur de peccato mortali, nam per primum peccatum mortale habitus infusus in Baptismo amittitur.

Ad rem *S. Thomas, In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 3, q. 2:* "Habitus medius est inter potentiam et actum. Et quia remoto priori, removetur posterius, non autem e converso; ideo remota potentia ad actum, removetur habitus, non autem remoto actu. Et quia subtractio materiae tollit actum, propter hoc quod actus non potest esse sine materia in quam transit; ideo habitus alicujus virtutis competit alicui cui non suppetit materia, propter hoc quod suppetere potest, et ita in actum exire; sicut pauper homo potest habere habitum magnificentiae, sed non actum, quia non habet magnitudinem divitiarum, quae sunt materia magnificentiae, sed potest habere: et ideo cum innocentes in statu innocentiae non habeant peccata commissa, quae sunt materia poenitentiae, sed possint habere; actus poenitentiae in eis esse non potest; sed habitus potest; et hoc, si gratiam habeant, cum qua omnes virtutes infunduntur."

Ibid., ad 1: "Quamvis [parvuli peccatum] non commiserint, possunt tamen committere; et ideo eis habitum poenitentiae habere competit. Sed tamen habitus iste nunquam in actum exire potest, nisi forte respectu venialium peccatorum, quia peccata mortalia tollunt ipsum. Nec tamen est frustra, quia est perfectio potentiae naturalis."

IN ANIMABUS PURGATORII DATUR HABITUS POENITENTIAE, non tamen proprie actus contritionis, quia dolor quem habent de peccatis non est amplius satisfactivus, cum ipsae sint extra statum merendi et satisfaciendi.

Ad rem *S. Thomas, Suppl., q. 4, a. 3, corp. et ad 2:* "Illae [animae] quae in purgatorio sunt, habent dolorem de peccatis gratia informatum,

sed non meritorium, quia non sunt in statu merendi. In hac autem vita omnia tria praedicta inveniri possunt." "Animae in purgatorio dolent de peccatis; sed ille dolor non est contritio, quia deest ei contritionis efficacia." Confer infra, art. 62 (Caput VI De Satisfactione).

IN DAMNATIS AD INFEROS NEQUIT DARI HABITUS POENITENTIAE, cum ipsi sint determinati in aversione a Deo; id tamen non contradicit principio statuto in praesenti Conclusione, omnem nempe hominem purum esse subjectum Poenitentiae, nam quod homines damnati non possint resipiscere, non provenit, sicut in angelis, ex intrinseca inflexibilitate liberi arbitrii, sed tantum ex conditione status damnationis quem ipsi elegerunt.

ART. 16. Utrum Virtus Poenitentiae Sit Essentialiter Supernaturalis Et Per Se Infusa, Nec Detur Praeter Eam Alia Proprie Dicta Virtus Poenitentiae Naturalis Et Acquisita (q. 84, a. 7, corp. et ad 1; q. 85, a. 5; 1–2, q. 109, a. 6 et 7).[67]

STATUS QUAESTIONIS

Ex quaestione de essentia, gressum facimus ad quaestionem *DE PRINCIPIO POENITENTIAE,* quod reducitur ad causam ejus efficientem; in praesenti quidem articulo consideratur praecipue principium habitus Poenitentiae, in sequenti vero principium actus ejus.

Ceterum, haec referuntur etiam ad materiam de essentia Poenitentiae, seu de ejus indole supernaturali; quaestio enim *DE SUPERNATURALITATE POENITENTIAE* coincidit cum quaestione an sit virtus *per se infusa,* cum nonnisi supernaturalia petant per se a Deo infundi in hominem, quamvis in angelis ipsae virtutes naturales sint per se infusae, ut exigit ipsa eorum natura, quae non paulatim et ab exterioribus sensibilibus, sicut homo, sui intellectus et voluntatis perfectionem haurit.

QUATUOR HIC AGITANTUR QUAESTIONES, quarum tertia et quarta explicite proponuntur in titulo articuli:

1. Utrum poenitere sit de jure naturali, seu intra vires rationis et appetitus naturalis, etiam antecedenter vel abstrahendo ab illuminatione fidei et revelationis, ita ut sive in natura pura sive in natura elevata homo ex ipsa sola ratione cognoscere possit aliqualiter poenitendum esse et per naturalem voluntatem aliqualiter poenitere queat.

2. Utrum ex viribus mere naturalibus, seu absque auxilio gratiae

[67] Cf. In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 3, ad 4; dist. 22, q. 2, a. 3, q. 1, ad 1 et 2; 1–2, q. 51, a. 2 et 4; q. 63, a. 2 et 3; q. 113, a. 6 et 8; Quaest. Disp. De Virtutibus in communi, a. 1 et 9.

supernaturalis, possit homo elicere absolutum et efficacem actum poenitentiae, non quidem qui sit actus salutaris seu ducens ad justificationem (hoc enim asserere esset haeresis pelagiana) sed praecisive secundum ejus substantiam, seu qui importet efficacem dolorem, ex amore vel timore Dei conceptum, tendentem ad emendationem peccati et includentem absolutum propositum non peccandi de cetero.

3. Utrum Poenitentia sit virtus supernaturalis et infusa, non vero tantum naturalis vel acquisita.

4. Utrum praeter Poenitentiam supernaturalem et infusam, nullatenus detur alia virtus Poenitentiae naturalis et acquisita, ita ut poenitentia naturalis, sive in peccatore sive etiam in justo, nullo modo rationem proprie dictae virtutis attingat, etiam secundum imperfectum statum dispositionis.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

QUOAD PRIMAM QUAESTIONEM, an nempe detur aliqua poenitentia naturalis, affirmativae et communi sententiae tam thomistarum quam extraneorum post *S. Thomam* (q. 84, a. 7, ad 1), contradicit *Cajetanus* (In h. l.), negans rationem humanam absque illustratione fidei habere sufficientem cognitionem de emendabilitate peccati per dolorem et sufficiens motivum quo convincatur sibi de peccato poenitendum esse. Cajetanum praeiverunt *Scotus* (In 4 Sent., dist. 14, q. 3) et *Durandus* (In 4 Sent., dist. 14, q. 1).

Ad rem *Cajetanus:* "Circa illud [S. Thomae assertum in q. 84, a. 7, ad 1], quod poenitentia est de iure naturali quoad dolorem et doloris remedium et aliquod signum doloris, adverte quod dupliciter possunt haec verba intelligi. Primo, simpliciter et absolute, ut sonant. Et sic magnam habent difficultatem, si non sunt falsa. Tum quia, si peccatum non fuit scandalosum seu manifestum aliis, nulla apparet ratio naturalis ad signa doloris. Tum quia, abstrahendo a documentis fidei, dolor seu tristitia de praeterito peccato nullam videtur habere rationem remedii. Et propterea superfluum videtur dolere de malis praeteritis. Accedit ad haec quod difficile est nosse quid homo, infra ius naturae solum stando, cognosceret de abolitione peccati per aliud quam per cessationem a peccando.

"Alio autem modo intelliguntur, *supposita in homine cognitione fidei:* ita quod, supposita fide, non ex fide, sed ex ratione naturali provenit quod homo doleat de peccatis commissis, et quod dolorem in remedium assumat, et quod aliquod signum doloris ostendat: quamvis hoc tertium intelligendum sit, sicut de exteriori religionis cultu videtur, quod in communi sit de iure naturae. Dictat enim naturalis ratio homini fideli

ut doleat de offensa Creatoris: et, quia nullum aliud ex nobis est remedium nisi 'cor humiliatum' [Psal. 50, 19], ideo huiusmodi humiliationem *in remedium doloris,* hoc est, peccati dolendi, quaerat."

QUOAD SECUNDAM QUAESTIONEM, an nempe absque gratia possit homo elicere efficacem actum Poenitentiae, quoad ejus substantiam, negativae et communi sententiae thomistarum *adversatur praecipue LUDOVICUS MOLINA,* qui, concorditer cum principiis Molinismi, cujus ipse fundator extitit, docet hominem ex viribus solius naturae seu sub solo generali concursu divino posse elicere, quoad solam substantiam actus, tum attritionem tum contritionem absolutam et efficacem, quae nempe includat absolutum propositum non amplius peccandi. Ceterum idipsum a fortiori docet de actibus fidei, spei et dilectionis, qui connectuntur cum actu Poenitentiae. Horum autem actuum supernaturalitatem repetit ex supervenienti auxilio gratiae, quo ipsi, immutata manente eorum substantia, evehuntur ad ordinem supernaturalem.

Ad rem ipse in opere *"CONCORDIA":*
Disp. 14, membr. 1: "Utrum liberum arbitrium cum solo concursu generali attritionem ac contritionem, quoad solam actus substantiam, elicere valeat. . . Negari non potest, complurium esse scholasticorum sententiam, liberum nostrum arbitrium cum solo concursu generali Dei elicere posse non solum actum attritionis naturalem, id est, dolorem de peccatis ex Dei timore cum proposito amplius non peccandi lethaliter, sed etiam actum contritionis naturalem, qui idem propositum non peccandi amplius lethaliter includat" (Parisiis, 1876, p. 60).

Ibid., ad finem: "Ratio vero, quae communi doctorum sententiae patrocinatur, haec est: quia, praeexistente maxime lumine fidei, quo agnoscimus Deum conditorem nostrum, innumeraque et maxima beneficia, tum naturae, tum gratiae, quae in nos contulit usque ad proprii sanguinis in cruce effusionem, quo insuper cognoscimus justis sempiternam felicitatem, impiis vero ignem sempiternum, extremamque miseriam esse propositam; lethale autem peccatum tam extremum esse malum, adeoque divinam majestatem offendere, ut vel unum sit satis, ut qui illud commiserit, nisi de eo doleat, statuatque nihil tale deinceps committere, supremam amittat felicitatem in extremamque incidat miseriam; procul dubio tam potens est haec cogitatio ad excitandam et permovendam voluntatem, ut liberum arbitrium ejus qui haec sibi persuaserit, atque proprio acumine, aut alterius suggestione et hortatu rem attente consideraverit, *cum solo concursu generali Dei elicere* valeat, intuitu quidem extremorum malorum, in quae alias incidet, dolorem seu detestationem suorum scelerum cum proposito cavendi in posterum omnia peccata lethalia, in quo consistit *attritio quoad substantiam actus;* intuitu vero bonitatis ac beneficiorum Dei, similem detestationem ac propositum, in quibus posita est *ratio contritionis, quoad substantiam actus, insufficientis ad salutem;* eo quod peculiari impulsu Spiritus Sancti excitata non sit, nec effecta" (ibid., p. 63).

Ibid., membr. 4: "Confirmare possumus communem scholasticorum sententiam. . .
"*In primis,* quoniam, in absentia saltem objectorum atque occasionum peccandi, sane non est multum difficile, quin *tanquam facile sese offert, elicere quoad solam actus substantiam tale absolutum propositum non peccandi deinceps lethaliter,* quale ad contritionem et attritionem ostensum est sufficere: quivis namque in se ipso experietur, si fidei lumine ante mentis oculos proponat, sibique persuadeat,

excludendum se esse a sempiterna beatitudine, innumerisque aliis malis circumventum undique, sempiterno igne esse cruciandum, nisi statuat non peccare deinceps lethaliter, in facultate sui arbitrii cum solo concursu Dei generali esse, elicere in genere absolutum propositum non peccandi ulterius lethaliter, ut tantum malum effugiat. Est namque cuique naturale, propositis duabus molestiis subeundis, saltem in utriusque absentia, eligere potius minorem, eamque statuere potius subire, ut majorem evitet. Quo fit, ut saltem qui fidei lumine fuerit illustratus, cum solo concursu Dei generali elicere quoad solam actus substantiam possit propositum, de quo disputamus.

"*Secundo.* Quoniam propositum ejusmodi est extra totam latitudinem ordinis gratiae, nihil proinde conducens ad finem supernaturalem, estque unicus *actus in se mere naturalis, propriusque libero arbitrio:* quare lumen ipsum naturale intellectus, moralisque ac naturalis philosophia docent, denegari non debere viribus naturalibus humani arbitrii, Deo cooperante solum tanquam causa universali *per generalem solum concursum eo pacto, quo cum reliquis causis cooperatur.* Ac sane ei, qui id negat, probare incumbit contrarium, quod non prius erit admittendum, quam legitimis fuerit rationibus comprobatum. Nec apparet, quod emolumentum ex eo sequatur, quod naturales vires humani arbitrii usque adeo extenuentur, ut hic, et similes actus naturales ac simplices, ab eo fieri posse negentur absque speciali auxilio Dei" (ibid., p. 73).

Advertens tamen Molina hanc sententiam (in quam tam vehementer inclinat ut diserte videatur proponere) a quibusdam *"periculosam, quin et errori proximam. . . arbitrari"* (ibid., membr. 2, p. 63) *et contrariam sententiam "hodie in scholis apud varias orbis provincias communem asseri"* (ibid., membr. 4, p. 74), rei decisionem postponit usque ad *Disp. 19, membr. 6.* Ibi autem, quamvis adhuc vehementer inclinet in affirmativam sententiam, tamen, formidulose se gerens ob contrariam sententiam tunc communem, dicit ab hac discedendum non esse:

"Licet ex hactenus dictis constet, posteriorem sententiam non carere sua probabilitate, tum ob Patrum auctoritatem, quos eam affirmare retulimus, et scholasticos qui eandem sequuntur: tum etiam propter rationes, quibus illam confirmavimus: quia tamen prior variis in provinciis *communis censetur in scholis, minusque tutum* propter antiquos Patres et Concilia reputatur asserere, in arbitrio spectato in statu naturae lapsae esse vires sine speciali auxilio Dei, vel ad quamcunque mediocriter difficilem vehementioremve tentationem in unico temporis momento superandam, vel ad eliciendum quemcunque difficiliorem actum naturalem moraliter bonum, eaque de causa neque contritionem, neque attritionem quoad solam actus substantiam posse elici sine speciali auxilio Dei propter difficultatem, quae in absoluto proposito amplius non peccandi lethaliter cernitur, debilitatemque magnam, quae in arbitrio nostro post peccatum primorum parentum mansit; ego interim dum posterior vel ab Ecclesia non definitur, vel in scholis frequentior non sit, *ab illa priori discedendum non censeo.* Praesertim cum et rationes quibus illam confirmavimus multum ponderis habeant, et facile me multa possint latere, quae illam certam efficiant. Quare quae tam hac, quam XIV disputatione *in favorem posterioris dicta sunt,* ita accipiantur, ut proposita potius, quam asserta a nobis sint. Illa namque eo animo in medium protulimus, ut intelligatur quanta eis opinionibus insit probabilitas. Neque enim silere debuimus, *quae nobis de novo ea de re occurrebant, si forte temporis decursu ab aliis probarentur*" (ibid., p. 109).

Attamen hanc Molinae decisionem esse tantummodo voluntariam et politicam eumque suo judicio affirmativae opinioni adhaesisse, manifeste patet ex his verbis additis ad finem ejusdem *membri 6, disp. 19,* in editione Antuerpiensi a 1595:

"Forte mirabitur prudens lector, ut et multi lecta prima hujus nostri operis editione, datisque ad nos litteris mirati sunt, quid causae fuerit, quod, cum tam hac quam XIV disputatione, adeo firmis rationibus communes gravissimorum doctorum sententias, *in quas utrobique non obscure propendimus,* corroboraverimus, contrariasque aliorum rationes tam perspicue dissolverimus, everterimusque, membro hoc

ultimo utramque quaestionem, praeter nostrum morem, isto definierimus modo, ferio quidem excogitatis atque adhibitis solutionibus rationibus nostris, sed quae, ut aliorum, sic *nostrum numquam explere potuere intellectum. Id sane ad quorundam animos sedandos, pacemque quoad fieri posset servandam, factum a nobis fuit.* Novit enim Dominus pro illorum temporum ratione aliud, nec mihi, nec ipsius obsequio expediens tunc fuisse: cum tamen facile quivis, lectis quae in utramque partem nobis occurebant, judex esse poterat, *quid in se esset verum, quodque ea de re esset nostrum judicium*" (ibid., p. 112 sq.).

Quoad *actus fidei, spei et dilectionis,* haec docet:

Disp. 7: "Quod itaque disputamus est, utrum propositis et explicatis iis quae credenda sunt, adhibitis insuper argumentis, quae afferri solent, ut homines merito sibi persuadeant, ea revelata esse a Deo, et jussa credi, et denique accedente externa vocatione ad fidem per concionatores, aliosque Ecclesiae ministros, utrum, inquam, sit in facultate liberi arbitrii cum solo concursu generali Dei, *rebus propositis assentiri tanquam a Deo revelatis,* actu tamen qui sit mere naturalis, quique ex parte intellectus non sit satis ad justificationem: an vero interna vocatio, mentis illustratio, et attractio per auxilium supernaturale. . ., ita necessaria sint ad assentiendum iis, quae ad fidem spectant; ut non solum actu supernaturali, qualis ex parte intellectus ad justificationem, requiritur, eis assentiri non possimus, sed ne actu quidem mere naturali assensum ipsis praestare valeamus? Pars affirmans quaest. propositae semper mihi vera visa fuit" (ibid., p. 30 sq.).

Disp. 13: "De spe, quod ad actus substantiam attinet, non erit opus, post ea quae de fide dicta sunt, longam disputationem texere. Quivis enim facile concedet, praeexistente in intellectu assensu, quo revelatis assentimur, in facultate liberi arbitrii cum solo concursu generali Dei esse, elicere actum, non quidem supernaturalem, et qualis ad salutem est necessarius, sed mere naturalem *sperandi a Deo, quae ab eo revelata ac promissa sunt nobis,* atque adeo qui dicatur spes, non quidem christiana, sed quoad substantiam actus. Etenim in eo actu non plus difficultatis est, quam in actu assentiendi revelatis, imo multo minus. Praeexistente namque actu, quo assentimur vera esse quae promittuntur, facilius circa ea ex nostris viribus elicere possumus actum sperandi, quam primum actum, quo, tum eadem, tum pleraque alia, vera esse nobis persuademus. . . Adde, Judaeos et haereticos idem a Deo sperare, quod nos speramus: cum tamen nemo dicere possit, supernaturaliter a Deo adjuvari eos ut id sperent. Jam vero de *dilectione Dei* non est quod seorsim a contritione disseramus: cum contritio eam includat" (ibid., p. 59 sq.; cf. Disp. 14, ibid., p. 76).

Disp. 14, membr. 5: "[Conc. Trid., sess. 6, can. 1 et 3, innuit] nos posse quidem credere, sperare, diligere, ac poenitere, quoad substantiam actus, sine speciali auxilio Dei; non tamen sicut oportet, ut justificationis gratiam consequamur" (ibid., p. 77).

Disp. 37: "Constat profecto liberum nostrum arbitrium, et gratiam illam praevenientem, esse duas partes unius integrae causae actus *credendi, sperandi,* aut *poenitendi,* prout ad salutem oportet, singulosque ejusmodi actus pendere ab influxu tam liberi arbitrii, quam gratiae praevenientis; atque a libero quidem arbitrio habere ut actus illi *quoad substantiam* sint credere, sperare, aut poenitere: ab influxu vero gratiae praevenientis habere, ut sint *supernaturales,* et quales ad salutem sunt necessarii" (ibid., p. 209; cf. quae habet in Disp. 45).

Pro hac sententia Molina citat Soto, Cano, Cajetanum, Scotum, Biel, Occam, Alliacum, Paludanum, Richardum, Vegam, Victoriam, Bonaventuram, S. Thomam (cujus quosdam textus arbitrarie commentatur per integram paginam),[68] additque: "Neminem hactenus me legisse

[68] Cf. infra, ad calcem Concl. 2, p. 425 sq.

memini, ex doctoribus Soto et Cano antiquioribus, qui huic communi opinioni adversatur" (ibid., p. 60–62), imo incusat et reprehendit nonnullos ex antiquioribus ac si eo usque processerint ut dicerent "dolorem ex solis naturalibus viribus elicitum sufficientem esse dispositionem ad gratiae infusionem" (ibid., p. 63).

Quamvis nimis confidenter Molina invocet auctoritatem tot tantorumque theologorum, quorum quidam ambigue loquuntur, alii, ut S. Thomas, ejus doctrinae adversantur, negari non potest aliquos ei favere, praecipue *Scotum* (In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 1), *Durandum* (In 2 Sent., dist. 28, q. 5), *Biel* (In 3 Sent., dist. 27, q. 1), et *Cajetanum*;[69] quod quidem adverterunt ipsi Protestantes qui, cum *Chemnitio*,[70] incusarunt doctores catholicos quod docuerint actum Poenitentiae esse mere naturalem.

Ipsa doctrina CAJETANI minime clara est. Nam in uno loco, i.e. Quaest. de Contritione, Quaesitum primum, clare videtur sentire cum Molina; in alio loco, i.e. In 1–2, q. 109, a. 4, eandem sententiam videtur proponere sed minus clare; in tertio loco, i.e. In 2–2, q. 6, a. 1, videtur quibusdam[71] retractare sententiam, at nec ipse dicit se priorem sententiam retractare, nec id sequitur ex ejus littera, sed, explicans clarius praecedentem locum, distinguit inter actum credendi, actum credendi quod est ex fide ut fide, et actum credendi quod est ex fide ut virtute non informata vel formata a charitate, et docet primum atque secundum esse essentialiter supernaturales. Ceterum quomodo haec omnia inter se cohaereant in mente Cajetani, maxime si attendatur primus locus, non facile constat.

En ejus verba:

Quaestiones de Contritione, Quaesitum primum, n. 3. 5. 6: "Unum est in potestate nostra, et de eo certi esse possumus; alterum est ex divina gratia, et nobis incertum. Horum primum est diligere Deum super omnia: secundum est quod huiusmodi diligere sit informatum caritate 'diffusa a Spiritu Sancto in cordibus filiorum Dei' [Rom. 5, 5]. Et si quidem defecerit primum, scilicet dilectio Dei super omnia, attritio, non contritio est: si vero primum affuerit, contritio vocatur. Esse autem hanc dilectionem in potestate nostra ex eo patet quod, sicut in potestate nostra est constituere nobis pro ultimo fine delectationem veneream aut lucra aut regnum, ita in potestate nostra est

---

[69] Horum doctrinam exponit et refellit *Suarez* (Disp. 3, sect. 6), quin tamen memoret Molinam. *Salmanticenses* vero (Disp. 4, dub. 3) totam aciem convertunt in Molinae sententiam explicandam et evertendam.

[70] Examen Conc. Trid., pars 2 De Paenitentia, Francofurti, 1598, p. 964 sq.

[71] Ut *Del Prado* O.P., De Gratia et Libero Arbitrio, pars prima, Friburgi, 1907, p. 50–52 et in nota.

habere Deum, etiam ut beatitudo est sanctorum, pro ultimo fine, ita quod intendamus et deliberemus praeferre ipsum in voluntate nostra omnibus quae desiderari haberive possint. Quod etiam huiusmodi dilectio exigatur ad contritionem, et distinguatur ab attritione, ex eo patet quod sine huiusmodi dilectione non potest esse informatio caritatis. *Substernitur enim huiusmodi dilectio acquisita caritatis formationi. . .*

"Gratuita Dei motio est quae huiusmodi acquisitam contritionem efficit ultimam dispositionem ad gratiam seu caritatem. Ita quod ex hoc ipso quod Deus, non per aliquod superadditum donum habituale, sed per gratuitam dilectionem qua dignatur uti nostra acquisita contritione ut dispositione ultima ad suum proprium opus, quod est caritas quae infunditur, transfertur nostra contritio in fore ultimam dispositionem pro gratia habituali. . .

"[Praeterea haec eadem acquisita contritio assumitur a charitate et fit informata et meritoria; nam] quidquid sit de diversitate penes principia in esse naturae, diversitas tamen principiorum in genere moris seu meriti non infert unum eundemque actum non posse esse et sine tali principio, et cum tali principio: unus namque et idem actus exterior qui a principio non fuit bonus moraliter, potest esse bonus moraliter in prosecutione. Et similiter in proposito contritio acquisita, quae a principio non est meritoria, potest in sui prosecutione fieri meritoria, superveniente caritate; *nec oportet re-inchoare actum quoad substantiam actus,* sed sufficit quod inchoetur actus quoad esse meritorium. Cum enim dicitur actum meritorium inchoari a caritate, est sermo formalis, hoc est, non de actu simpliciter, sed inquantum est meritorius. Et propterea stat actum esse simpliciter inchoatum sine merito et caritate; et eundem continuari cum merito, et inchoari a caritate secundum esse meritorium" (in editione leonina operum S. Thomae, t. 12, p. 343 sq.).

In 1–2, q. 109, a. 4, n. 6: "Responsio data ad tertium in littera, extenditur ad omnia praecepta virtutum theologalium: ita quod etiam credere, sperare, diligere Deum, confiteri ipsum Iesum Christum, potest homo per sua naturalia quantum ad substantiam operum adimplere, et non inquantum *implentur ex spe et fide et caritate*. Et quod hoc sit verum, ex eo convincere possumus quod gentilis edoctus fidem, nolens esse Christianus, cum hoc posset credere totam fidem esse veram, ut Ecclesia tenet: constat enim quod talis nulla supernaturali gratia adiutus crederet. Posset quoque idem sperare se fore beatum in caelo: quamvis inanis esset spes eius, sicut et fides. Sed ad propositum satis est de sufficientia ad substantiam operum; quam in haereticis quantum ad confessionem exteriorem et actus interiores et susceptio-

nem sacramentorum experimur, qui actus fidei, spei et caritatis, quantum ad substantiam operum, intus et extra exercent, sine ullo supernaturali dono in eis."

In 2–2, q. 6, a. 1, n. 1–3: "In corpore articuli dubium occurrit, an assentire his quae sunt fidei elevet hominem supra naturam suam. Si namque hoc asseritur . . . , doctrina superius habita in praecedenti Libro [1–2, q. 109, a. 4, n. 6] ruit. . . Hic [in littera S. Thomae] *est sermo de fide simpliciter: et non de fide ut est virtus simpliciter, aut informis.* Fides autem est fides simpliciter et perfecta simpliciter, perfectione fidei non perfectione virtutis, ex hoc quod est fides, abstrahendo a formatione vel non formatione caritatis. . . Dicendum est ergo quod actus fidei, hoc est assentire veritati primae secundum Scripturas et sensum Ecclesiae, elevat hominem supra suam naturam: et *hoc qui negat propriam ignorat vocem.* Nam actus iste ex nulla naturali cognitione, ex nullo naturali appetitu natus est sequi: sed ex appetitu beatitudinis aeternae, et ex adhaesione ad Deum supernaturaliter revelantem et conservantem Ecclesiam suam."

QUOAD TERTIAM QUAESTIONEM, an nempe Poenitentia sit virtus supernaturalis et infusa, affirmant communiter theologi; *negant* vero pauci (praecipue in schola scotistica), uti *Scotus* (In 4 Sent., dist. 14, q. 2), *Durandus* (In eundem loc. Sent., q. 2), *Henno* (Disp. 1, concl. 2), *Chrystophorus Delgadillo* (De Poenit., cap. 2, dub. 14) et *Ripalda* (De ente supernaturali, t. 1, l. 3, disp. 53), qui, applicantes ad virtutem Poenitentiae generale suum principium quod nulla sit virtus infusa praeter theologicas, docent quod per iterationem actuum poenitentis, positis a ratione naturali sub influxu quidem fidei aliarumque virtutum theologicarum, habitus Poenitentiae naturaliter acquiritur, quin necesse sit ut a Deo infundatur.[72]

Haec sententia gravi *censura* afficitur a pluribus antiquioribus. Ita *Joannes a S. Thoma* ait quod, quamvis non possit cum certitudine statui censura contra sententiam negantem infusionem aliarum virtutum moralium a theologicis, "tamen de aliqua virtute morali, scilicet Poenitentia, etiam ita proxime deducitur debere esse infusam ex doctrina Concilii ut existimem de hac morali virtute non posse sine censura negari quod sit virtus infusa, itaque existimo ad minus esse proximum errori [intellige proximum haeresi seu errori in fide] negare quod virtus Poenitentiae sit virtus infusa" (In 1–2, q. 62, Disp. 16, a. 7, n. 9). Mitius existimamus eam sententiam mulctandam esse aliqua *nota temeritatis,* non quidem quatenus directe docet Poenitentiam non esse *virtutem* infusam, nam Concilium non docet Poenitentiam esse

[72] *Scotum* et *Durandum* refert et impugnat *Cajetanus,* In q. 85, a. 6.

virtutem seu habitum in stricto sensu, quamvis hoc doceat Catechismus Conc. Trid. cum communi choro theologorum (cf. art. 12, p. 279), sed quatenus negat Poenitentiam esse *aliquid infusum* et videtur etiam negare actum poenitentiae salutaris esse *intrinsece supernaturalem;* hoc enim utrumque, ac praecipue alterum, adversatur menti Concilii, ut ostendetur in Concl. 3.

QUOAD QUARTAM QUAESTIONEM, an nempe detur virtus poenitentiae naturalis et acquisita, praeter Poenitentiam supernaturalem, inter eos qui hanc quaestionem agitant vel tangunt, *negant* communiter thomistae et plures alii, uti *Soto, Cano, Gregorius de Valentia* (Disp. 7, q. 2), *Joannes a S. Thoma, Salmanticenses* (Disp. 5, dub. 5, § 3, n. 200 sqq.), et inter modernos *De Augustinis* (De Poenit., thes. 1) et *Prümmer* (n. 307); *affirmant* vero plures tam inter antiquiores, uti *Richardus* (In 4 Sent., dist. 14, a. 4), *Lugo,*[73] et *Gonet,* quam inter modernos, uti *Pesch,*[74] *E Amann*[75] et *Galtier,* qui, breviter proponens praecipuum argumentum, ab his doctoribus allatum, quare oporteat distinguere duas virtutes Poenitentiae, alteram infusam, alteram acquisitam, scribit:

"Opinioni subjacet num . . . dato habitu infuso [Poenitentiae], acquiratur etiam habitus naturalis dans facilius posse, qui maneat etiam post peccatum quo amittitur infusus. Sententia admittitur eadem de paenitentia quae de aliis virtutibus moralibus. Per habitum acquisitum facilius explicatur major promptitudo ad paenitendum quae invenitur sive apud justum qui diu conatus est contra peccatum, sive apud peccatorem qui, quoties labitur, statim detestationem peccati fovet."[76]

Gonet scribit: "Inferes . . . praeter habitum poenitentiae supernaturalis, dari habitum poenitentiae naturalis. Naturaliter enim cognoscitur peccatum esse contrarium rationi, subindeque primae regulae et legi aeternae, cujus ratio naturalis est participatio: ergo potest voluntas viribus propriis illud detestari, ut rationi et legi aeternae contrarium, nec hoc excedit ipsius vires: igitur ex talibus actibus gigni potest habitus facilitans voluntatem ad consimiles actus eliciendos. Hinc sequitur quod in statu naturae purae potuisset esse verus habitus poenitentiae naturalis, cum in eo statu potuisset homo dolere saepe de peccatis in Deum ut auctorem naturae commissis cum spe veniae; plures enim ex gentilibus, lumine fidei destituti, solo rationis naturalis ductu, offerebant olim Deo sacrificia ad placandum ipsum pro peccatis, ut scribit Plato lib. 10. de legibus. Unde Ovidius 1. de Ponto, de diis

[73] Disp. 3, sect. 2, n. 24. 27; confer ejus sententiam circa Poenitentiam de peccatis alienis, supra expositam in art. 14, p. 363 sq.
[74] N. 98, ubi tamen dubitanter vel hypothetice loquitur.
[75] In *Dict. Théol. Cath.,* art. Pénitence, col. 747.
[76] De Paenitentia, thes. 2, n. 34, Parisiis, 1931, p. 25.

suis ait: 'Saepe levant poenas, ereptaque lumina reddunt, dum bene peccato poenituisse vident'."[77]

CONCLUSIO

Conclusio 1. Poenitere est de ordine et jure naturali, seu intra vires rationis et appetitus naturalis, etiam antecedenter vel abstrahendo ab illuminatione fidei et revelationis, ita ut sive in natura pura sive in natura elevata homo ex ipsa sola ratione cognoscere possit aliqualiter poenitendum esse et per naturalem voluntatem aliqualiter poenitere queat (q. 84, a. 7, corp. et ad 1; In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 3, ad 4; dist. 22, q. 2, a. 3, q. 1, ad 1 et 2).

Probatur.

Ex ipsa ratione naturali, absque luminis fidei illustratione, primo, homo potest distinguere inter id quod est moraliter bonum et id quod est moraliter malum, seu inter conforme et difforme cum recta ratione; secundo, potest cognoscere bonum esse faciendum, malum vero vitandum; tertio, potest cognoscere aliquid esse malum ut contra Deum, potest enim naturaliter cognoscere Deum existere, ipsum colendum esse, determinatam aliquam actionem importare aliquam dissonantiam cum cultu Deo debito, puta rationem inoboedientiae vel irreligiositatis, et ista esse quodammodo injuriam seu violationem juris divini; quarto, potest inde inferre hanc Dei injuriam, utpote malum, esse fugiendam, et, utpote injuriam, esse reparandam, et quidem per detestationem, quae est fuga a malo, et per dolorem, qui est quaedam reparatio pro complacentia habita in actu peccaminoso.

Cum autem homo hoc possit cognoscere per rationem, idipsum potest appetere per voluntatem et assequi conari.

Ergo poenitere, seu tendere in reparationem juris divini laesi per peccatum, est de ordine et jure naturali,[78] quamvis de facto nequeat homo ex solis viribus naturae et absque auxilio gratiae elicere efficacem actum contritionis vel attritionis, ut dicetur in Concl. seq., sed tantum possit emittere conamen aliquod et actum imperfectum in propria linea poenitentiae (i.e. imperfectam attritionem), adeoque poenitentia naturalis nequeat esse virtus proprie dicta, sed tantummodo quidam motus

[77] De Poenitentia, disp. 2, a. 3, § 6, n. 93, Clypeus, v. 6, Parisiis, 1876, p. 538.

[78] Hoc argumentum bene prosequitur *Suarez* (Disp. 3, sect. 7), qui tamen non recte conatur aliter etiam eandem conclusionem probare, ex possibilitate nempe amoris Dei super omnia per solas vires naturae, cui respondet possibilitas dolendi de malo Dei seu de peccato. Praedicta enim possibilitas amandi Deum super omnia, etiam affective tantum et ad breve tempus, neganda est; ceterum, si daretur, exinde sequeretur etiam possibilitas eliciendi non quemlibet actum poenitentiae, sed efficacem (confer infra, in Concl. 4), quod tamen ipse Suarez (ibid., n. 4) bene negat.

de genere actuum laudabilium, qui sunt infra genus virtutis, ut dicetur in Concl. 4.

Confirmatur ex eo quod de facto hic poenitentiae motus, ad ipsam divinitatem relatus, non latuit *paganos*, ut constat tum ex variis sacrificiis expiatoriis in eorum religionibus usitatis, teste historia et *Platone* (De legibus, l. 10), tum ex quibusdam gentilium scriptorum testimoniis, ut *Ovidii* et *Ausonii* (supra cit., in p. 9 sq.).

Certe hanc poenitentiam nequaquam paganos latuisse supponit *Lactantius*, cum *Ciceronem*, de efficacitate poenitentiae ad emendationem vitae dubitantem, ita redarguit: "Si liberos nostros, cum delictorum suorum cernimus poenitere, correctos esse arbitramur, et abdicatos abjectosque rursus tamen suscipimus, fovemus, amplectimur: cur desperamus clementiam Dei patris poenitendo posse placari?" (Divin. instit. 6, 24, M.L. 6, 722). Idem Pater, laudans dicta *Senecae*, scribit: "Exhortationes suas Seneca mirabili sententia terminavit. 'Magnum, inquit, nescio quid, majusque quam cogitari potest, numen est, cui vivendo operam damus. Huic nos approbemus. Nam nihil prodest inclusam esse conscientiam: patemus Deo'. . . De sacrificio ipso pauca dicemus. 'Ebur, inquit Plato, non castum donum Deo.' Quid ergo? Picta scilicet et texta pretiosa? . . . Quanto melius Seneca, et verius? 'Vultisne vos, inquit, Deum cogitare magnum et placidum, et majestate leni verendum amicum, et semper in proximo? Non immolationibus et sanguine multo colendum (quae enim ex trucidatione immerentium voluptas est?): sed mente pura, bono honestoque proposito. Non templa illi congestis in altitudinem saxis extruenda sunt: in suo cuiusque consecrandus est pectore.' " (Ibid., 6, 24 sq., M.L. 6, 724–729.)

Non ideo exaggerate aut nimis emphatice *Augustinus* pronuntiavit poenitentiam esse *"vocem naturae"* nec "ullam barbariem" eam ignorasse (cf. supra, art. 11, p. 271).

Ad rem *S. Thomas, q. 84, a. 7:* "Hujus sacramenti materia praeexistit a natura (ex naturali enim ratione homo movetur ad poenitendum de malis quae fecit); sed quod hoc vel illo modo homo poenitentiam agat, est ex institutione divina."

Ibid., ad 1, cit. in art. 2 (p. 146 sq.).

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 3, ad 4: "Haec virtus reducitur ad aliquam cardinalium virtutum, ut dicitur. Tamen philosophi de hac virtute ideo mentionem non fecerunt, quia remissio peccati, sive expiatio, pertinet ad providentiam Dei de humanis actibus, inquantum culpa offenditur, et poenitentia placatur.[79] Philosophi autem non con-

[79] Aliter: "Culpa ostenditur, et poenitentia ploratur".

sideraverunt virtutes dirigentes in actibus humanis prout ordinantur ad Dei providentiam, sed prout ordinantur ad bonum humanum; et ideo de poenitentia mentionem non fecerunt; sed ex similitudine aliarum quas determinaverunt, possumus nos etiam accipere. Sicut enim est alicujus virtutis, ut homo placet eum, quem peccando offendit; ita etiam est alicujus virtutis, ut homo Deum placet, quem peccando offendit."

Ibid., dist. 22, q. 2, a. 3, q. 1, ad 2, cit. in art. 2 (p. 146).

Ex his patet non recte *Cajetanum* mentem S. Thomae exposuisse, ac si S. Doctor doceret poenitentiam esse de jure naturali non absolute sed tantum sub illustratione fidei. Ex ipso enim textu *a. 7, ad 1* (q. 84) manifestum est S. Doctorem loqui de jure naturae absolute spectato, cum, post allusionem ad poenitentiam Ninivitarum, addat: *"In quibus tamen aliquid fuit adjunctum fidei,* quam conceperunt ex praedicatione Jonae, ut scilicet hoc agerent sub spe veniae consequendae a Deo".

Tres autem rationes a Cajetano allegatae pro negativa, hanc non evincunt.

Nam *primo,* etiam peccatum non scandalosum, sed mere privatum aut interius, habet rationem moralis difformitatis, et proinde qua tale potest detestari et esse objectum poenitentiae, quamvis non possit esse objectum verecundiae; *secundo,* dolor ille imperfectus qui est possibilis in ordine naturae affert aliquod remedium peccato, etsi incompletum, quia ponit in voluntate aliquem conatum ad destruendum peccatum; *tertio,* homo ex lumine solius rationis cognovit peccatum removendum esse non per solam cessationem a peccato, sed etiam per dolorem animi, ut patet ex paganorum descriptionibus de poenitentia (cf. Gellium et Ovidium, cit. in p. 6 et 9), imo aliquomodo cogitavit de remissibilitate peccati per misericordiam Dei, ut dictum est supra in Confirmatione. Nec quidquam refert si rudes et imbecilliores has poenitendi rationes explicite non detegerint, quoniam sufficit ut quidam sapientiores eas sibi proposuerint et quod proinde ipsae possint solo lumine rationis assequi; ceterum, earum confusa et implicita cognitio videtur esse veluti innata ac necessaria humano intellectui, cum proxime sequatur ex primis principiis rationis, sicut ipsa cognitio de moralitate actuum humanorum et de existentia et juribus Dei, in qua ratio naturalis poenitentiae proxime fundatur, ut ostensum est in probatione hujus Conclusionis.

Ceterum, ultro concedimus quod ex illustratione fidei ipse actus poenitentiae naturalis evadit clarior, determinatior, promptior, facilior et communior, maxime si supponatur status gratiae sanctificantis, ex quo expellitur naturalis inhabilitas hominis peccatoris ad diligendum

Deum super omnia ut finem naturalem, quamvis non sanetur inhabilitas ad ponendum efficacem actum naturalis attritionis vel contritionis per solas vires naturae, ut dicetur contra ipsum Cajetanum in Concl. seq.

Imo addimus quod, supposita fidei illustratione, *ipsa ratio naturalis dictat indirecte ipsam poenitentiam supernaturalem,* quatenus, cognoscens eundem esse Deum qui offenditur in ordine naturae et Deum a fide propositum, dum dictat esse poenitendum de peccato, dictat eo ipso eundem Deum esse placandum sub omni modo quo offensus est, adeoque etiam sub modo et ordine supernaturali, quemadmodum eadem ratio naturalis quae directe dictat Deum esse colendum, indirecte quoque dictat Deum esse in Eucharistia adorandum, semel cognita per fidem ejus praesentia in hoc sacramento.

Nec obstat quod ratio secundum vires naturales non possit attingere objectum supernaturale, cum non possit transgredi limites suae speciei; nam praedicta attingentia objecti supernaturalis est tota indirecta et exercetur intra directam attingentiam proprii objecti naturalis. In tali enim casu lumen fidei non adjuvat rationem ex parte principii sui actus, quemadmodum in actu fidei vel visionis beatificae, secus ageretur de cognitione rationis ex viribus gratiae, seu supernaturali, et egrederemur ex hypothesi in qua versamur (an scilicet ipsa ratio naturalis ex suis viribus, stante lumine fidei, dictet ipsam poenitentiam supernaturalem), sed tantum se habet ex parte objecti, et quidem indirecte, quatenus nempe sub ejus lumine ostenduntur intellectui quaedam objecta vel quaedam rationes, aliter incognoscibiles, quae connectuntur vel ad quas indirecte et implicite se extendit ipsum objectum naturale humanae rationis.

Sic quia ratio dictat Deum esse colendum sequitur eam dictare Deum esse colendum etiam in Eucharistia, cognita per fidem existentia hujus mysterii, non quod haec fides praestet rationi suum proprium supernaturale objectum, sed quia est occasio ut extendatur aut determinetur proprium objectum rationis, quod est Deum esse colendum quomodolibet cognoscendum sese offerat. Sic etiam, ex revelatione visionis beatificae quam ratio nec suspicari valet, habet intellectus novum objectum quod possit sub suo formali objecto assumere ac propriis viribus quodammodo illustrare, ostendendo ejus congruentias et analogias ac negative defendendo ejus possibilitatem per solutionem contrariarum objectionum; et similiter, posita revelatione supernaturalium praeceptorum, ex ipso amore Dei naturalis ratio dictat ea quoque praecepta esse observanda.

Eodem igitur modo ratio humana, intimando directe poenitentiam naturalem, dictat indirecte ipsam poenitentiam supernaturalem; sicut

etiam ex certiori cognitione fidei de necessitate poenitendi et remissibilitate peccatorum per divinam largitatem, certior et expeditior fit in suo ipso actu poenitentiae naturalis, quemadmodum ex cognitione fidei de ipsa existentia Dei, scientificus assensus philosophi christiani tam firmissime roboratur, ut, quin ad altius objectum elevetur, omnem prorsus dubitationem abiciat.

Conclusio 2. Homo lapsus, saltem in praesenti statu naturae elevatae, nequit ex propriis viribus et absque supernaturali auxilio gratiae elicere efficacem actum poenitentiae secundum suam substantiam, seu actum contritionis vel attritionis quae, quamvis forte nihil valeret in ordine ad salutem seu justificationem, importet tamen plenum dolorem excludentem omnem affectum ad peccatum et sincerum propositum non peccandi de cetero (1–2, q. 109, a. 6 et 7).

Probatur 1. *EX QUATUOR VERITATIBUS FIDEI CIRCA NECESSITATEM GRATIAE IN HOMINE LAPSO.*

PRIMO. Juxta fidem homo lapsus nequit se convertere ad Deum et agere poenitentiam absque speciali Dei auxilio. Atqui si homo ex propriis naturae viribus et absque speciali Dei auxilio posset elicere actum efficacem poenitentiae, posset ad Deum se convertere et agere poenitentiam absque speciali Dei auxilio, nam ille actus est vera conversio ad Deum ut ad ultimum finem et vera poenitentia, imo, ubi agatur de actu contritionis, est plena conversio ad Deum et perfecta poenitentia, maxime si cum Molina et Cajetano dicatur eam conversionem respicere Deum etiam ut finem in ordine supernaturali. Ergo absque speciali Dei auxilio homo nequit elicere efficacem actum poenitentiae.

Ad majorem. Satis erit recolere, ex his quae solent afferri in tractatu De gratia, quaedam fidei documenta quae docent necessitatem gratiae ad conversionem et poenitentiam:

Psal. 84, 5: "Converte nos, Deus salutaris noster, et averte iram tuam a nobis."

Jerem. 31, 18 sq.: "Castigasti me, et eruditus sum, quasi juvenculus indomitus; converte me, et convertar, quia tu Dominus Deus meus. Postquam enim convertisti me, egi poenitentiam; et postquam ostendisti mihi, percussi femur meum."

Threni, 5, 21: "Converte nos, Domine, ad te, et convertemur".

Ezech. 11, 19 sq.: "Et dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum; et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum, ut in praeceptis meis ambulent, et judicia mea custodiant".

Act. 5, 31: "Hunc principem et salvatorem Deus exaltavit dextera sua, ad dandam poenitentiam Israeli, et remissionem peccatorum."

Phil. 2, 13: "Deus est enim qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate" (cf. 1, 6).

2 Tim. 2, 25 sq.: "Cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati, nequando Deus det illis poenitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem."

Conc. Arausicanum II, can. 4: "Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum exspectare contendit, non autem, ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infusionem et operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: 'Praeparatur voluntas a Domino' [Prv 8, 35: LXX], et Apostolo salubriter praedicanti: 'Deus est, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate' [Phil 2, 13]" (Denz. 1177).

Can. 6: "Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, orantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quaerentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem, ut credamus, velimus, vel haec omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem et inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, et aut humilitati, aut oboedientiae humanae subiungit gratiae adiutorium, nec, ut oboedientes et humiles simus, ipsius gratiae donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti: 'Quid habes, quod non accepisti?' [1 Cor 4, 7]; et: 'Gratia Dei sum id, quod sum' [1 Cor 15, 10]" (Denz. 179).

Can. 7: "Si quis per naturae vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitae aeternae, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, id est evangelicae praedicationi consentire posse confirmat absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati, haeretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: 'Sine me nihil potestis facere' [Io 15, 5]; et illud Apostoli: 'Non quod idonei simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est' [2 Cor 3, 5]" (Denz. 180).

Can. 9: "Divini est muneris, cum et recte cogitamus, et pedes nostros a falsitate et injustitia continemus; quoties enim bona agimus, Deus in nobis atque nobiscum, ut operemur, operatur" (Denz. 182).

Can. 19: "Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsa, creatore suo non adiuvante, servaret; unde cum sine Dei gratia salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare, quod perdidit?" (Denz. 192).

Can. 23: "Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet; quando autem id faciunt, quod volunt, ut divinae serviant voluntati, quamvis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas est, a quo et praeparatur et iubetur, quod volunt" (Denz. 196).

Can. 25: "Prorsus donum Dei est diligere Deum. Ipse ut diligeretur dedit, qui non dilectus diligit. Displicentes amati sumus, ut fieret in nobis unde placeremus. 'Diffundit' enim 'charitatem in cordibus nostris Spiritus' [Rom 5, 5] Patris et Filii, quem cum Patre amamus et Filio. Ac sic secundum supra scriptas sanctarum Scripturarum sententias, vel antiquorum Patrum definitiones, hoc Deo propitiante et praedicare debemus et credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum et attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari propter Deum quod bonum est, possit, nisi eum gratia misericordiae divinae praevenerit" (Denz. 198 sq.).

Conc. Trid., sess. 6, can. 3: "Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque eius adiutorio hominem credere, sperare et diligere aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur: A.S." (Denz. 813).

Augustini verba, quae sunt vox ipsius Traditionis, dabuntur infra.

Vim praehabiti argumenti evadere conatur Molina (Concordia, Disp. 15), inquiens in praedictis testimoniis non agi de conversione et poenitentia quomodolibet, aut secundum substantiam actus, sed tantum de conversione et poenitentia quae sit supernaturalis et disponit ad justificationem, ad quam Pelagiani, quos Ecclesia damnare intendit, docebant sufficere vires naturae.

Attamen, imprimis, complura ex praedictis testimoniis prorsus generaliter sonant, ac simpliciter affirmant Deum esse qui nos ad se convertit, et a peccato avertit, qui lapideum cor aufert a nobis et cor novum praebet, qui nos impellit ad poenitentiam. Patet autem actum efficacem poenitentiae secundum substantiam importare veram conversionem ad Deum, cum procedat ex ipso amore Dei saltem ut finis naturalis, cor novum nec amplius lapideum seu peccato obduratum, verum impulsum poenitentiae.

Praeterea, ipsae particulae diminutivae, additae a Conc. Arausicano et Tridentino, in quibus insistit Molina, scilicet "bonum quod ad salutem pertinet", "reparare quod perdidit", "poenitere, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur", quamvis maxime referantur ad impossibilitatem poenitentiae ut justificativae, important etiam impossibilitatem efficacis poenitentiae simpliciter et secundum substantiam;

haec enim reparat aliquid quod homo perdidit per peccatum i.e. conversionem ad Deum; est etiam aliquod bonum quod ad salutem pertinet, cum ille idem actus, juxta adversarios, a gratia Dei assumatur et supernaturali ratione justificativa vestiatur; fit consequenter sicut oportet, ut homini justificatio conferatur, saltem remote prout disponit ad subsequens auxilium gratiae, quemadmodum ipsa attritio supernaturalis ordinatur ad justificationem per sacramentum vel per subsequentem contritionem conferendam.

Praeterea, illos eosdem actus quos Molina dicit esse poenitentiam ex viribus naturae, Concilia dicunt provenire ex dono Dei et auxilio gratiae.

Nam juxta Concilia, ex gratia provenit quod homo velit purgari a peccatis, quod recte cogitet et pedes a falsitate et injustitia contineat, quod velit facere aliquid ut divinae serviat voluntati (Conc. Araus., can. 4. 9. 23), quod concipiat attritionem cum proposito non peccandi ex consideratione turpitudinis peccati, amissae beatitudinis et periculi poenarum (Conc. Trid., sess. 14, cap. 4 et can. 5, citand. infra, art. 32). Juxta Molinam vero ex viribus naturae provenit quod homo doleat de peccatis, quod proprio acumine concipiat absolutum propositum non peccandi de cetero, quod concipiat absolutum propositum servandi praecepta seu voluntatem divinam, quod concipiat attritionem cum proposito non peccandi ex iisdem prorsus motivis enarratis a Concilio Tridentino (cf. textus Molinae supra citatos).

Frustra autem Molina, advertens peculiarem dissonantiam suae doctrinae a verbis Concilii Trid. quoad hoc ultimum punctum, sic eam dissipare conatur: "Ex eo . . . capite definit Concilium eam attritionem quae cum sacramento Poenitentiae sufficit ad justificationem, esse donum Dei, quod oriatur ex dono timoris Dei ab Spiritu sancto peculiari influxu et auxilio immisso: non vero quod propositum amplius non peccandi esse non possit, etiam quoad substantiam actus sine speciali auxilio Dei."[80]

Haec verba, ut prostant, hanc referunt ineptam propositionem: Juxta Concilium attritio ideo est donum Dei, quia est donum Dei, vel tunc est donum Dei, quando est donum Dei; mens autem Molinae est: Juxta Concilium ea attritio non semper est donum Dei et supernaturalis; doctrina vero Concilii est totaliter apposita et affirmativa: Ea attritio concepta ex timore, quae importat, imo si importat, propositum non peccandi cum spe veniae, est donum Dei i.e. supernaturalis. Concilium igitur non dicit hanc attritionem posse esse donum Dei, sed esse donum Dei.

---

[80] Concordia, disp. 14, membr. 5, Parisiis, 1876, p. 77.

Imo, juxta mentem Concilii, ratio quare ea attritio sit donum Dei est quia importat propositum non peccandi et spem veniae, seu actum efficacem poenitentiae. Ex duobus enim elementis quae Concilium dicit in ea importari, scilicet motu timoris et proposito non peccandi, hoc ultimum exhibetur ut determinans aliud ad hoc ut sit donum Dei, ut patet *tum* ex forma conditionali appositionis ("Si voluntatem peccandi excludat"); *tum* ex eo quod motus timoris, juxta omnium sententiam, ex se nihil habet unde sit necessario supernaturalis cum possit esse merus timor servilis ex sola apprehensione poenae conceptus (ex quo roboratur vis supradictae conditionalis appositionis, ita ut obvius sensus Concilii sit: Quamvis attritio, ut importat timorem possit esse simplex motus naturalis, tamen, ut importat voluntatem non peccandi, est donum Dei); *tum* ex eo quod a Concilio non assignatur nec est assignabilis ulla alia ratio unde dicatur talis attritio esse supernaturalis et requirere auxilium Dei. Non enim ratio est *quia* ea attritio sit justificativa vel meritoria et satisfactoria, nam hoc convenit soli contritioni; *nec quia* dirigatur ad finem supernaturalem, nam, primo quaeri potest undenam habeat quod dirigatur ad finem supernaturalem, nisi ex hoc praecise quod sit actus efficax poenitentiae qui, praecise quia efficax, nequit dirigi in solum finem naturalem, secundo, juxta Molinam, fides et spes, quae sunt principium motus attritionis, sunt actus naturales quamvis dirigantur ad finem supernaturalem, ex quo etiam sequitur in sententia Molinae ipsam attritionem naturalem dirigi ad finem supernaturalem (quamvis non sit supernaturalis), quod ceterum aequivalenter affirmatur a Cajetano; nec *quia* sit remote dispositiva ad justificationem eamque una cum sacramento efficiat, nam quaeritur undenam proveniat quod sit taliter dispositiva, nisi ex hoc praecise quod sit aliquis actus efficax poenitentiae, seu verus dolor cum vero proposito non peccandi, cum id nequeat tantummodo refundi in meram extrinsecam ordinationem Dei.

Praeterea, quae sit *mens Pelagianorum* quaeque mens Ecclesiae, tum in Arausicano tum in Tridentino, eorum doctrinam damnantis, non melius intelligetur quam ex verbis *AUGUSTINI*, eos directe impugnantis, tanquam ex voce totius traditionis in hac materia de gratiae necessitate:

Contra Julianum Pelagianum, 5, 4, 14: "Nisi ipse dederit, quis agit poenitentiam? An oblitus es quod idem ipse doctor ait, 'Ne forte det illis Deus poenitentiam ad cognoscendam veritatem; et resipiscant a diaboli laqueis' (II Tim. ii, 25 et 26)?" (M.L. 44, 791.)

Epist. 186, 1, 5 (Ad Paulinum): "Ille qui putavit sine ipsius adjutorio se posse custodire quod dedit, profectus in longinquam regionem, et vivens prodige, cuncta consumpsit, et miseria durae servitutis

attritus, reversusque in semetipsum dixit, 'Surgam, et ibo ad patrem meum' (Luc. xv, 12–18): quam *cogitationem bonam* quando haberet, nisi et ipsam illi in occulto pater misericordissimus inspirasset? Quod intelligens minister ille Novi Testamenti, 'Non quia idonei sumus', inquit, 'cogitare aliquid a nobis quasi ex nobismetipsis; sed sufficientia nostra ex Deo est' " (M.L. 33, 817 sq.).

Ibid., 9, 33: "Fateatur secundum gratiam et misericordiam Dei veniam poenitentibus dari, non secundum merita eorum; quandoquidem *etiam ipsam poenitentiam donum Dei* dixit Apostolus, ubi ait de quibusdam: 'Ne forte det illis Deus poenitentiam' (II Tim. ii, 25)" (M.L. 33, 829).

Liber De Gratia Christi, c. 44 sq., n. 48 sq.: "Audiat ergo illum venerabilem antistitem [S. Ambrosium] dicentem et docentem in secundo libro Expositionis Evangelii secundum Lucam (Lib. 2, n. 84, ad Luc. iii, 22), cooperari Dominum etiam voluntatibus nostris. 'Vides itaque,' inquit, 'quia ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis; ut nemo possit aedificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quidquam incipere sine Domino. Et ideo juxta Apostolum, Sive manducatis, sive bibitis, omnia in Dei gloriam facite' (I Cor. x, 31). Videtis quemadmodum sanctus Ambrosius etiam illud quod solent homines dicere, Nos incipimus, et Deus perficit, his verbis abstulit, dicens, 'Neminem quidquam vel incipere sine Deo.' Item in sexto libro ejusdem operis, cum de duobus illis feneratoris unius debitoribus ageret: 'Secundum homines,' inquit, 'plus fortasse offendit, qui plus debuerat: sed per misericordiam Domini causa mutatur, ut amplius diligat, qui amplius debuit, si tamen gratiam consequatur' (Lib. 6, n. 25, ad Luc. vii, 41). Ecce apertissime praedicat catholicus doctor etiam *ipsam dilectionem*, qua quisque amplius diligit, ad beneficium gratiae pertinere. *Ipsam denique poenitentiam*, quam procul dubio voluntas agit, Domini misericordia et adjutorio fieri ut agatur, in nono ejusdem operis libro beatus dicit Ambrosius, ita loquens: 'Bonae lacrymae, quae culpam lavant. Denique quos Jesus respicit, plorant. Negavit primo Petrus, et *non flevit, quia non respexerat Dominus:* negavit secundo, non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus: negavit et tertio, respexit Jesus, et ille amarissime flevit' (Lib. 10, n. 89, ad Luc. xxii, 61)" (M.L. 44, 381 sq.).

Liber De Praedestinatione sanctorum, 2, 3–6: "Prius itaque fidem qua christiani sumus, donum Dei esse debemus ostendere. . . Eis respondendum esse video, qui divina testimonia, quae de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed *incrementum ejus ex Deo:* tanquam fides non

ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tantum augeatur in nobis, eo merito, quo coepit a nobis. Non ergo receditur ab ea sententia, quam *Pelagius ipse* in episcopali judicio Palaestino, sicut eadem Gesta testantur, damnare compulsus est, 'Gratiam Dei secundum merita nostra dari:' si non pertinet ad Dei gratiam quod credere coepimus, sed illud potius quod propter hoc nobis additur, ut plenius perfectiusque credamus: ac per hoc, initium fidei nostrae priores damus Deo, ut retribuatur nobis et supplementum ejus; et si quid aliud fideliter poscimus.

"Sed contra haec cur non potius audimus: 'Quis prior dedit ei, et retribuetur illi? quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia' (Rom. xi, 35, 36)? Et ipsum igitur initium fidei nostrae, ex quo, nisi ex ipso est? . . . Quis autem dicat eum qui jam coepit credere, ab illo in quem credidit nihil mereri? Unde fit ut jam merenti caetera dicantur addi retributione divina; ac per hoc gratiam Dei secundum merita nostra dari: quod objectum sibi Pelagius, ne damnaretur, ipse damnavit. . .

"Commendans [Apostolus] istam gratiam, quae non datur secundum aliqua merita, sed efficit omnia bona merita: 'Non quia idonei sumus', inquit, 'cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est' (II Cor. iii, 5). Attendant hic, et verba ista perpendant, qui putant ex nobis esse fidei coeptum, et ex Deo esse fidei supplementum. Quis enim non videat, prius esse cogitare quam credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitaverit esse credendum. . . Quod ergo pertinet ad religionem atque pietatem (de qua loquebatur Apostolus), si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est; profecto non sumus idonei credere aliquid quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione non possumus, sed sufficientia nostra qua credere incipiamus, ex Deo est. Quocirca, sicut nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiendum quodcumque opus bonum . . . ; ita nemo sibi sufficit vel ad incipiendam vel ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est: quoniam fides si non cogitetur, nulla est; et non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est. . .

"Cur autem non totum tribuatur homini, ut qui sibi potuit instituere quod non habebat, ipse quod instituit augeat, omnino non video: nisi quia resisti non potest divinis manifestissimis testimoniis, quibus et fides, unde pietatis exordium sumitur, donum Dei esse monstratur; quale est illud, quod 'unicuique Deus partitus est mensuram fidei' (Id. xii, 3); et illud, 'Pax fratribus et charitas cum fide a Deo Patre et Domino Jesu Christo' (Ephes. vi, 23); et caetera

talia. Nolens ergo his tam claris testimoniis repugnare, et tamen volens a se ipso sibi esse quod credit, *quasi componit homo cum Deo; ut partem fidei sibi vindicet, atque illi partem relinquat:* et quod est elatius, primam tollit ipse, sequentem dat illi; et in eo quod dicit esse amborum, priorem se facit, posteriorem Deum" (M.L. 44, 961–964).

Contra duas epistulas Pelagianorum, 2, 8, 17 sq.: "Nunc illud est quod debemus advertere, *utrum invito et reluctanti homini Deus inspiret boni cupiditatem, ut jam non sit reluctans, non sit invitus, sed consentiens bono, et volens bonum.* Isti enim [i.e. Pelagiani] volunt, in homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni, ut hujus coepti meritum etiam perficiendi gratia consequatur. . . Hoc [autem] . . . nobis objiciendum putarunt, quod 'invito et reluctanti homini Deum dicamus inspirare,' non quanticumque boni, sed et ipsius imperfecti cupiditatem. Fortassis ergo ipsi eo modo saltem servant locum gratiae, ut sine illa putent hominem posse habere boni, sed imperfecti cupiditatem; perfecti autem . . . nisi per illam omnino non posse.

"Verum et sic gratiam Dei dicunt secundum merita nostra dari: quod in Oriente Pelagius ecclesiasticis Gestis damnari timendo damnavit. Si enim sine Dei gratia per nos incipit cupiditas boni; ipsum coeptum erit meritum, cui tanquam ex debito gratiae veniat adjutorium. . . Dominus autem ut responderet . . . istis [i.e. Pelagianis] . . . non ait, 'Sine me nihil potestis' perficere; sed, 'facere'. Nam si Perficere dixisset, possent isti dicere, non ad incipiendum bonum, quod a nobis est; sed ad perficiendum, esse Dei adjutorium necessarium. Verum audiant et Apostolum. Dominus enim cum ait, 'Sine me nihil potestis facere'; hoc uno verbo initium finemque comprehendit. Apostolus vero, tanquam sententiae dominicae expositor, apertius utrumque distinxit, dicens: 'Quoniam qui in vobis opus bonum coepit, perficiet usque in diem Christi Jesu' (Philipp. i, 6). Sed in Scripturis sanctis apud eumdem apostolum, isto unde loquimur, amplius invenimus. Loquimur enim nunc de boni cupiditate, quam si volunt a nobis incipere, a Domino perfici, videant quid respondeant dicenti Apostolo: 'Non quia idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est' (II Cor. iii, 5). 'Cogitare', ait, 'aliquid', utique bonum: minus est autem cogitare quam cupere. . . Cum igitur minus sit cogitare quam cupere . . . quomodo ad id quod minus est, id est, ad cogitandum aliquid boni non sumus idonei tanquam ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est; et ad id quod est amplius, id est, ad cupiendum aliquid boni sine divino adjutorio idonei sumus ex libero arbitrio? Neque enim et hic Apostolus ait, 'Non quia idonei sumus cogitare' quod perfectum est, tanquam ex nobismetipsis: sed 'cogitare', ait, 'aliquid'; cui contrarium est nihil.

Unde est illud Domini: 'Sine me nihil potestis facere' " (M.L. 44, 583 sq.).

Ex his videtur non minus leviter quam confidenter a praedictorum documentorum pondere *Molina* sese expedire, cum scribit: "In toto *Concilio Tridentino,* in quo tam late, accurate ac dilucide omnia, quae ad justificationem spectant, explicata ac definita sunt, neque vestigium reperitur, quod cum exposita scholasticorum sententia, vel primo aspectu, pugnare videatur: cum tamen multa sint, quae illi faveant, ac suffragentur. Certe si quae tota hac disputatione dicta sunt, ut par est, expendantur, nescio quis in posterum dicere audeat, dum in *Concilio Arausicano,* aut in quovis alio antiquo definitum legitur, neminem posse credere, sperare, diligere, paenitere, petere, aut cogitare absque gratia et speciali auxilio Dei, intelligendum id esse, etiam quoad solam actus substantiam, et non potius, ut ad justificationem, et ad salutem est necessarium; aut quis in posterum dicere audeat, complurium scholasticorum sententiam de numero esse errorum Pelagii."[81]

SECUNDO, juxta fidem homini lapso nulla pars competit, secundum vires ejus naturales, in sua praeparatione ad justificationem, ut patet ex Tridentino, Arausicano, Augustino, Apostolo, emphatice asseverantibus Deum in nobis opus bonum incipere et perficere.

Jamvero, si homo absque auxilio gratiae posset elicere efficacem actum poenitentiae, ei competeret saltem initium praeparationis ad justificationem. Quis enim dicet illum actum, quo homo avertitur a peccato cum dolore et proposito non peccandi de cetero et se convertit ad Deum per amorem Dei super omnia saltem ut est finis naturalis, nullam esse praeparationem ad justificationem, seu ad hoc ut homo benevole aspiciatur a Deo et ad donum gratiae paulatim manuducatur? Quid enim amplius posset homo facere ex suis viribus ut placeat Deo? An Deus ab homine in amore vincetur?

Augustinus in duobus ultimis locis nuper citatis ait ipsum imperfectum desiderium boni seu conversionis, imo ipsum anteriorem actum quo cogitatur de conversione, imo quo cogitatur de fide amplectenda, esse initium justificationis, quod soli gratiae tribuendum sit; quanto magis ergo idem dicendum est de actu illo efficaci quo quis absolute statuit de cetero non peccare et ad Deum, quem novit etiam ut finem supernaturalem, convertitur quomodolibet, amore super omnia? Revera non apparet quae deprehendi possit concordantia inter binas has affirmationes *Augustini et Molinae:* "Quod pertinet ad religionem non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis" — "Est in

[81] Concordia, disp. 15, circa finem, Parisiis, 1876, p. 84.

facultate liberi arbitrii rebus propositis assentiri tanquam a Deo revelatis, actu tamen qui sit mere naturalis nec sit satis ad justificationem".

Praeterea, juxta Conc. Trid. (sess. 14, cap. 4 et 5), actus attritionis est vera praeparatio ad gratiam. Jamvero actus efficax poenitentiae, qualis describitur a Molina, nihil differt ab actu attritionis qualis describitur a Conc. Trid., ut constat ex nuper dictis (p. 415 sq.). Ergo si homo posset illum actum elicere ex propriis viribus, posset se praeparare ad gratiam.

TERTIO, juxta fidem ipsum opus justificationis et peculiariter actus contritionis justificantis est totaliter opus gratiae (Conc. Trid., sess. 6, can. 1; Conc. Araus., can. 6. 7. 9. 16. 18. 20. 22. 23. 25). Jamvero in hypothesi adversariorum, tum Molinae tum ac explicitius Cajetani (juxta quam nempe homo eliceret ipsum actum contritionis qui postea, idem manens quoad suam substantiam et entitatem, informaretur a charitate et fieret salutaris ac justificativus), in opere justificationis, seu in hoc charitatis actu justificativo, pars esset tribuenda Deo, scilicet proprietas justificativa, et pars homini, scilicet entitas seu substantia actus, haec enim duo concurrunt ad efformandum ipsum unum eundemque actum qui est justificativus. Et hanc quidem rationem urget Augustinus in duobus ultimis locis supra citatis.

QUARTO, juxta fidem actus attritionis praeparantis ad justificationem et actus contritionis justificantis sunt essentialiter supernaturales (Conc. Trid., sess. 14, cap. 4 et can. 5; Conc. Araus., can. 25). Jamvero in sententia adversariorum illi actus tales non essent, quia ipsa eorum entitas et substantia non esset supernaturalis, cum actus qui elicitus fuit per vires naturales antequam assumeretur a Deo per auxilium gratiae vel per charitatem, maneat idem quoad substantiam et pergat exercere eundem physicum influxum qui antea exercebatur.

Probatur 2. *EX RATIONE S. THOMAE, I.E. EX STATU AVERSIONIS A FINE ULTIMO.*

Homo lapsus est formaliter aversus a fine ultimo, et quidem, saltem in praesenti statu naturae elevatae, est aversus a fine ultimo tam naturali quam supernaturali. Ergo ipse nequit elicere efficacem actum poenitentiae, seu contritionem aut attritionem, qua convertatur ad Deum per talem aversionem a peccato quae importet absolutum dolorem et propositum non peccandi.

Consequentia probatur tripliciter:

PRIMO. Homo, quia est aversus a Deo ut ab ultimo fine et con-

versus ad bonum commutabile ut ad ultimum finem, est *absolute aversus* a Deo et absolute conversus ad bonum commutabile, et ita quidem ut haec absoluta aversio et conversio sit quaedam dispositio et forma voluntatis. Jamvero operatio sequitur esse et procedit a forma, ita ut unumquodque taliter agat qualiter est. Ergo homo aversus a Deo ut ab ultimo fine nequit ex propriis viribus et absque auxilio gratiae talem elicere actum qui sit discordans a praedicta absoluta dispositione, qualis esset actus amoris Dei super omnia, seu absolutae conversionis ad Deum, et actus efficax poenitentiae, seu absolutae aversionis a bono commutabili, quamvis possit elicere utrumque actum imperfectum non absoluti amoris Dei et non absolutae poenitentiae de peccato.

Nec vis argumenti infirmatur ex hoc quod homo dum est in opposita dispositione, seu conversus ad Deum ut ad finem ultimum, possit ponere actum aversionis a Deo seu peccare. Nam peccatum est defectus non effectus, seu provenit ex deficientia non ex efficientia, nec proinde appellat causam et formam unde fluat, sed contingit ex hoc quod ex forma quam voluntas habet non fluit operatio quae fluere deberet.

Ad rem *S. Thomas, C. Gent. 3, 158:* "Per peccatum . . . mortale homo ab ultimo fine avertitur. In ultimum autem finem homo non ordinatur nisi per gratiam. Per solam igitur gratiam homo potest a peccato resurgere." Ibid., *3, 161:* "Quum . . . mens hominis a statu rectitudinis declinaverit, manifestum est quod recessit ab ordine debiti finis. Illud igitur quod deberet esse in affectu praecipuum tamquam ultimus finis, efficitur minus dilectum illo ad quod mens inordinate conversa est sicut in ultimum finem. Quandocumque igitur occurrerit aliquid conveniens inordinato fini, repugnans fini debito, eligetur, nisi reducatur ad debitum ordinem, ut finem debitum omnibus praeferat, quod est gratiae effectus. . . Quum mens inclinata fuerit ad aliquid [puta ab bonum commutabile], non se jam habet aequaliter ad utrumque oppositorum [puta ad Deum et ad bonum commutabile], sed magis ad illud ad quod est inclinata."

SECUNDO. Ex hoc quod est aversus a fine ultimo, homo caret intentione finis ultimi; unde non habet in se principium ex quo moveatur ad electionem hujus medii ad illum finem quod est aversio a peccato per efficacem actum poenitentiae. Causa enim intentionaliter influens in electionem est ipse finis, sicut causa efficienter influens in conclusiones sunt principia, juxta illud philosophorum "Sic se habet finis in operabilibus, sicut principia in speculabilibus". Unde sicut qui caret intellectione principiorum nequit conclusionibus assentiri, ita

qui caret ordinatione ad finem ultimum nequit aliquod medium eligere quod ad illum essentialiter ordinetur, qualis est actus efficax poenitentiae.

TERTIO. Cum ordo agentium correspondeat ordini finium (omne quippe agens agit propter finem) et ultimus finis sit proprius primi agentis, solum primum agens seu Deus movet hominem ad ultimum finem et ideo ipse solus potest hominem convertere seu reducere ad ultimum finem.

Cum autem homo per peccatum est aversus ab ultimo fine, motio Dei moventis ipsum ad ultimum finem non est ei debita, sed excedit conditionem sui status, praecise propter talem aversionem ab ultimo fine, ratione cujus separatur etiam ab influxu primi agentis, nam finis et agens, ac finis ultimus et primum agens, indivisim existunt et influunt, nec potest a primo agente impelli qui a fine ultimo non attrahitur.

Unde, stante solo concursu generali primi agentis a quo homo separari non potest sicut nequit divelli a generali ratione finis ultimi, voluntas humana aversa a fine ultimo in ordine moralitatis, non potest ad illum efficaci poenitentia converti nisi per gratuitum auxilium gratiae, quo Deus sese proponat voluntati ut finis et eam impellat ut agens, vel quo Deus ut primum agens speciali actione impellat voluntatem ut se reconvertat ad seipsum ut finem ultimum.

Ad rem *S. Thomas, 1–2, q. 109, a. 6:* "Necesse est . . . , cum omne agens agat propter finem, quod omnis causa convertat suos effectus ad suum finem; et ideo, cum secundum ordinem agentium sive moventium sit ordo finium, necesse est quod ad ultimum finem convertatur homo per motionem primi moventis, ad finem autem proximum per motionem alicujus inferiorum moventium; sicut animus militis convertitur ad quaerendum victoriam ex motione ducis exercitus, ad sequendum autem vexillum alicujus aciei ex motione tribuni. Sic igitur cum Deus sit primum movens simpliciter, ex ejus motione est quod omnia in ipsum convertantur secundum communem intentionem boni, per quam unumquodque intendit assimilari Deo secundum suum modum. Unde Dionysius [De div. nom., c. 4, l. 11] dicit quod 'Deus convertit omnia ad seipsum.' Sed homines justos convertit ad seipsum sicut ad specialem finem, quem intendunt, et cui cupiunt adhaerere sicut bono proprio, secundum illud Ps. lxxii, vers. 27: 'Mihi adhaerere Deo bonum est'; et ideo quod homo convertatur ad Deum, hoc non potest esse nisi Deo ipsum convertente."

DICES 1. Ex his sequitur tantum quod homo indigeat speciali aliquo auxilio Dei, non vero quod indigeat ipso supernaturali auxilio

gratiae, cum sufficiat auxilium naturale ut homo avertatur a peccato et convertatur ad Deum, saltem ut ad finem ultimum naturalem.

RESP. Necessitas specialis auxilii, saltem naturalis, sufficit ad evertendam sententiam Molinae, qui contentus est solo generali concursu divino. Attamen, praeterea necessitas ipsius auxilii supernaturalis ad hoc ut homo sese convertat ad ipsum finem ultimum naturalem, sequitur ex eo quod homo nequit ad hunc finem absolute sese convertere quin se convertat simul ad finem supernaturalem, ob indirectam utriusque ordinis dependentiam et unius ad alterum subordinationem. Nam, ut dictum est in fine Concl. praec., supposita fidei illustratione de elevatione hominis ad finem supernaturalem, ipsa ratio naturalis, eo ipso quod dictat conversionem et poenitentiam relate ad finem ultimum naturalem, indirecte eandem dictat relate ad finem supernaturalem, cum idem Deus sit uterque finis; unde non adesset efficax poenitentia de peccato nec absoluta conversio ad Deum, etiam ut finem ultimum naturalem, ubi non esset poenitentia et conversio etiam in ordinem ad finem ultimum supernaturalem, quia non haberetur aversio a peccato simpliciter et sub omni ratione, nec amor Dei super omnia et sub omni respectu.

Praeterea, necessitatis auxilii supernaturalis ad actum efficacem poenitentiae assignari potest universalior ratio, quae valeat etiam de homine lapso in possibili statu naturae purae, dicendo nempe cum quibusdam thomistis[82] quod in omni casu et statu homo nequit efficaciter poenitere de peccato absque supernaturali auxilio gratiae (actualis quidem quoad attritionem, sanctificantis vero quoad contritionem), quia omne peccatum mortale, etiam in eo qui non sit elevatus ad ordinem supernaturalem aut illum non cognoscat, est absoluta aversio a Deo simpliciter et secundum seipsum, adeoque importat aversionem a Deo secundum utrumque ordinem naturalem et supernaturalem, quae proinde ob suum respectum, saltem implicitum, ad ordinem supernaturalem, nequit reparari nisi per auxilium supernaturale.

INSTES. Ad ponendum actum amoris Dei ut finis naturalis homo non indiget supernaturali auxilio gratiae, sed sufficit ei auxilium naturale. Ergo a pari nec indiget gratia ad ponendum actum attritionis vel contritionis de peccato ut est contra finem ultimum in ordine naturali.

RESP. *Dist. antec.:* Id verum est de homine qui non sit in statu peccati, *transeat;* de homine peccatore, *subdist.:* in ordine naturae purae, *transeat;* in ordine naturae elevatae, *nego*. *Pariter dist. cons.*

[82] Cf. ipsum *S. Thomam*, De Veritate, q. 28, a. 2, ad 5.

Ratio restrictionis, appositae per vocem "*transeat*" est quia duplex in tractatu De Gratia proponitur sententia circa possibilitatem eliciendi actum amoris Dei absque auxilio gratiae.

Quidam enim docent hominem non posse hunc actum elicere absque auxilio gratiae sive in ordine naturae elevatae sive etiam in ordine naturae purae, et quoad hoc esse paritatem inter actum amoris et actum poenitentiae.

Alii distinguentes dicunt quod, abstrahendo a statu peccati, homo ex naturalibus viribus cum solo concursu generali potest elicere talem actum amoris, adeoque tum in ordine naturae purae tum in ordine naturae elevatae, si non sit in peccato, homo elicit talem actum ex solis viribus naturae ita ut in praesenti ordine elevationis id fiat cum gratia non vero ex gratia; in statu autem peccati, ob ipsum impedimentum aversionis a fine ultimo, haec potentia est ligata ita ut de facto non possit illum actum elicere et sit potentia tantum antecedens, non vero proxima; per speciale autem auxilium Dei (quod juxta quosdam est supernaturale auxilium gratiae tum in ordine elevationis tum in ordine naturae purae, juxta alios vero tantum in praesenti ordine elevationis) aufertur impedimentum aversionis a Deo et potentia fit proxime expedita ad amorem eliciendum illumque elicit ex propriis viribus naturae cum solo concursu generali. Ad actum vero contritionis vel attritionis emittendum, in nullo ordine vel casu homo habet potentiam naturalem, utut antecedentem aut ligatam, sed illum nequit elicere nisi ex praedicto speciali auxilio divino, eo quod importet essentialiter ordinem ad peccatum seu consistat in avertendo a peccato et convertendo ad Deum, nec potest homo aversus a Deo se convertere ad Deum ex viribus naturae, ut supra probatum est; unde praedictum auxilium divinum hic intervenit non mere ut removens prohibens relate ad potentiam ligatam, sed ut jugiter influens, imo ut dans quodammodo ipsam potentiam agendi, ut dicetur in Concl. seq.

In utraque autem responsione stat quod tum actus amoris, tum actus attritionis vel contritionis, non possit de facto in praesenti ordine elevationis elici ab homine peccatore ex viribus naturae, sive cum solo concursu generali sive etiam cum speciali auxilio naturali, sed indiget supernaturali gratiae auxilio.

DICES 2 CUM MOLINA. *S. THOMAS, In 4 Sent., dist. 17, q. 2, a. 1, q. 1, ad 6*, docet efficacem actum Poenitentiae posse elici quantum ad substantiam actus absque auxilio gratiae: "Contritio est a Deo solo quantum ad formam qua informatur sed quantum ad substantiam actus est ex libero arbitrio, et a Deo, qui operatur in omnibus operibus et naturae et voluntatis."

"Luce clarius est manifestum, D. Thomam eo loco cum commune aliorum doctorum sententia consentire. Nec tertia parte quicquam scripsit, quod huic doctrinae refragetur." Ita Molina, Concordia, Disp. 14, membr. 1, Parisiis, 1876, p. 62, ubi, ad illuminandum sensum illius loci, sequentes etiam textus obicit, excerptos praecipue ex eadem quaestione secunda dist. 17 super 4 Sent.:

A. 1, q. 3, solutio: "Antequam gratia infundatur, non est habitus, a quo actus contritionis postea elicitur; et sic nullo modo attritio potest fieri contritio". Ex quibus verbis, sicut etiam ex responsione ad difficultates, patet mentem S. Doctoris esse quod ante infusionem habitus gratiae sanctificantis attritio seu efficax actus poenitentiae est actus naturalis et nonnisi ex gratiae infusione habetur quod actus poenitentiae sit supernaturalis, cum nempe a gratia et charitate procedit sub forma contritionis.

Ibid., Sed contra, Praeterea: "Naturalia non fiunt gratuita secundum communiorem opinionem. Sed naturale dicitur quod est ante gratiam; et sic attritio inter naturalia computabitur. Ergo non potest fieri contritio, cum sit gratuitum bonum." Ex quo patet pro S. Doctore actum poenitentiae, praecedentem infusionem gratiae, esse actum naturalem.

A. 2, q. 6: "Contritio potest dupliciter considerari; scilicet quantum ad sui principium, et quantum ad terminum. Et dico principium contritionis cogitationem qua quis cogitat de peccato et dolet, etsi non dolore contritionis, saltem dolore attritionis; terminus autem contritionis est, quando dolor ille jam gratia informatur."

Addi potest, in favorem ejusdem sententiae, *In 2 Sent., dist. 5, q. 2, a. 1:* "Ad eliciendum actum conversionis sufficit liberum arbitrium quod se ad habendam gratiam per hunc actum praeparat et disponit; sed efficacia conversionis ad meritum non potest esse nisi per gratiam; unde unus et idem motus est in quo gratia infunditur, qui est dispositio ad gratiam secundum quod exit a libero arbitrio, et meritorius, secundum quod gratia informatur".

RESP. Quae sit mens et doctrina S. Thomae manifeste apparet ex ipsis textibus citatis in probatione hujus Conclusionis. Vanum autem est commentum Molinae circa textus adductos ex Comm. super Sententias.

Ad primum et praecipuum textum dicimus S. Thomam tantummodo docere quod in contritione duo sunt consideranda, i.e. informatio charitatis et ipsa substantia actus, quorum primum est a solo Deo, secundum est non solum a Deo sed etiam a libero arbitrio, a quo actus ille procedit; facta autem hac distinctione, respondet obicienti

(seu quaerenti quomodo contritio definiri possit "Dolor pro peccatis libere assumptus" cum tamen sit donum Dei) quod contritio dicitur dolor assumptus seu libere positus non qua parte importat informationem charitatis, cum ita sit purum donum Dei seu a solo Deo efficiatur, sed qua parte importat ipsum vitalem actum doloris, cum ita efficiatur non tantum a Deo sed etiam a voluntate, illum eligente et eliciente. Non ergo docet S. Thomas contritionem quoad ipsam substantiam actus posse esse actum naturalem seu elici a sola voluntate sine auxilio gratiae, quinimmo ait illum esse etiam a Deo, nec a Deo ut concurrente concursu generali, sed "a Deo, qui operatur in omnibus operibus et naturae et voluntatis", i.e. qui operatur per diversum influxum requisitum a diversis operibus naturae et voluntatis, inter quae sunt opera supernaturalia quae auxilium gratiae expostulant. Ceterum in eodem articulo, quaestiunculis 2 et 3, S. Doctor continuo docet vel supponit contritionem procedere a gratia jam infusa, adeoque esse supernaturalem.

Ad secundum textum dicimus S. Doctorem tantummodo docere quod contritio non elicitur nisi ab habitu infuso gratiae (et quod proinde ex hoc tantum poenitentia obtinet rationem virtutis formatae), non vero quod omnis efficax actus poenitentiae obtinet suam rationem supernaturalem ex habitu infuso gratiae, ita quod omnis actus praecedens infusionem gratiae sit actus mere naturalis. S. Thomas ibi vult demonstrare quod attritio non potest evadere contritio; id autem inducit non ex hoc quod contritio sit supernaturalis, attritio vero naturalis, et naturale nequeat fieri supernaturale, sed ex hoc quod contritio, secus ac attritio, supponat infusionem gratiae, seu habeat diversum principium ab attritione, et quae habent diversa principia non possint unum in alterum transire; in argumento enim Sed contra ait: "Quorum principia sunt diversa omnino, eorum non potest fieri unum id quod est alterum. Sed attritionis principium est timor servilis, contritionis autem timor initialis. Ergo attritio non potest fieri contritio."

Ad tertium textum dicimus quod in verbis "Naturale dicitur quod est ante gratiam" agitur de gratia generaliter accepta, et non tantum de gratia sanctificante, et ita verum est omnem actum qui gratiam praecedit esse naturalem. Nec ex hoc quod S. Doctor dicat attritionem inter naturalia computari, sequitur eum non loqui de gratia in genere sed sanctificante; id enim tantum sequeretur si omnis attritio esset supernaturalis seu dependens a gratia actuali, quod verum non est nec docetur a S. Thoma, cum ipse agnoscat tum attritionem naturalem (quamvis haec non sit stricte dicta attritio, ut dicetur in art. 23),

nam docet actum poenitentiae esse de jure naturali ut vidimus in Concl. praec., tum attritionem supernaturalem, nam talem reputat attritionem conceptam ex timore servili (cf. 3 p., q. 85, a. 5, ad 3). Ex quo explicari potest processus S. Doctoris et nexus inter duo argumenta Sed contra, quibus intendit probare attritionem non posse evadere contritionem; cum enim duplex detur attritio, alia naturalis et alia supernaturalis, in primo argumento ostendit attritionem supernaturalem non posse fieri contritionem eo quod, etsi supernaturalis, habeat diversum principium a contritione, scilicet gratiam non habitualem sed tantum actualem, in secundo vero ostendit a fortiori attritionem naturalem non posse evadere contritionem, praecise quia est naturalis et antecedit omnem gratiam, etiam actualem, dum contritio est supernaturalis, imo sequitur ex gratia sanctificante.

Ad quartum textum patet S. Doctorem solum dicere quod attritio praecedit formam gratiae seu gratiam sanctificantem; ex quo male infertur eam attritionem, etiam si sit efficax, esse actum naturalem seu elicitum absque auxilio gratiae actualis. Ceterum ipsa contritio, quae elicitur post infusionem gratiae, praecedit hanc ipsam infusionem in ratione proximae dispositionis ad eam.

Ad quintum textum dicendum quod, ut patet ex contextu illius loci, S. Doctor unice intendit refellere opinionem quorumdam qui dicebant Deum operari hominis conversionem infundendo duplicem gratiam, alteram gratis datam qua eliceretur actus secundum substantiam, alteram gratum facientem, qua actus redderetur meritorius. Docet ergo talem gratiam gratis datam reiciendam esse quia ad eliciendum actum secundum suam substantiam sufficit liberum arbitrium, sed non dicit liberum arbitrium per se solum et sine ipso auxilio alterius gratiae sanctificantis elicere actum, quod esset purus pelagianismus, imo contrarium supponit ex alibi disputatis de modo justificationis et innuit in ipso textu objecto cum ait unum et eundem motum (adeoque substantiam motus) procedere a libero arbitrio, inquantum est dispositio ad gratiam, et dependere ab ipsa gratia, inquantum est meritorius.

Conclusio 3. Poenitentia est virtus essentialiter supernaturalis et infusa, non vero quaedam virtus naturalis et acquisita operans sub influxu supernaturalium virtutum theologicarum (q. 85, a. 5; 1–2, q. 51, a. 4; q. 63, a. 2).

Probatur 1. EX CONC. TRIDENTINO.

Juxta Conc. Trid. actus poenitentiae est non minus supernaturalis quam actus fidei, spei et charitatis; absque ulla enim illorum actuum

distinctione aut discretione definit in can. 3, sess. 6: "Si quis dixerit, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque eius adiutorio hominem credere, sperare et diligere aut poenitere posse, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur: A.S." (Denz. 813). Praeterea, absque ulla distinctione, actus tum fidei, spei et charitatis, tum poenitentiae, Concilium refert ad idem principium, i.e. ad inspirationem et adjutorium Dei.

Atqui actus fidei, spei et charitatis procedunt a principio divino tanquam ab infundente habitus supernaturales, ut conceditur ab ipsis adversariis, et docetur aequivalenter ab eodem Concilio, in eadem sessione, cap. 7: "In . . . iustificatione . . . 'per Spiritum Sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus' [Rom 5, 5] . . . atque . . . inhaeret. Unde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul infusa accipit homo . . . : fidem, spem et caritatem" (Denz. 800).

Ergo, juxta mentem Concilii, etiam actus poenitentiae procedit ab habitu supernaturali et infuso.

Nec proinde refert quod in hoc ultimo textu non fiat mentio ipsius poenitentiae, tum quia in praecedenti textu actus poenitentiae adnumeratur actibus fidei, spei et charitatis et refertur ad idem principium, tum quia in can. 11, ubi doctrina cap. 7 repetitur sub forma definitionis, ipsius fidei et spei mentio omittitur et sola charitas memoratur, tum quia de cetero in sess. 14, cap. 4, Concilium, agens de contritione, aequivalenter asserit hanc procedere a Spiritu S. ut inhabitante (adeoque ut infundente habitum), dum, distinguens inter contritionem et attritionem, dicit hanc esse impulsum Spiritus S. quamvis nondum inhabitantis.

Contra vim hujus argumenti *opponit Vasquez* (In q. 85, a. 5) in favorem sententiae adversariorum:

1. Ex hoc quod Concilium dicit actum poenitentiae poni non posse nisi sub auxilio Dei, non sequitur hoc auxilium esse supernaturale quoad substantiam; nam potest concipi ut auxilium divinum naturale, necessarium ad eliciendum actum naturalem poenitentiae, quod, quia indebitum, dicitur gratia et donum supernaturale.

2. Ceterum, etiam posito quod tale auxilium sit supernaturale quoad substantiam, inde non sequitur quod etiam actus poenitentiae, qui sub eo elicitur, sit supernaturalis quoad substantiam, quemadmodum ex hoc quod homo lapsus indigeat auxilio supernaturali ad eliciendum naturalem actum amoris Dei super omnia, non sequitur hunc etiam actum amoris esse supernaturalem.

3. Tandem, etiam si actus poenitentiae dicatur supernaturalis, inde non sequitur habitum seu virtutem poenitentiae esse supernaturalem; nam potest dici illum actum esse supernaturalem quatenus

est sub directione virtutum theologicarum et praecipue prout imperatur a charitate.

Respondetur.

1. Concilium requirit ad actum poenitentiae idem auxilium quod requirit ad ipsos actus fidei, spei et charitatis, adeoque auxilium essentialiter supernaturale; nec de alio auxilio, quam de essentialiter supernaturali, manifeste loquitur Concilium in cap. 5, ejusdem sessionis, cum ait "exordium iustificationis [esse ex] . . . praeveniente gratia".

2. Ad id quod obicitur ex necessitate gratiae ad actum naturalem amoris Dei, negatur suppositum, et consequenter paritas cum actu poenitentiae; nam ille actus exigit gratiam non directe ad hoc ut eliciatur, sed tantum praesuppositive, i.e. ad hoc ut auferatur obex peccati, quo ablato, actus ille amoris Dei elicitur ab ipsa potentia naturali; e converso, juxta Concilium, actus poenitentiae exigit gratiam ut principium elicitivum, quia eam exigit non aliter ac ipsi actus fidei, spei et charitatis.

3. Concilium non dicit actum poenitentiae esse supernaturalem ex directione virtutum theologicarum aut ex imperio charitatis, sed ipsum elici sub auxilio Dei non aliter ac eliciuntur ipsi actus fidei, spei et charitatis; unde directe ex auxilio Dei, et non ex consortio virtutum theologicarum, habet ille actus ut sit supernaturalis. Ceterum, imperium charitatis non valet mutare naturam actus poenitentiae, aut facere ut ipse sit supernaturalis in ratione poenitentiae; nam imperium unius virtutis in alteram non respicit nec influit in ipsam attingentiam proprii objecti virtutis subordinatae, haec enim est illi propria et inalienabilis, sed tantum facit ut virtus subordinata attingat, ratione imperii, finem superiorem qui est proprium objectum virtutis imperantis.

Probatur 2. *EX IPSO OBJECTO SEU ACTU VIRTUTIS POENITENTIAE.*

Specificus actus virtutis poenitentiae, seu contritio, est essentialiter supernaturalis. Ergo et ipsa virtus quae ab objecto speciem assumit.

Per transennam advertas hic sermonem esse de sola contritione ut distincta tum ab attritione, tum generice ab actu efficaci poenitentiae, non quia haec non sint supernaturalia aut non sint vera poenitentia sicut contritio (immo contrarium ostendit utraque ratio mox afferenda), sed quia sola contritio est actus poenitentiae ut virtutis.

Antecedens autem probatur dupliciter:

Primo, ex ipso ordine ad justificationem.

Nam, juxta fidem, contritio, imo et attritio, disponit ad supernaturalem justificationem, et quidem contritio disponit proxime, attritio vero remote. Atqui omnis dispositio est ejusdem ordinis ac forma ad quam disponit, cum ad illam essentialiter ordinetur, imo est etiam ejusdem speciei si sit proxima et stricte dicta dispositio. Ergo, contritio, necnon attritio, est actus essentialiter supernaturalis, imo contritio est etiam ejusdem speciei ac justificatio, seu est sanctificativa.

Secundo, ex ipsa substantia actus.

Nullus enim datur, saltem in statu elevationis, actus efficax poenitentiae qui non sit essentialiter supernaturalis, sive si sit attritio sive a fortiori si sit contritio. Nam, ut notavimus in Concl. praec., omne peccatum importat absolutam aversionem a Deo, adeoque, supposita saltem elevatione ad ordinem supernaturalem, importat aversionem a Deo tam ut fine naturali quam ut supernaturali; unde omnis actus efficax poenitentiae, qui sit nempe aversio a peccato simpliciter et absolute, debet importare aversionem a peccato prout opponitur Deo sub utroque aspectu et conversionem ad Deum ut finem in utroque ordine, quod quidem nequit fieri nisi per actum qui sit essentialiter supernaturalis.

Diximus "saltem in statu elevationis" quia cum quibusdam thomistis dici potest etiam in ordine naturae purae, adeoque absolute, peccatum implicite avertere a Deo, etiam prout est in ordine supernaturali, eo quod avertat a Deo simpliciter et prout in se est, ac ideo actum efficacem poenitentiae esse simpliciter et necessario supernaturalem, in omni scilicet ordine et suppositione.

DICES. Amor Dei ut finis naturalis nequaquam evadit essentialiter supernaturalis ex hoc quod, supposita elevatione et illustratione fidei, se extendit quodammodo ad Deum ut finem supernaturalem, dictando nempe amorem Dei ut finis supernaturalis. Ergo a pari nec actus poenitentiae evadit essentialiter supernaturalis ex hoc quod indirecte respicit Deum ut finem supernaturalem.

RESP. Conc. antec. Neg. cons. ob discrimen quod adest inter actum amoris et actum poenitentiae, fundatum in ipso discrimine objectorum. Amor enim respicit Deum ut bonum, poenitentia vero ut offensum; potest autem distinqui in Deo duplex bonitas, altera ordinis naturalis et altera ordinis supernaturalis ("Bonum enim ex integra causa"), et ad eas dirigi duplex hominis actus qui sint essentialiter distincti, quantumvis ad invicem connexi; nequit vero distingui duplex offensa ("Malum enim ex quocumque defectu"), quia quaelibet offensa est eversiva totius ordinis divini et attingit Deum secundum quod est

in seipso (ex quo fit etiam ut dicatur simpliciter infinita in ordine morali nec possit ab homine compensari per ipsum actum charitatis), adeoque nequit in Deum dirigi duplex actus poenitentiae, alter naturalis et alter supernaturalis. Inde intelligitur quare, ob utriusque ordinis naturalis et supernaturalis connexionem, amor Dei naturalis dictat tantum amorem supernaturalem, poenitentia vero relate ad Deum ut finem naturae non tantum dictat sed fit actus supernaturalis.

INSTES. Actus amoris respicit etiam Deum ut offensum, quia includit odium peccati. Ergo manet paritas inter actum amoris et actum poenitentiae.

RESP. Odium peccati quod includitur in amore non respicit formaliter offensam Dei, sed malum Dei, sicut amor respicit bonum Dei, contrariorum enim actuum contrarium est objectum, boni autem contrarium est malum. Peccatum formaliter ut offensa respicitur a sola poenitentia, quia, cum offensa sit laesio juris, non ab alio actu virtutis respicitur quam ab eo qui sit reparatio illius laesionis. Unde dantur duo amores Dei et consequenter duo odia peccati, alterum naturale et alterum supernaturale, sed non datur nisi una efficax poenitentia, eaque supernaturalis.

EX HOC AUTEM QUOD POENITENTIA EST VIRTUS SUPERNATURALIS, SEQUITUR IMMEDIATE ET NECESSARIO QUOD SIT VIRTUS NON ACQUISITA SED PER SE INFUSA.

Non enim potest acquiri ex actibus naturalibus, secus effectus causam superaret. Nec etiam generari potest ex actibus supernaturalibus, quemadmodum ex actibus naturalibus generatur virtus naturalis; nam virtus supernaturalis in hoc differt a naturali quod non tantum dat bene posse sed ipsum posse, unde dicitur esse habitus habens modum potentiae. Potentia autem non generatur ab actibus, sed dimanat ex ipsa essentia rei et producitur, mediante tali dimanatione, ab ipso agente quod ipsam substantiam producit. Unde nulla virtus supernaturalis acquiri potest, sed omnes dimanant ex gratia sanctificante, quae, utpote habitus entitativus, habet, relate ad habitus operativos virtutum, quemdam modum substantiae supernaturalis atque a solo Deo veluti creatur, seu proprie infunditur in hominem, una cum suis potentiis.[83]

Ceterum nec est assignabilis aliquis actus supernaturalis ex quo habitus poenitentiae quomodolibet generari posset.

[83] Cf. *Salmanticenses,* De Virtutibus, disp. 3, dub. 3, n. 59.

Non enim potest generari ex actibus aliarum virtutum, puta fidei et charitatis, nam hi nequeunt generare habitum diversae speciei.

Nec ex actibus ipsius virtutis Poenitentiae, quibus nempe causaretur saltem alius habitus poenitentiae, nam ut ait *S. Thomas* "actus qui producuntur ex habitu infuso, non causant aliquem habitum; sed confirmant habitum praeexistentem [quatenus non efficienter, sed dispositive et per modum meriti, faciunt ut habitus perducatur ad majorem gradum, seu magis radicetur in subjecto]; sicut medicinalia remedia adhibita homini sano per naturam non causant aliquam sanitatem, sed sanitatem prius habitam corroborant" (*1–2, q. 51, a. 4, ad 3*), quod vel ex eo manifestum est quod si actus alicujus virtutis causarent novum habitum, solo numero diversum, sequeretur in eodem subjecto esse plura solo numero distincta accidentia, imo plurima (nam non esset unde talis generatio limitaretur, et quidem quoad omnem virtutem); repugnat autem unum subjectum duo habere accidentia solo numero distincta, sicut nequeunt in una materia esse duae formae substantiales solo numero distinctae, quia, cum accidentia individuentur ab ipso subjecto, uni subjecto unum tantum individuum accidens correspondet nec potest eadem species bis ab eodem individuari.

Nec tandem habitus supernaturalis causari potest ex actibus supernaturalibus poenitentiae praecedentibus virtutem ipsam poenitentiae, elicitis nempe sub sola motione gratiae actualis; nam ad hoc ut habitus generetur in aliqua potentia, requiritur ut sit in eodem subjecto aliqua superior potentia, ex cujus frequenti motione generetur habitus qui sit quaedam participatio superioris illius potentiae (non enim aliqua potentia potest generare habitum in semetipsa, cum ita esset simul agens et patiens), quemadmodum ex motione rationis generantur virtutes acquisitae in appetitu tam rationali quam sensitivo.[84] Jamvero non datur in homine aliqua potentia supernaturalis (puta aliqua ratio supernaturalis, ex cujus motione producatur aliquis habitus in potentia appetitus), sicut non datur substantia supernaturalis, a qua fluere possit, sed omnes qualitates supernaturales sunt habitus, habitus autem non generat habitum.

Ad rem *S. Thomas:*

Hic, q. 85, a. 5: "[Poenitentia] quantum ad habitum . . . immediate a Deo infunditur sine nobis principaliter operantibus, non tamen sine nobis dispositive cooperantibus per aliquos actus."

1–2, q. 51, a. 4: "Aliqui habitus sunt quibus homo bene disponitur ad finem excedentem facultatem humanae naturae, quae est ultima et

[84] Cf. 1–2, q. 51, a. 2; Quaest. Disp. De Virtutibus in communi, a. 9; *Salmanticenses,* De Virtutibus, disp. 1, dub. 3, § 3.

perfecta hominis beatitudo. . . Et quia habitus oportet esse proportionatos ei ad quod homo disponitur secundum ipsos, ideo necesse est quod etiam habitus ad hujusmodi finem disponentes excedant facultatem humanae naturae. Unde tales habitus nunquam possunt homini inesse, nisi ex infusione divina, sicut est de omnibus gratuitis virtutibus."

1–2, q. 63, a. 2: "Virtus hominis perficit ipsum ad bonum. Cum autem ratio boni consistat 'in modo, specie et ordine,' ut Augustinus dicit [Lib. De Natura boni, cap. 3], sive in numero, pondere et mensura, ut dicitur Sap. xi, oportet quod bonum hominis, secundum aliquam regulam consideretur. Quae quidem est duplex, ut supra dictum est (quaest. xix, art. 3 et 4), scilicet ratio humana et lex divina. Et quia lex divina est superior regula, ideo ad plura se extendit; ita quod quidquid regulatur ratione humana, regulatur etiam lege divina, sed non convertitur. Virtus igitur hominis ordinata ad bonum, quod modificatur secundum regulam rationis humanae, potest ex actibus humanis causari, inquantum hujusmodi actus procedunt a ratione, sub cujus potestate et regula tale bonum consistit. Virtus vero ordinans hominem ad bonum secundum quod modificatur per legem divinam, et non per rationem humanam, non potest causari per actus humanos, quorum principium est ratio, sed causatur solum in nobis per operationem divinam. Et ideo hujusmodi virtutem definiens Augustinus [In Psal. 118, Serm. 26], posuit in definitione virtutis: 'Quam Deus in nobis sine nobis operatur'."

OPPONUNT ADVERSARII. Juxta Aristotelem (Ethic., l. 1, c. 1) ars inferior potest sub ordinatione superioris attingere finem istius. Ergo ratio et voluntas, sub ordinatione fidei aliarumque virtutum theologicarum, possunt in suo actu attingere finem supernaturalem, ita ut hic sit actus supernaturalis poenitentiae et ex ejus repetitione acquiratur virtus poenitentiae, quin necesse sit ut haec a Deo infundatur.

RESP. Ars superior, et in casu virtus theologica, dupliciter influit in inferiorem rationem, vel nempe directe per modum imperii vi cujus inferior ratio elevatur in suo actu ad attingendum finem superioris, quemadmodum omnis actus naturalis per imperium charitatis elevatur ad dignitatem meriti in ordine ad praemium supernaturale, vel indirecte et ab extrinseco, ex hoc nempe quod auferat in subjecto impedimenta actus inferioris rationis. Neutro autem modo influxus superioris artis suppeditat inferiori vires ad ponendum, intra proprium ordinem, actum ad quem ipsa est incapax, sed tantummodo conditionat aut elevat actum qui ex propriis viribus poni potest ab inferiori. Jamvero ratio naturalis nullo modo potest ex suis viribus emittere actum efficacem poenitentiae, nec proinde influxus imperii, vel ablatio impedimenti peccati per virtutes theologicas, quidquam confert ad elicientiam actus contritionis, quamvis conferat ad expeditiorem elicientiam imperfecti actus poenitentiae, quem ratio suis viribus ponere potest.

Conclusio 4. Praeter virtutem Poenitentiae supernaturalis et infusae non datur, sive in peccatore sive in justo, alia virtus poenitentiae naturalis et acquisitae, quae sit proprie dicta virtus, quemadmodum praeter prudentiam, justitiam, fortitudinem et temperantiam supernaturalem, datur prudentia, justitia, fortitudo et temperantia naturalis.

Probatur.

Ut constat ex Concl. praec., efficax seu completus et perfectus actus Poenitentiae nequit ab homine elici per vires naturales, sed est essentialiter supernaturalis, actus vero naturalis poenitentiae, de quo in Concl. 1, est essentialiter actus imperfectus in linea poenitendi. Atqui actus imperfectus non valet constituere proprie dictam virtutem de cujus ratione est ut perfectum, seu simpliciter bonum, reddat subjectum ejusque operationem, juxta notam Aristotelis definitionem mox citandam. Ergo non datur poenitentia naturalis et acquisita, quae sit proprie dicta virtus.

Et haec quidem ratio valet non tantum de homine peccatore, qui est aversus a Deo, sed etiam de *homine justo*.

Nam praesentia gratiae, et consequens conversio hominis ad Deum sub ipsa ratione finis ultimi naturalis, non valent immutare nativam inhabilitatem rationis ad eliciendum actum naturalem, quo detestetur peccatum ut aversivum a Deo simpliciter et sub omni consideratione tam finis naturalis quam supernaturalis, qualis praecise est actus efficax poenitentiae. Unde quantumcumque homo, in statu gratiae, ex motivo naturali seu ex detestatione peccati ut contra finem ultimum naturalem, poeniteret, inde non generaretur virtus poenitentiae, quia non haberetur actus perfectus, cum non repudiaretur peccatum simpliciter sed tantum sub uno aspectu, i.e. ut contrarium fini ultimo naturali. Ceterum, si praesentia gratiae esset ratio quare poenitentia naturalis esset vera virtus, sequeretur quod, ablata gratia, ipsa cessaret esse vera virtus vel ita ligaretur ut non posset in proprium actum prodire, quod prorsus inconvenit, tum quia non contingit in aliis virtutibus moralibus, tum quia ita haec poenitentia esset simul virtus naturalis et supernaturalis, cum penderet a gratia in sua ratione virtutis.

In homine autem peccatore, praeter praedictam rationem impossi-

bilitatis contritionis, proprie dicta virtus poenitentiae naturalis excluditur ab *ipsa ratione aversionis ab ultimo fine*, quia stante hac aversione non potest verificari nec definitio virtutis nec principium ex quo virtus moralis generatur. Quod ostenditur per partes.

Primo, definitio virtutis duplex assignatur ab *Aristotele*, scilicet "Habitus electivus secundum rationem rectam" (Ethic., l. 2, c. 6) et "Dispositio perfecti ad optimum" (Phys., l. 7, c. 3), quae nempe "bonum facit habentem et opus ejus reddit bonum" (ibid.). Jamvero, ob aversionem peccatoris ab ultimo fine, neutra definitio convenit poenitentiae naturali.

Haec enim imprimis non est *habitus electivus*, nam recta electio supponit rectitudinem voluntatis circa finem; jamvero peccator, absque auxilio gratiae, nequit habere rectitudinem voluntatis circa finem ultimum in ipso ordine naturali, quamvis possit eam habere circa finem aliquem proximum, seu nequit amare Deum super omnia etiam ut finem naturalem, quamvis possit amare aliquod bonum honestum; ergo nequit habere rectam electionem circa id quod refertur immediate ad finem ultimum et supponit amorem Dei super omnia, i.e. circa destructionem offensae Dei; adeoque non potest poenitere secundum habitum electivum, quamtumvis per motus poenitentiae tendat contra peccatum, etsi possit eligere prosecutionem alicujus boni honesti ejusque contrarii destructionem.

Idque illustratur a paritate cum habitu scientiae qui nequit generari in intellectu qui non possideat principium ex quo scientia procedit. Ut enim docent Aristoteles et S. Thomas, sic se habet finis in operabilibus sicut se habet principium in speculabilibus; nam sicut scientia consistit in deducendo conclusiones ex principiis, ita virtus consistit in eligendo media ex intentione finis. Unde, sicut nequit generari scientia in eo qui caret principio vero, quamtumcumque ipse concludat et argumentetur, ita nequit generari habitus virtutis in eo qui caret ordinatione ad finem, quamtumcumque ipse conetur eligere media.

Praeterea, poenitentia naturalis in homine averso a fine ultimo non est *dispositio perfecti ad optimum*, i.e. faciens hominem simpliciter bonum et reddens ejus operationem simpliciter bonam, in aliquo determinato ordine vel materia. Nam poenitentia naturalis in homine averso a Deo neutrum praestat in ordine poenitendi seu peccatum destruendi; quamtumvis enim ejus actus multiplicentur, numquam habebitur perfecta poenitentia seu destructio peccati, eo quod aversio a peccato supponat conversionem ad Deum.

Secundo, principium ex quo generatur quaelibet virtus moralis in appetitu rationali et sensitivo est dictamen rationis, firmum et perfectum, cujus firmitas inprimitur in appetitu sub ratione virtutis seu dispositionis difficile mobilis.

Jamvero, ex hoc ipso quod homo sit aversus a fine ultimo ac ideo impotens ad removendum peccatum, ratio humana est impotens ad efformandum firmum et perfectum judicium seu dictamen rationis de poenitentia ("Est poenitendum" vel "Peccatum est removendum"), cum nequeat cogitare aut proponere ullum modum efficacem quo peccatum per vires naturales removeatur, sed tantum potest indeterminate et generaliter judicare esse poenitendum seu agendum contra peccatum, et forte, conjecturaliter ac incerte, judicare de possibilitate peccatum de facto removendi. Unde ex repetita ejus motione non poterit generari in appetitu habitus seu firma dispositio ad poenitendum, sed vel nulla prorsus dispositio seu facilitas generatur, quod probabilius dicendum est, vel si quae dispositio (ad quomodolibet nempe poenitendum) inducatur, haec non tantum erit simplex dispositio, seu per se et objective facile mobilis, sed etiam dispositio in proprio statu dispositionis, i.e. simpliciter et ex parte etiam subjecti facile mobilis;[85] nullatenus vero erit habitus seu virtus, sive habens proprium statum virtutis, sive etiam habens statum simplicis dispositionis.

Idque illustratur a paritate cum opinione, quae nequit attingere rationem habitus, sed tantum simplicis dispositionis, eo quod non attingat infallibiliter verum, sicut habitus intellectualis, cum non procedat ex firmo principio.

Ad quorum ampliorem intelligentiam haec observa cum S. Thoma (Quaest. Disp. De Virtutibus in communi, a. 1 et 9; 1–2, q. 63, a. 2), circa praedictam generationem habitus ex principio rationis.

Habitu, qui est complementum potentiae, non indigent potentiae mere activae, i.e. potentia Divina, intellectus agens et potentiae naturales, nam hae sunt in se completae, ita ut earum virtus sit ipsa potentia. Similiter habitum non suscipiunt potentiae mere passivae, i.e. vires sensitivae secundum se consideratae, nam hae indigent quidem perfici ab activis, non tamen ita ut id quod eis superinducitur maneat in illis tamquam forma vel complementum operativum, sed tantum tamquam passio, sicut species in visu, adeoque virtus harum potentiarum non est habitus sed ipsa potentia. Sed habitu indigent potentiae quae sunt simul activae et passivae, scilicet intellectus possibilis, inquantum movetur ab intellectu agente (sic in eo generatur habitus scientiae), et voluntas, inquantum movetur a ratione (sic in ea generatur habitus

[85] Potest quippe contingere quod simplex dispositio fiat per accidens et ex parte subjecti difficile mobilis atque assumat quemdam statum habitus, sicut quod habitus seu virtus, per se difficile mobilis, fiat per accidens et ex parte subjecti facile mobilis et amittat connaturalem statum habitus, assumens statum simplicis dispositionis, ut contingit in aliis virtutibus moralibus existentibus in peccatore.

virtutis); hae enim potentiae, ad hoc ut sint expeditae ad suam operationem, indigent complemento superioris potentiae, quod insit eis tamquam forma et principium operativum (Quaest. Disp. De Virtutibus in communi, a. 1).

In naturalibus igitur, generatio habituum incipit ab intellectu agente, qui est origo ordinis intellectionis, procedit ad intellectum possibilem, inde ad voluntatem, ac tandem ad appetitum sensitivum quatenus subditur voluntati (ibid., a. 9). Praedicta autem motio superioris potentiae requiritur in inferiori ad superandam nativam improportionem istius ad aliquem actum, seu ad superandam difficultatem, ut dicitur, objectivam (quod est de essentia habitus), ita ut potentia inferior agat ut elevata a potentia superiori ad altiorem ordinem. Forma autem inducta in inferiorem potentiam per motionem superioris vel est aliquid transiens, seu receptum per modum passionis, vel est aliquid permanens, seu receptum per modum formae inhaerentis, quod quidem obtinetur per iteratam motionem potentiae superioris et dicitur dispositio; quae quidem est imperfecta si inducitur per motionem nondum sufficienter iteratam, et dicitur simplex dispositio, secus vero est perfecta, cum nempe quasi vertitur in naturam, et dicitur habitus. "Propter hoc dicitur quod consuetudo [seu habitus] est altera natura... Unde, si recte consideretur, virtus appetitivae partis nihil est aliud quam quaedam dispositio, sive forma, sigillata et impressa in vi appetitiva a ratione" (ibid.).

Quod autem attinet ad generationem habitus virtutis in voluntate, notandum est intellectum dupliciter hanc facultatem movere: "Vel praecise proponendo objectum, quod est prosequendum, et imponendo ejus prosecutionem. Et hoc modo nihil ponit in actu voluntatis, quod vires voluntatis excedat, nec etiam proprie loquendo est superior, sed solum dirigit, et illuminat voluntatem, quae est potentia caeca, ne caeco modo procedat. Vel ita, quod non solum praeluceat, sed etiam dirigat, et regulet ex virtute Synderesis, et Prudentiae: quo pacto constituit in actu *aliquid superexcedens virtutem voluntatis, videlicet rectitudinem, et ordinem*, in quo consistit medium rationis proprium virtutis, geritque omnino proprie munus superioris elevantis, et trahentis potentiam inferiorem ad ordinem superiorem, vel transeunter, seu per modum passionis, vel permanenter imprimendo, ac sigillando in illa propriam formam qua prompte firmiter, et facile modo sibi proprio operetur: et hoc quidem assequitur iteratis motionibus, mediis quibus frequentatis actus generant habitum."[86]

---

[86] *Salmanticenses*, De Poenitentia, Disp. 5, dub. 5, § 4, n. 213, Cursus Theol., t. 19, Parisiis, 1883, p. 530.

Quoad actum igitur poenitentiae naturalis intellectus movet voluntatem solum primo modo, scilicet proponendo objectum et imponendo ejus prosecutionem, non vero regulando actum voluntatis per virtutem prudentiae et firmum dictamen rationis, eo quod, ut nuper dictum est, non possit tale dictamen efformare de objecto impossibili, i.e. de emendabilitate peccati per vires naturales. Unde per talem motionem intellectus nullus producitur habitus aut virtus in voluntate, imo nec ulla dispositio etiam imperfecta, quia ea motio nullo modo est regulativa, nisi improprie dicatur rationem sibi efformare genericum dictamen de possibilitate et necessitate poenitendi quomodolibet (seu non efficaciter), aut incertum et conjecturale dictamen de possibilitate peccatum efficaciter removendi, et ex motione hujus imperfecti dictaminis resultare in voluntate imperfectam quamdam dispositionem, alterius prorsus generis ac ea in qua proprie dicta virtus poenitentiae consistit.

Ex dictis intelligitur differentia inter poenitentiam et alias virtutes morales, ac simul expellitur PRAECIPUA OBJECTIO ADVERSARIORUM, procedens ex invocata paritate cum aliis virtutibus moralibus, uti prudentia, fortitudine et temperantia, quae sunt proprie dictae virtutes etiam in ordine naturali.

Et *primo*, disparitas patet *ex parte actus perfecti*.

Nam hae virtutes, independenter a gratia, possunt elicere actum perfectum in propria materia, quamvis cum quadam instabilitate ex parte subjecti, eo quod proprium earum objectum nonnisi remote connectatur cum fine ultimo; poenitentia vero nequit independenter a gratia consistere in actu perfecto contra peccatum.

Secundo, disparitas patet *ex parte definitionis virtutis*.

Nam praedictae virtutes non respiciunt finem ultimum, seu Deum, nisi remote; unde electio determinatae materiae, in qua ipsae consistunt, non supponit rectitudinem voluntatis circa finem ultimum, sed tantum circa finem aliquem proximum seu bonum honestum particulare, et consequenter etiam ipsae valent reddere subjectum perfectum ejusque operationem perfectam in tali determinato ordine; unde, absque auxilio gratiae ex qua solum inducitur rectitudo voluntatis circa finem ultimum, ipsae sunt verae et proprie dictae virtutes, quamvis, ob defectum illius rectitudinis, *non consequantur proprium statum virtutis* seu perfectam firmitatem, sed habeant per accidens conditionem simplicis dispositionis facile mobilis. E contrario, poenitentia respicit Deum ut finem proximum, qui ita quodammodo involvitur in ejus objecto formali, ut dictum est in art. 12 (p. 299); unde, ablata rectitudine voluntatis circa finem ultimum, omnis actus poenitentiae necessario procedit ex quodam principio instabili nec

ideo potest consistere in firma electione, quod est de ratione virtutis.

Tertio, disparitas patet *ex parte principii* ex quo virtus moralis generatur, seu dictaminis rationis.

Cum enim materia aliarum virtutum moralium non respiciat immediate finem ultimum sed claudatur intra aliquem ordinem particularem et in se completum, poterit homo, quamtumvis aversus a fine ultimo, efformare dictamen rationis, sufficienter firmum et in suo ordine perfectum, circa praedictam materiam attingendam et regulandam, adeoque voluntatem movere sufficienti firmitate ad hoc ut ex repetitis motionibus generetur in ea firma dispositio seu proprie dictus habitus, quamvis per accidens, seu ob aversionem voluntatis a fine ultimo, hic habitus non consequatur subjectivam firmitatem seu connaturalem statum virtutis.

Aliae adversariorum objectiones:

OPPONUNT 1. Ubi datur virtus supernaturalis, ibi datur correspondens virtus naturalis ad regulandam similem materiam inferioris ordinis.

RESP. Negatur assertum. Valet quidem illatio a virtute naturali ad supernaturalem, non vero ab hac ad illam, ut patet tum ex facto, nam datur virtus charitatis supernaturalis quin detur naturalis, cum voluntas ex seipsa et absque habitu inclinetur ad bonum et finem naturalem, tum ex ratione, nam ad quodcumque se extendit regula inferior se extendit quoque regula superior, propter majorem hujus efficaciam, non vero e converso. Ad rem *S. Thomas, 1–2, q. 63, a. 2* (supra cit., p. 434); "Quia lex divina est superior regula, ideo ad plura se extendit; ita quod quidquid regulatur ratione humana, regulatur etiam lege divina, sed non convertitur."

OPPONUNT 2. Ad hoc ut poenitentia naturalis sit proprie dicta virtus sufficit ut inclinet in actum qui sit perfectus in proprio ordine, quamvis non simpliciter et in omni ordine.

RESP. Poenitentiae naturalis actus non est perfectus, etiam in proprio ordine naturali; nam peccatum contra finem ultimum naturalem non est emendabile nisi per supernaturalem contritionem, seu per actum quo peccatum abiciatur simpliciter et ut contrarium fini ultimo in quolibet ordine.

OPPONUNT 3. Ex iteratione cujuslibet actus necessario sequitur aliqua facilitas, seu dispositio, seu habitus, seu virtus. Ergo poenitentia naturalis in peccatore potest esse virtus generata ex repetitione actuum.

RESP. Ex iteratione actuum sequitur quidem aliqua facilitas, sed non necessario dispositio seu qualitas superaddita potentiae, nam haec tunc tantum generatur cum potentia elevatur per motionem superioris potentiae ad aliquid excedens propriam virtutem; ita ex actibus naturalibus amoris Dei non generatur ulla dispositio, quia ad illum amorem voluntas naturaliter fertur, nisi sit impedimentum peccati. Ceterum, cum generatur dispositio, haec non necessario est habitus seu dispositio difficile mobilis, ut patet in opinione, quae est instabilis dispositio, seu non firma adhaesio intellectus. Item, cum generatur habitus, hic non necessario est strictissime dicta virtus, cum possit deficere a ratione perfectionis quae est propria virtutis, ut constat de continentia (cf. supra, art. 12, p. 310 sq.) et de perseverantia (cf. 1–2, q. 58, a. 3, ad 2; 2–2, q. 137, a. 1, ad 1).

Ex iteratis igitur actibus poenitentiae naturalis in peccatore exurgit quaedam facilitas poenitendi, quae tamen non est virtus, nec habitus, nec dispositio per accidens difficile mobilis, imo probabilius nec dispositio facile mobilis.

OPPONUNT 4. Poenitentia naturalis in peccatore inclinat ad actus laudabiles, i.e. ad detestandum peccatum ut est contra rationem et contra Deum auctorem naturae. Ergo est virtus.

RESP. Ut dictum est, poenitentia naturalis, etiam si sit dispositio, non est habitus, quia non potest firmiter inclinare ad praedictum actum, et a fortiori non est virtus, cum non inclinet ad detestationem peccati simpliciter et sub omni respectu, quod est de ratione virtutis poenitentiae.

Notandum est cum *Salmanticensibus* "bonum, et laudabile non converti cum virtute proprie dicta; alioqui nullus esset actus moraliter bonus, qui non esset actus alicujus virtutis proprie dictae, quod esse falsum constat in utroque ordine tam naturali, quam supernaturali, in quibus plures necesse est concedere actus honestos, et moraliter bonos, qui a virtute proprie accepta oriri non debent. Ut in ordine gratiae de pia affectione, et pluribus illustrationibus, et affectibus inefficacibus nequit negari, et in ordine naturae de amore naturali, de verecundia, de continentia, ac de perseverantia, asseruit D. Thomas. In quibus omnibus militat motivum quod obtenditur. Sed quia eorum electio vel non est efficax, et perfecta, vel non tendit in determinata media, sed respicit finem generalissimum, non hujus, vel illius determinatae materiae; idcirco non est electio propria virtutis, nec virtutem inducit.

"Et ex eadem radice deficit Poenitentia naturalis; haec enim ut vera virtus sit intra ordinem naturalem, debet opponi non tantum

huic, aut illi peccato, sed omni; siquidem in suo ordine debet habere, quod in ordine supernaturali competit Poenitentiae infusae, ut constat exemplo dilectionis naturalis Dei super omnia relate ad amorem charitatis: quare Poenitentia, quae est vera virtus nequit compati cum aliquo peccato mortali, utpote illi, et cuicumque alii opposita. Virtus autem acquisita teste D. Thoma 1, 2, quaest. 63, art. 2 ad 2, potest secum compati aliquod peccatum mortale; non ergo esse potest virtus acquisita; consequenterque nec habitus electivus electione efficaci, et propria. Quippe haec prosequitur medium electum, quod sit efficax ad destruendum, quod destrui intenditur. Et Poenitentia non unum, aut alterum intendit destruere, sed omnia, ut vera Poenitentia sit."[57]

OPPONUNT 5. Impoenitentia est vitium intra ipsum ordinem naturalem. Ergo poenitentia, quae est ejus oppositum, est vera virtus intra eumdem ordinem.

RESP. Conc. antec. Neg. cons., quia procedit ex falso supposito. Vitium enim directe non opponitur virtuti, sed bono et laudabili; nam vitium habetur ex quocumque defectu a bonitate, virtus vero dicit non quodcumque bonum et laudabile, sed bonum perfectum in aliquo ordine (2–2, q. 144, a. 1, ad 4). Unde ex hoc quod poenitentia naturalis opponitur vitio impoenitentiae, non sequitur necessario quod sit virtus, sed tantum quod sit actus bonus et laudabilis.

OPPONUNT 6. Ex repetitis actibus poenitentiae supernaturalis, seu contritionis, acquiritur quaedam facilitas et dispositio ad eos eliciendos; haec autem dispositio est naturalis tum quia de facto est in potentia naturali seu voluntate, tum ceterum quia dispositio supernaturalis acquiri non potest. Confirmatur ex *S. Thoma* docente in Quaest. Disp. De Veritate, q. 17, a. 1, ad 4 inter argumenta Sed contra: "Ex actibus infusae caritatis generatur aliquis habitus dilectionis", quem S. Doctor non intelligit supernaturalem, nam in 1–2, q. 51, a. 4, ad 3, docet actus procedentes ex habitu infuso non generare alium habitum infusum, sed praecedentem confirmare.

RESP. Facilitas causata ex actibus poenitentiae supernaturalis, quomodolibet concipiatur, est et ipsa supernaturalis, quia a causa supernaturali nequit causari nisi effectus supernaturalis; nec est dicenda aliquid acquisitum, sicut ipsi actus non dicuntur acquisiti sed causati seu emanantes; unde est quaedam supernaturalis emanatio vel proprietas ipsorum actuum supernaturalium (quin tamen sit

[57] De Poenitentia, Disp. 5, dub. 5, § 4, n. 214, Cursus Theol., t. 19, Parisiis, 1883, p. 530 sq.

proprie habitus, quia habitus ab habitu non causatur). Nec refert quod ipsa sit in potentia naturali, quia non est in potentia secundum quod est potentia, seu immediate, sed secundum quod est vestita habitu, seu mediante habitu, unde sequitur naturam habitus, sicut ipsi actus.

S. Thomas in objecto loco ex 1–2 (quem citavimus supra in Concl. 3, p. 433 sq.) valde explicite negat ex actibus virtutis infusae generari habitum tum infusum tum acquisitum, ut constat ex ipsa objectione cui respondere intendit quaeque ad hoc reducitur: Si esset in homine aliqua virtus infusa, haberetur etiam virtus acquisita ejusdem speciei quae causaretur ex actibus virtutis infusae. Unde, nisi velimus admittere S. Thomam sibimetipsi contradicere, ipsa objecta ejus verba ex Quest. De Veritate vel sunt intelligenda de supradicta supernaturali facilitate, quae a S. Doctore vocetur habitus per improprietatem,[58] vel sunt accipienda ut exprimentia doctrinam, non ipsius S. Doctoris sed aliorum theologorum, ab ipso transeunter tactam sed non electam; nam ipse ea verba non simpliciter profert sed sub forma disiunctivae affirmationis, et ita ut in fine textus eligat alteram partem disiunctionis.

En integer textus: "Ex his actibus non generatur habitus alterius modi ab illo habitu ex quo actus eliciuntur; sed *vel* aliquis habitus ejusdem rationis, sicut ex actibus infusae caritatis generatur aliquis habitus dilectionis, vel praeexistens augmentatur: sicut in eo qui habet habitum temperantiae acquisitum ex actibus, ipse habitus augmentatur. Et ita, cum actus conscientiae procedat ex habitu sapientiae et scientiae, non generatur inde aliquis habitus alius ab eis, sed illi habitus perficiuntur." Non ergo dicit: "Vel illi habitus perficiuntur vel habitus ejusdem rationis generatur", quod tamen, ut videtur, dicere debuisset, si utrumque membrum praepositae distinctionis ex propria sententia protulisset.

ART. 17. Utrum Actus Virtutis Poenitentiae Procedat Ex Timore, Tamquam Ex Proprio Principio Motivo (q. 85, a. 5 et 6; In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 2, q. 1 et 2).

CONCLUSIO *affirmativa*.

[58] Hoc etiam modo interpretari potest *Cajetanus* cum scribit (In q. 85, a. 6): "Sciendum est quod aliud est habere aliquem 'habitum electivum secundum rationem rectam' [Aristot., Ethic., l. 2, c. 6]; et aliud est habere similem habitum secundum rationem virtutis. Verbi gratia, aliud est habere habitum amoris acquisitum ex frequentibus actibus amandi Deum et proximum, etiam secundum regulas fidei: et aliud est habere virtutem caritatis. Habere enim virtutem caritatis est habere habitum infusum 'dividentem filios Dei a filiis perditionis' [August., De Trin., l. 14, c. 18]: habere autem habitum acquisitae caritatis non est habere huiusmodi virtutem, quae est donum Dei, ut ex se patet."

Probatur.

Ipse habitus virtutis poenitentiae non procedit ab habitu alterius virtutis, cum omnes virtutes simul et directe a Deo infundantur,[89] quamvis, attentis his quae docet *S. Thomas* in secunda parte Summae Theol.[90] de comparatione et interdependentia virtutum theologicarum, donorum Spiritus S. et virtutum moralium, habeatur ex parte subjecti cui infunduntur aliquis ordo generationis seu infusionis praedictorum habituum supernaturalium, ita nempe quod natura prius infundantur virtutes theologicae, secundo, ratione illarum, infundantur dona, tertio, ratione utrorumque, infundantur virtutes morales; quo sensu dici potest virtutes theologicas esse principia donorum (seu rationem, quare infundantur dona), et virtutes theologicas ac dona esse principia virtutum moralium, et in particulari charitatem esse principium doni timoris, et utrumque esse principium habitus poenitentiae.

Proprie autem, seu attenta ratione principii influentis in aliud, ordo principii et principiati attenditur inter actus virtutum, qui etiam tempore sibi invicem succedunt, non ita quod unus actus possit esse principium elicitivum alterius, actus enim elicitur a proprio habitu, sed ita quod unus actus sit principium motivum ac veluti imperativum alterius.

In actibus qui disponunt ad justificationem impii, ac ideo ducunt ad ipsum actum poenitentiae qui est ultima dispositio ad justificationem, oportet distinguere inter rationem ordinis seu prioritatis et posterioritatis et rationem principii seu influentiae; nam non omnis actus qui alterum praecedit est necessario ac proprie principium influens in ipsum, sed potest esse tantummodo aliquid quomodolibet praerequisitum.

SI IGITUR ATTENDATUR RATIO ORDINIS,[91] prior est motus Dei seu gratia actualis operans et praeveniens; secundus est motus rationis; tertius est motus voluntatis qui, juxta diversas rationes fugae a malo et prosecutionis boni quae sunt propriae appetitus, distribuitur ac ordinatur in plures actus timoris servilis, spei, charitatis, timoris filialis et poenitentiae.

Ad rem *S. Thomas*, quem fere ad litteram sequitur *Conc. Trid.*[92] (sess. 6, cap. 6): "Possumus loqui de poenitentia quantum ad actus

[89] Q. 85, a. 5 et 6.

[90] Confer ad invicem 1–2, q. 19, a. 9, ad 3 et 4; 2–2, q. 68, a. 4, ad 3; a. 5; a. 8.

[91] De ordine inter virtutes confer etiam art. 19.

[92] Salva tamen ea differentia quod cum Concilium consideret directe initium seu praeparationem ad justificationem, ac sistat in actu attritionis, omittit mentionem charitatis et timoris filialis, quibus substituit amorem initialem, quo peccator incipit diligere Deum ut justitiae fontem. Confer quae dicuntur circa finem praesentis articuli (p. 447 sq.).

quibus Deo operanti in poenitentia cooperamur: quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor, secundum illud Thren. ult., 21: 'Converte nos, Domine, ad te, et convertemur'; secundus actus est motus fidei; tertius est motus timoris servilis, quo quis timore suppliciorum a peccatis retrahitur; quartus actus est motus spei, quo quis sub spe veniae consequendae assumit propositum emendandi; quintus actus est motus charitatis, quo alicui peccatum displicet secundum seipsum, et non jam propter supplicia; sextus actus est motus timoris filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis emendam Deo voluntarius offert" (*q. 85, a. 5;* cf. In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 2, q. 2).

Omnes praedicti actus non necessario praecedunt actum poenitentiae, ut actus formales et distincti, sed sufficit et requiritur ut adsint virtualiter, praecipue ut inclusi eminenter in actu charitatis, a quo procedit actus poenitentiae justificantis. Actus quidem charitatis formaliter existere debet, ad hoc ut possit elici actus poenitentiae, imo sine formali actu charitatis homo justificari nequit, attenta potentia Dei ordinata, quamvis possit justificari sine formali actu poenitentiae per solam charitatem. Ceteri autem actus communius adsunt, secundum modum agendi divinae Providentiae, quae, per gressus et juxta connaturalem ordinem objectorum actuum vel dispositionum hominum, imperfectum adducit ad perfectum; non tamen semper adsunt, cum possit quis moveri ad poenitentiam ex variis motivis, puta immediate ex motivo dilectionis et bonitatis divinae potiusquam ex timore et consideratione poenarum, et possit impelli ad fugendum malum ex desiderio boni potiusquam ad desiderandum bonum ex timore mali (In Sent., l. c.).

SI AUTEM ATTENDATUR RATIO PRINCIPII INFLUENTIS in actum poenitentiae, duplex distinguendum est principium: unum est principium influens *efficienter,* et ita primum principium actus poenitentiae est motio Dei seu gratia operans (non secus ac quoad ceteros actus qui praecedunt actum poenitentiae), proximum vero et elicitivum principium est ipse habitus poenitentiae; alterum est principium influens *objective* et ad modum causae finalis, quod dicitur proprie motivum, et ita, quamvis omnis actus qui praecedit actum poenitentiae possit esse principium istius (potest enim quis impelli ad poenitendum ex motivo timoris seu vitandi poenam, vel ex motivo spei seu adipiscendi beatitudinem, vel ex motivo amoris seu placendi Deo, ita nempe ut ex intentione hujus finis, qui est vitare poenam vel consequi beatitudinem vel placere Deo, eligat hoc medium quod est poenitere), tamen recte a *S. Thoma* dicitur *timor esse proprium principium vel motivum poenitentiae* (seu "motus affectus ad hoc ordinatus"), *timor*

quidem servilis principium remotum, timor vero filialis principium proximum.

Quod quidem constat tum *ex parte subjecti*, seu hominis corrupti per peccatum, tum *ex parte objecti*, seu ex propria indole actus poenitentiae comparata cum indole ceterorum actuum qui ipsum praecedunt.

"Cum [enim] . . . poenitentia sit revocatio a peccato ut Damascenus dicit, De fid. orth., lib. II, c. XXX . . . , oportet originem ejus in nobis accipi *secundum dispositionem existentis in peccato*. Ille autem qui in peccato est, non habet gustum sanum, ut ex dulcedine divinae bonitatis a peccato revocetur; sed habet affectum infectum amore sui inordinato; et ideo per poenas quae naturae suae contrariantur et voluntati, a peccato revocatur, ut Philosophus in X Ethic., cap. 1, dicit de talibus quod, 'proprias delectationes prosequuntur, et fugiunt oppositas tristitias; boni autem, et vere delectabilis neque intellectum habent, neque gustativi existunt:' et ideo in eis ut in pluribus ex timore poenitentia initium sumit; quamvis etiam in aliquibus ex amore poenitentia inchoetur" (*In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 2, q. 1*).

Praeterea, *ipse actus poenitentiae consistit in retrahendo a peccato* et in offerendo Deo compensationem seu emendationem pro peccato, ita ut retrahere a peccato sit veluti primum elementum poenitentiae in quantum est actus fugae, offerre vero emendationem sit ultimum ac formale ejus elementum inquantum est actus prosecutionis, ita ut ipse dolor de peccato non aliter intendatur a poenitente quam ut emendativus (cf. dicta in art. 14). Jamvero ad recedendum a peccato magis directe impellitur homo a timore poenae, cum timor sit formaliter actus fugae (In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 2, q. 3); ad offerendam vero emendationem magis directe impellitur a timore filiali, nam hic ex eo quod est timor respicit eminentiam personae offensae, quae debeat per aliquam emendationem placari, et ex eo quod est filialis, i.e. ex charitate procedens, supponit dolorem proprium ipsius charitatis et in eo respicit rationem emendationis dolorosae in qua formalis ratio actus poenitentiae consistit.

Ceteri vero actus minus directe referuntur ad propriam rationem poenitentiae adeoque minus proprie et directe sunt motivum illius actus, etiam cum de facto illum generant. Nam actus fidei est actus cognitionis, dum poenitentia est actus appetitus; actus spei est actus prosecutionis respiciens beatitudinem, dum poenitentia est actus fugae respiciens ipsum peccatum, unde spes impellit directe ad propositum vitandi peccatum ut aversivum a beatitudine potius quam ad praecipuum actum poenitentiae qui est dolor de peccato praeterito, vel etiam impellit ad assumendum propositum emendationis potius quam

ad ipsam emendationem;[93] actus charitatis impellit directe ad odium et dolorem de peccato, sed non respicit immediate ipsam rationem emendationis quae in illo dolore invenitur quaeque constituit formalissime objectum actus poenitentiae.

Ob dictam dependentiam poenitentiae a timore *S. Thomas* docet timorem esse sub aliqua ratione fundamentum vitae spiritualis: "Poenitentia . . . et timor in recedendo a malo, diversimode sunt fundamenta: quia timor est primum in isto toto genere quod est recedere a malo; sed poenitentia quantum ad hanc speciem quae est recedere a malo commisso, et ideo etiam timor praecedit poenitentiam; sicut principia generis praecedunt principia speciei" (*In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 2, q. 3;* cf. integrum textum citatum in art. 19, p. 461).

Quae hactenus dicta sunt valent praecipue et integraliter de contritione seu de actu poenitentiae ut virtutis, qui solus habet ut principium timorem filialem, vel, si placet, valent generice de actu poenitentiae sed proportionaliter et distributive secundum quod agitur in particulari de contritione vel attritione. *Actus ipse attritionis*, qui est primus motus poenitentialis in peccatore justificando, elicitur non a virtute poenitentiae sed ab ipsa voluntate sub auxilio gratiae actualis, praeceditur ab actu fidei et spei (qui elicitur ab habitibus infusis fidei et spei in peccatore qui amisit gratiam sanctificantem, vel a voluntate sub gratia actuali in peccatore qui prius gratiam sanctificantem nunquam habuerit) et habet ut principium proximum et unicum ipsum actum timoris servilis, ut in pluribus et modo supra explicato. Potest etiam attritio, cum nempe non est exclusive formidolosa, praecedi ab explicito actu amoris initialis (subsequenti actum spei) quo peccatores Deum "tanquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt";[94] sed quia "ille amor non est caritatis"[95] nullum generat timorem filialem qui possit esse proximum principium attritionis.

Unde tota series actuum ad justificationem ducentium sic se habet: actus fidei (procedens ex habitu informi vel ex voluntate sub auxilio solius gratiae actualis); actus timoris servilis (principium actus poenitentiae, proxime quidem ipsius attritionis); actus spei (procedens eodem modo ac actus fidei); actus imperfectae dilectionis Dei ut fontis justitiae; actus attritionis (sufficiens ad justificandum cum sacramento); actus charitatis infusae; actus timoris filialis; actus contritionis; justificatio. Ceterum in ordine causae materialis, seu dispositivae, actus contritionis praecedit actum charitatis, quia disponit ad

[93] Q. 85, a. 5: "Quartus est motus spei, quo quis sub spe veniae consequendae assumit propositum emendationis".
[94] *Conc. Trid.*, sess. 6, cap. 6; cf. *S. Thomam*, In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 2, q. 2.
[95] *S. Thomas*, ibid.

justificationem seu ad infusionem gratiae et charitatis aliarumque virtutum infusarum, inter quas est ipsa poenitentia a qua contritio efficienter procedit.

ART. 18. Utrum Virtus Poenitentiae Influat In Remotionem Peccati In Genere Causae Efficientis Moralis (q. 85, a. 2, ad 3; In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 3, ad 1; q. 2, a. 1, q. 1).[96]

STATUS QUAESTIONIS

Agitur de efficientia poenitentiae, quae est ejus influxus et effectus. Haec quaestio reduci potest ad generaliorem quaestionem de fine poenitentiae, cum effectus in executione sit finis in intentione, et influxus causae efficientis coincidat materialiter cum influxu causae finalis. Ut dictum est in Introductione hujus Capitis, tractatio de ipso effectu poenitentiae, seu de ablatione peccatorum, consultius remittitur ad Caput VIII de effectu sacramenti qui fere coincidit cum effectu virtutis. Unde unice hic consideratur ipse influxus poenitentiae in peccati remotionem, cujus indoles non difficile ostenditur ex his quae supra (art. 14, p. 370–374) praelibavimus de ratione satisfactiva actus poenitentiae relate ad peccatum.

Supponenda autem sunt, tanquam fere communiter admissa a theologis, sequentia capita doctrinae: Virtus poenitentiae, sicut omnis habitus, efficienter influit in proprium actum; ipsa formaliter, seu in genere causae formalis, expellit proprium contrarium seu impoenitentiam (In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 3, ad 1), non secus ac quaelibet virtus; ipsa, ratione gratiae sanctificantis cum qua infunditur, non vero ratione sui aut sui actus seu contritionis, expellit ipsum peccatum in genere causae formalis;[97] actus contritionis est dispositio, et quidem physica,[98] ad justificationem seu destructionem peccati, adeoque virtus poenitentiae per suum actum influit physice dispositive in destructionem peccati.

Quaeritur autem utrum poenitentia per actum contritionis influat in destructionem peccati: 1. Non tantum dispositive sed etiam in genere causae efficientis. 2. Non tamen physice sed tantum moraliter.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

1. *Quidam*, ut *Scotus* (In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 2), *Vasquez* (In q. 85, a. 2), *Suarez* (Disp. 8, sect. 3), actui contritionis tribuunt

[96] Hos textus citavimus in art. 12, 315 sq.

[97] Dissentiunt tamen pauci, inter quos *Vasquez*, docentes actum contritionis esse ipsam formam sanctificantem, quod refutatur a thomistis in tractatu De Gratia.

[98] *Suarez* loc. infra cit. vult actum contritionis esse dispositionem tantum moralem.

solam rationem dispositionis ad destructionem peccati, negato omni influxu effectivo.

2. *Alii* vero, praecipue inter thomistas, post *S. Thomam* (in tribus locis memoratis in textu articuli), docent actum poenitentiae influere etiam efficienter. At isti dividuntur: Quidam, ut *Soto* (Dist. 13, q. 2, Dist. 15, q. 1), *Nugnus* et *Prado*, docent hunc influxum esse physicum; alii vero, ut *Joannes a S. Thoma* (In q. 85, a. 2), *Gonet* (Disp. 3, a. 4) et *Salmanticenses* (Disp. 6, dub. 2), docent illum influxum esse tantummodo moralem; quibus manifeste favet *S. Thomas* (in tertio ex praedictis locis).

CONCLUSIO

Virtus poenitentiae, eaque sola, per suum actum proprium influit in remotionem peccati non tantum dispositive, seu in genere causae materialis, sed etiam effective seu in genere causae efficientis, non tamen physice sed moraliter tantum.

Probatur 1a pars (*i.e. poenitentiam influere efficienter*).

Actus contritionis non solum est physica dispositio ad justificationem seu *ablationem maculae peccati* per formam gratiae, quemadmodum et actus charitatis qui illum praecedit, sed habet in se veram *rationem satisfactionis pro offensa* quae est in peccato (in quo differt ab actu charitatis et aliarum virtutum), ut explicatum est in art. 14 (p. 370–374). Atqui influxus satisfactivus est influxus efficiens et quidem moralis. Ergo virtus poenitentiae per proprium actum contritionis influit in destructionem peccati non solum dispositive, ad auferendum peccatum sub ratione maculae, sed etiam efficienter moraliter ad destruendum peccatum sub ratione offensae.

Ad rem faciunt supradicti tres textus *S. Thomae*, citati in art. 12 (p. 315 sq.), ac praecipue tertius. Ex quorum textuum lectione et ad invicem collatione, apparet quam voluntaria sit sequens expositio quam *Suarez* tradit de primo textu, i.e. q. 85, a. 2, ad 3: "De [eo] . . . testimonio jam supra dixi ibi non loqui de contritione, de qua nunc agimus, sed de voluntate resarciendi injuriam Dei, quam [S. Thomas] vocavit actum poenitentiae; et quatenus imperat actum contritionis, dicitur effective concurrere ad remissionem peccati. Quod si ille locus intelligatur etiam de contritione, exponendus est juxta hic dicta. Nam imprimis, si hoc intelligatur de efficientia physica, accommodandus est contritioni, ut est pars sacramenti; si vero de morali, coincidit cum dispositiva; nam disponens ad introductionem formae, dicitur aliquo

modo efficere effectum illius, seu expellere contrarium. Et ideo dicere solent discipuli D. Thomae hoc proprius dici de poenitente ipso quam de poenitentia, quia dispositio ut sic non efficit; tamen, qui efficit dispositionem, dicitur efficere effectum ex illa secutum; poenitens autem efficit poenitentiam, et ideo dicitur efficere expulsionem peccati. Sicut e contrario peccator mortaliter peccando dicitur a D. Thoma expellere effective gratiam, 2.2, q. 24, art. 12; et notavit Ledesma, 1, part. 4, q. 27, art. 1. Unde si loquamur de poenitentia pro habitu, quatenus illa est causa effectiva sui actus, potest etiam dici concurrere effective ad expulsionem peccati, quamvis hoc accommodari non possit primae justificationi quia juxta veram sententiam prima contritio non procedit ab habitu."[99]

Probatur 2a pars (*i.e. poenitentiam non influere physice*).

Praeter praedictum moralem influxum, virtus poenitentiae nullum aliunde habet influxum efficientem physicum in destructionem peccati. Nam in peccato tres rationes considerari possunt: ratio peccati actualis, praeteriti quidem secundum esse physicum at permanens moraliter; macula peccati physice permanens in anima; ratio offensae Dei. Jamvero primum et tertium nequeunt destrui nisi per influxum moralem, ut patet; secundum vero, seu macula, nequit auferri per influxum physicum efficientem ipsius poenitentiae.

Nam *imprimis,* quando poenitentia suum influxum exercet, peccatum jam est ablatum formaliter per gratiam a qua poenitentia procedit; non enim Poenitentia a gratia procedens potest praecedere gratiam in genere causae efficientis, utut relate ad solam destructionem peccati, quamvis possit praecedere in genere causae materialis, relate nempe ad ipsam infusionem gratiae, nam unum nequit alterum simul praecedere et subsequi nisi ambo se habeant ut duae causae ad invicem, et quidem in diverso genere, quorum neutrum contingeret si poenitentia praecederet gratiam ut causa efficiens destructionis peccati.

Secundo, si per absurdum detur actum poenitentiae influere efficienter natura prius ad infusionem gratiae, aut etiam infusionem gratiae quomodolibet non auferre peccatum, adhuc actus poenitentiae non posset illud efficienter auferre; nam ut id posset, deberet physice influere in productionem ipsius gratiae, quae est physica forma per quam expellitur macula peccati, cum non aliter aliquod agens expellat physice aliquam formam quam physice producendo aliam incompossibilem cum illa; jamvero actus poenitentiae nequit physice efficienter influere in productionem gratiae, tum quia haec est in substantia animae,

[99] In 3 p., q. 86, a. 1, Disp. 8, sect. 3, n. 17, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 147; cf. Comm. in q. 85, a. 2, ad 3, ibid., p. 116.

poenitentia vero in voluntate, tum praecipue quia virtus poenitentiae procedit efficienter ex ipsa gratia, nec ideo potest esse causa suae causae in eodem ordine.

Ergo virtus poenitentiae non influit efficienter physice in destructionem peccati, sed tantum moraliter.

Ad rem *S. Thomas, Quaest. Disp. De Veritate, q. 28, a. 8:* "Alii dicunt, quod motus isti [i.e. fidei formatae et contritionis] sunt meritorii et gratia informati, unde naturaliter gratiam sequuntur. Praecedunt autem remissionem culpae naturaliter, quia gratia per hos actus remissionem culpae [ut maculae] operatur. Sed hoc non potest esse. Nam *quod causat aliquid per operationem, causat per modum causae efficientis.* Gratia igitur, si per actum contritionis et fidei formatae, remissionem culpae causat, causabit eam per modum causae efficientis; quod esse non potest. Nam causa effective destruens aliquid, prius ponitur in esse quam hoc quod destruit, sit in non esse; non enim ageret ad ejus destructionem quod jam non est. Unde sequeretur quod gratia prius esset in anima quam culpa esset remissa: quod est impossibile. Unde patet, quod gratia non per aliquam operationem est causa remissionis culpae, sed per informationem subjecti, quae importatur per gratiae infusionem et culpae remissionem; et ideo *inter gratiae infusionem et culpae remissionem* [prout culpa est macula, non vero prout est offensa] *nihil cadit medium.*

"Oportet igitur dicere, secundum aliam opinionem, quod praedicti motus eodem ordine se habent ad utrumque, ut quodammodo praecedant, quodammodo sequantur ordine naturae. Nam si ordo naturae attendatur secundum rationem causae materialis, sic motus liberi arbitrii praecedit naturaliter gratiae infusionem *sicut dispositio* materialis formam. Si autem attendatur secundum rationem causae formalis, est e converso. Et est simile in rebus naturalibus de dispositione quae est necessitas ad formam, quae quodammodo praecedit formam substantialem, scilicet secundum rationem causae materialis. Dispositio enim materialis ex parte materiae se tenet: sed alio modo, scilicet ex parte causae formalis, forma substantialis est prior, in quantum perficit et materiam, et accidentia materialia."

Attentis igitur dictis in art. 14 (p. 370–374), sic se habet ordo causarum influentium in peccati destructionem: primo est contritio ut dispositio ad infusionem gratiae et destructionem peccati ut maculae; secundo est ipsa infusio gratiae destruens peccatum ut maculam; tertio est contritio ut causa efficiens moralis destructionis peccati ut offensae; quarto est ipsa totalis destructio peccati sub ipsa ratione offensae.

Quibus recte perpensis, nulla est oppositio inter ea quae diximus in art. 14 (ibidem) et ea quae docet *S. Thomas* in textu De Veritate nuper citato.

RESPONSIO

Obj. 1. (*contra 1am Concl.*). Actus contritionis influit non effective sed tantum dispositive ad infusionem gratiae; ergo eodem prorsus modo influit etiam ad destructionem formae oppositae seu peccati, cum non aliter haec destruatur quam per positionem illius.

Resp. *Conc. antec. Dist. cons.:* Eodem prorsus modo influit ad destructionem peccati praecise prout opponitur formae gratiae, seu prout est macula, *concedo;* praecise prout est moraliter offensa Dei, sub qua ratione non directe opponitur formae gratiae, *nego*. Cum enim in peccato duae rationes habeantur, scilicet, physica macula et moralis offensa, totalis ejus destructio duplicem appellat influxum, alterum physicum ad auferendam maculam, alterum moralem ad auferendam offensam, et consequenter virtus poenitentiae potest ad utrumque sub diversa ratione concurrere, ita ut sit tantum physica dispositio relate ad destructionem maculae et causa efficiens moralis relate ad destructionem offensae.

Obj. 2. Actus contritionis nequit habere rationem satisfactionis relate ad remissionem peccati, nam accipit rationem satisfactionis ex ipsa gratia, adeoque postquam jam remissio peccati est facta per ipsam gratiam. Ita *Suarez* (l. c., n. 16).

Resp. Hanc rationem dissolvimus supra in art. 14 (p. 370–374).

Obj. 3. *S. Thomas, Quaest. Disp. de Veritate, q. 28, a. 8, ad 2,* explicite excludit ab actu contritionis omnem rationem causae efficientis relate ad ipsam destructionem peccati et tantum concedit contritionem hanc rationem habere ut unitam sacramento vel relate ad solam remissionem poenae temporalis. Ad rem ipse: "Poenitentiae sacramentum habet conferre gratiam ex virtute clavium, quibus se poenitens subjicit. Contritio igitur, si secundum se consideretur, non se habet ad gratiam nisi per modum dispositionis; sed si consideretur in quantum habet virtutem clavium in voto, sic sacramentaliter operatur in virtute sacramenti poenitentiae, sicut et in virtute baptismi, ut patet in adulto qui habet sacramentum baptismi in voto tantum. Ex hoc igitur non habetur quod contritio sit causa efficiens remissionis culpae, per se loquendo, sed virtus clavis, vel baptismus. Vel potest dici quod contritio ad remissionem culpae quoad reatum temporalis

poenae se habet per modum causae efficientis; sed quantum ad maculam et reatum poenae aeternae se habet solum per modum dispositionis."

Resp. In tribus memoratis locis Summae et Comm. in Sent. S. Doctor explicite tribuit actui poenitentiae influxum efficientem in destructionem peccati, imo in tertio loco ex Comm. super Sent. assignat ipsam rationem et modum quo ille influxus sit efficiens et operativus, quia scilicet importat satisfactionem pro peccato prout est offensa. Quid ergo? Numquid S. Doctor, scribens Quaest. De Veritate, mutavit sententiam jam expressam in Comm., ut postmodum in Summa Theol. iterum ad eamdem rediret? Non desunt quidem qui hoc asseruerint, ut commode ab hac difficultate sese expedirent. Attamen ipsa littera loci objecti nequaquam cogit ad geminam hanc retractationem fingendam. S. Thomas enim ibi non attendit ad ipsam rationem offensae in peccato, seu ad peccatum prout se habet ex parte Dei, sed tantum ad rationem maculae et poenae aeternae,[1] seu ad peccatum prout se habet ex parte peccatoris et prout aufertur per ipsam gratiae infusionem, ut patet ex titulo articuli et ex processu corporis ejusdem, nuper citati; unde rectissime docet contritionem se habere non efficienter sed tantum dispositive ad remissionem culpae et infusionem gratiae.

Obj. 4 (*contra 2am partem Concl.*). Actus contritionis est aliquis actus physicus ac vitalis, vitaliter et active recedens a peccato. Ergo nihil obstat quominus dicatur active et physice destruere peccatum, ipsa sua positione et exercitio.

Resp. Ex antecedente sequitur tantummodo actum contritionis expellere ab ipsa voluntate (formaliter potius quam efficienter) actum affectus ad peccatum qui directe contrariatur actui contritionis, non vero ipsam maculam peccati, ut probavimus in Concl. et confirmatum audivimus a S. Thoma.

Obj. 5. Actus peccati, in voluntate existens, physice efficienter expellit formam gratiae ab anima. Ergo vicissim actus contritionis, in voluntate existens, potest eodem modo causalitatis expellere formam peccati ab anima.

Resp. *Conc. antec. Neg. cons. et paritas.* Nam peccatum non procedit ab aliqua causa quae jam supponat ablatam gratiam, sed est primus ac-

---

[1] Poena autem juxta S. Thomam debetur peccato non inquantum est offensa sed inquantum est aversio a Deo (sic debetur poena aeterna) et conversio ad creaturam (sic debetur poena sensus et finita); cf. 1–2, q. 87, a. 4; In 4 Sent., dist. 46, q. 1, a. 3, ad 6.

tus contrarius gratiae, immediate procedens ab ipsa voluntate naturali, et primo inducit aliquam formam physicam quae est incompossibilis cum gratia, scilicet aversionem voluntatis a Deo ut ab ultimo fine, ex qua consequitur expulsio gratiae ab ipsa essentia animae, cum gratia sit necessarium et inseparabile fundamentum conversionis ad Deum in ipsa voluntate; destructo enim hoc spirituali aedificio, ruit ipsum fundamentum gratiae cum eo inseparabiliter connexum, quemadmodum, divulso arboris trunco, evellitur quoque radix quae sit cum trunco tenacissime connexa. E converso actus contritionis procedit non a voluntate naturali, nec etiam a voluntate sub auxilio gratiae actualis, quemadmodum attritio, sed ab ipsa gratia sanctificante quae jam ex seipsa formaliter aufert peccatum; unde actus contritionis non inducit aliquam formam physicam incompossibilem cum peccato, cum ea nequeat esse nisi ipsa gratia sanctificans.

Obj. 6. Juxta *S. Thomam*, In 5 Metaph., lect. 2, qui efficienter producit ultimam dispositionem, producit etiam efficienter ipsam formam. Jamvero virtus poenitentiae efficienter producit actum contritionis qui est ultima dispositio ad infusionem gratiae et ablationem maculae peccati. Ergo etiam haec efficienter producuntur a virtute poenitentiae.

Resp. *Dist. mai.:* Si agitur de ultima dispositione quae simpliciter antecedat formam, seu quae non sequatur ab ipsa forma, *concedo, vel transeat* (nam in eo casu, causa dispositionis non necessario est proprie et directe causa ipsius formae, sed vel est tantum causa quod forma uniatur materiae, ut patet in generatione hominis, cujus forma est anima immaterialis, vel est etiam causa ipsius formae, ut contingit communiter, eo quod ceterae formae sint materiales adeoque inveniantur in eodem ordine ipsarum dispositionum quae ex parte materiae accipiuntur); si agitur de ultima dispositione concomitanti aut subsequenti, seu quae prius ordine naturae supponit ipsam formam, *subdist.:* si agens producit hanc dispositionem propria virtute, *concedo;* si eam producit ex virtute ipsius formae, *nego:*

Contradist. min.: Contritio est ultima dispositio antecedens formam gratiae et ab ipsa gratia non procedens, *nego* (nam antecedenter ad gratiam nulla datur dispositio proxima seu infallibiliter appellans gratiam, sed omnes actus etiam supernaturales, eliciti sub sola gratia actuali, ut attritio, sunt dispositiones inferioris ordinis relate ad gratiam sanctificantem, adeoque imperfectae et remotae dispositiones); est ultima dispositio concomitans imo subsequens gratiam, seu quae supponit ipsam gratiam, *subdist.:* est dispositio quae causatur a poenitentia ex propria virtute, distincta a virtute gratiae, *nego;* quae causatur a poenitentia ex virtute ipsius gratiae a qua ipsa poenitentia procedit, *concedo.*

Unde poenitentia causat ultimam dispositionem ad gratiam, seu contritionem, et tamen non causat ipsam gratiam, quia ipsa contritio et ipsa poenitentia causantur a gratia, nec potest aliquid esse causa suae causae. Gratia igitur, efficienter causat virtutem poenitentiae et haec efficienter causat suum actum contritionis, qui, ex parte subjecti seu quatenus est actus liberi arbitrii elicitus sub gratia habituali, veluti metaphysice convertitur ac refluit in ipsam gratiam in ratione solius causae dispositivae.

Obj. 7. *S. Thomas* in q. 85, a. 2, ad 3, simpliciter et absque distinctione asserit virtutem poenitentiae operari efficienter ad destructionem peccati. Ergo id intelligi debet de efficientia physica, quia haec sola est simpliciter dicta efficientia, moralis enim causalitas est causalitas secundum quid dicta, ac propterea thomistae intelligunt in sensu physico verba ejusdem S. Doctoris de causalitate sacramentorum et humanitatis Christi.

Resp. Cum fit sermo absolutus de efficientia et causalitate, haec sumenda sunt in sensu physico nisi sensus moralis exigatur ex ipsa materia de qua agitur, ut contingit in praesenti casu et non contingit quoad sacramenta et humanitatem Christi. Ceterum, S. Thomas non solum simpliciter tribuit causalitatem sacramentis et humanitati Christi, sed ita de ea loquitur ut recte thomistae convincantur ipsum loqui de physica causalitate; e converso causalitatem poenitentiae in peccati remissionem S. Doctor ostendit esse moralem cum ait eam consistere in offerendo Deo compensationem pro offensa (cf. tertium ex supradictis textibus, i.e. In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 1, q. 1, cit. in p. 315 sq.).

ART. 19. Utrum Virtuti Poenitentiae Competat Peculiaris Quaedam Excellentia Inter Alias Virtutes (q. 84, a. 5, ad 2; q. 85, a. 2, ad 2; a. 3, ad 4; a. 6, corp. et ad 3; In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 2, q. 2 et 3).

CONCLUSIO *affirmativa*

Probatur.

Ex hucusque disputatis, praecipue de indole poenitentiae ejusque distinctione ab aliis virtutibus, manifeste patet quasdam peculiares excellentiae rationes ei competere, quae commode ad quatuor capita

revocari possunt, scilicet ad excellentias dignitatis, prioritatis, universalitatis et necessitatis. Quas juverit singillatim enucleare.

PRIMO. DE EXCELLENTIA DIGNITATIS SEU PERFECTIONIS.

Haec respicit ipsam *essentiam* virtutis ac venari debet ex ipso ejus objecto, tum materiali, ex quo aestimatur perfectio secundum quid, tum ac praecipue formali, ex quo desumitur perfectio simpliciter.

Jamvero, si consideratur *objectum materiale* poenitentiae, quod est personale peccatum destruendum seu fugiendum, haec virtus est *secundum quid inferior omnibus aliis virtutibus.* Nam, qua parte consistit in retrahendo a malo, non secus ac ipsae virtutes fortitudinis et temperantiae, ipsa sicut istae adnumeranda est inter imperfectas virtutes, cum de ratione virtutis sit prosequi bonum; qua parte vero respicit personale peccatum ipsius subjecti, secus ac omnes aliae virtutes, adnexam habet novam imperfectionem in ordine virtutis, de cujus ratione est reddere subjectum perfectum (cf. supra, p. 320 sq.). Propterea generatim theologi hanc virtutem excludunt ab anima Christi; imo quidam theologi, illis rationibus plus aequo commoti, negarunt poenitentiae ipsam indolem verae et distinctae virtutis, ut dictum est in art. 12 (cf. sententias Durandi et Cajetani et dicta in resp. ad obj. 1. 2. 3. 4. 5 et praecipue 12).

Si vero consideratur *objectum formale* hujus virtutis, ipsa est simpliciter quidem inferior virtutibus theologicis, *simpliciter vero superior ceteris virtutibus moralibus, inclusa religione, ad exclusionem tamen prudentiae,* a qua ipsa poenitentia dependet, tanquam a prima virtute regulante totum ordinem rationalis moralitatis.

Quod sit inferior omnibus *virtutibus theologicis* patet ex eo quod istae habent ut formale objectum ipsum Deum, qui respicitur a poenitentia tantummodo ut finis, et quidem ut finis cui.[2] Nec refert quod fides et spes tendant in Deum sub quadam ratione imperfecta (i.e. objecti obscuri et absentis) et non necessario supponant conversionem ad Deum ut finem ultimum per gratiam sanctificantem, sicut virtus poenitentiae; nam illae imperfectiones non proveniunt ex ipso objecto formali, adeoque sunt secundum quid.

Quod virtus poenitentiae sit superior virtutibus moralibus quae sunt in appetitu sensitivo, i.e. *fortitudine et temperantia,* patet ex eo quod habet pro objecto tum aliquid proxime connexum cum Deo ut est finis, nempe compensationem divini juris, tum aliquid ordinis

[2] Cf. art. 12, Concl. 4, p. 298 sq. et art. 14, Nota 1, p. 381 sq.

rationalis, nempe operationes,[3] dum objectum illarum virtutum refertur ad Deum tantummodo remote et respicit passiones sensibiles.

Poenitentiam praecellere *justitiam* aliasque virtutes appetitus rationalis, abstrahendo a religione, patet ex eo quod ejus objectum importat immediatum respectum ad Deum tanquam ad finem. Nec refert quod non attingat ad perfectam rationem reddendi jus ad aequalitatem, sicut justitia, nam ex hoc tantum sequitur eam (non secus ac ipsam religionem) esse imperfectam in ratione justitiae, non vero in ratione virtutis.

Ceterum, secundum ipsam rationem justitiae, quae habet pro objecto jus alterius compensandum et complectitur duo elementa, seu rigorosum debitum et aequalem satisfactionem, poenitentia, quamvis non attingat perfectionem ipsius speciei justitiae ob defectum aequalis satisfactionis, superat tamen ipsam virtutem justitiae tum ex parte juris divini quod est supremum et perfecte independens, tum ex parte debiti rigorosi, quod est absolute tale sicut ipsum jus in quo fundatur; imo ipsa satisfactio quae praestatur a poenitentia, quamvis sit deficiens ex parte Dei et in comparatione ad infinitam offensam, est superabundans et maxima ex parte hominis qui offert Deo animum contritum et cor contribulatum, et ipsa ratio alteritatis, quamvis sit nulla ex parte hominis relate ad Deum, est maxima ex parte Dei relate ad hominem, cum homo ita totaliter dependeat a Deo in ordine morali et physico, ut Deus ab eo nullatenus dependeat tam in suo jure quam in suo esse.

Poenitentiam praecellere ipsam *virtutem religionis,* ita ut sit simpliciter prima inter virtutes morales utriusque appetitus sensitivi et rationalis, a quibusdam negatur tum quia religio excellentiori modo videtur servare jus divinum, scilicet positive ac praestando bonum, secus ac poenitentia quae tantum fugit et reparat malum, tum quia ita videtur explicite docere *S. Thomas,* cum ait quod "religio praeeminet inter alias virtutes morales" (2–2, q. 81, a. 6).

Attamen adducta ratio solum ostendit quamdam excellentiam secundum quid ex parte religionis, ut patet tum ex eo quod secus etiam aliae virtutes morales essent excellentiores poenitentia, tum ex eo quod, ut non semel dictum est in superioribus, proprius actus poenitentiae non est actus fugae sed prosecutionis, et formale objectum ejus non est peccatum ut fugiendum sed ut reparandum, jamvero, quamvis abstracte loquendo melius sit jus servare quam illud reparare, simpliciter tamen majus bonum est reparatio laesionis juris divini facta per actum contritionis qui ex ipso amore charitatis procedit, quam reddere honorem Deo per actum religionis, quemadmodum (a majoribus minora

[3] Cf. art. 12, Concl. 5, p. 300 sqq. et resp. ad obj. 17, p. 326–329.

illustrando), quamvis abstracte loquendo melius fuisset quod Adam jus divinum servasset non amittendo gratiam per peccatum, quam quod ejus lapsus repararetur, majus tamen incomparabiliter bonum fuit quod haec laesio divini juris per infinitam satisfactionem Christi repararetur, quam quod jus divinum ab Adamo servaretur, et majus simpliciter bonum est gratia a Christo reparata, quam gratia Adamo primitus collata.

Auctoritas vero S. Thomae frustra invocatur. Nam S. Doctor tantum affirmat praecellentiam religionis relate ad alias virtutes morales utriusque appetitus sensitivi et rationalis de quibus antecedenter ipse locutus fuerat in secunda secundae Summae Theol., ubi omnino siluit de poenitentia ut de ea ageret in tertia parte inter quaestiones de ipso sacramento. Id ceterum apparet tum ex ratione unde ipse repetit excellentiam religionis prae ceteris, quia nempe religio est de his quae immediate referuntur ad Deum (quod quidem convenit etiam poenitentiae) dum aliae virtutes respiciunt res quae mediate tantum referuntur ad Deum, tum ex eo quod in q. 58, a. 12, S. Doctor etiam affirmat "justitiam praecellere inter alias virtutes morales", inter quas absque dubio non intendit includere religionem (cui posterius tribuit excellentiam super alias) et multo minus prudentiam, quam in q. 123, a. 12 et 1–2, q. 61, a. 2, vocat potissimam inter virtutes cardinales.

Quapropter cum aliis theologis, ut *Salmanticensibus* (Comm. in q. 85, a. 6) et *Suarez* (De religione, tract. 2, lib. 3, cap. ultimo), dicendum est poenitentiam ratione sui objecti, seu simpliciter, religionem praecellere.

Quod patet *tum* ex supradicta perfectione sui actus, qui est immediatum objectum habitus; *tum* ex perfectione sui objecti formalis quod est compensatio divinae offensae, per quam tribuitur Deo aliquod bonum ipsi quodammodo, seu moraliter, intrinsecum, extinguendo pro posse infinitam offensam quae se habet ex parte Dei, dum religio offert Deo bonum aliquod ipsi extrinsecum seu honorem (honor enim est in honorante, offensa vero est in offenso, juxta S. Thomam); *tum* ex perfectiori modo respiciendi finem ultimum seu Deum, ex quo praecise *S. Thomas* (2–2, q. 81, a. 6 supra memorato) deducit religionem praecellere aliis virtutibus, nam poenitentia non solum respicit immediate Deum ut finem cui, quod convenit etiam religioni in oppositione ad alias virtutes morales, sed, ob nuper dictam rationem, respicit Deum ut intrinsece connotatum in ratione offensae ejusque compensationis (quin tamen inde sequatur Deum transire in objectum formale hujus virtutis, ut dictum est in art. 12, Concl. 4); *tum* ex universalitate sui objecti materialis, quod cum sit omne peccatum, ambit materiam omnium virtutum.

Quod nihilominus Poenitentia sit inferior prudentia, adeoque quinta inter virtutes et secunda inter morales virtutes, sequitur ex eo quod ejus objectum formale sit imperfectius objecto prudentiae.

Nam ejus objectum non est ipse Deus, ut dictum est, sed bonum rationis, quod, cum sit proprium bonum hominis, est proprium objectum omnis virtutis moralis. Bonum autem rationis competit prudentiae essentialiter et causaliter, cum nequeat essentialiter esse nisi in ratione tanquam in proprio subjecto, et ex ipsius rationis influxu derivetur in appetitum, ita ut aliae virtutes utriusque appetitus nihil aliud sint quam "quaedam dispositio, sive forma, sigillata et impressa in vi appetitiva a ratione",[4] seu quaedam participatio et effectus prudentiae, quae est sola virtus rationis in ordine moralitatis. Jamvero quod est per essentiam praestat eo quod est per participationem, et causa praecellit effectum. Unde prudentia praecellit poenitentiam aliasque morales virtutes, tanquam fons et origo omnis moralitatis.

Ad rem *S. Thomas, 1–2, q. 61, a. 2, corp. et ad 1:* "Numerus aliquorum accipi potest aut secundum principia formalia, aut secundum subjecta; et utroque modo inveniuntur quatuor cardinales virtutes. Principium enim formale virtutis, de qua nunc loquimur, est rationis bonum. Quod quidem dupliciter potest considerari: uno modo secundum quod in ipsa consideratione rationis consistit; et sic erit una virtus principalis, quae dicitur prudentia. Alio modo secundum quod circa aliquid ponitur rationis ordo; et hoc vel circa operationes, et sic est justitia [ad quam pertinent poenitentia et religio]; vel circa passiones, et sic necesse est esse duas virtutes. . . Et similiter secundum subjecta idem numerus invenitur. Quadruplex enim invenitur subjectum hujus virtutis, de qua nunc loquimur; scilicet rationale per essentiam, quod prudentia perficit; et rationale per participationem, quod dividitur in tria, id est, in voluntatem, quae est subjectum justitiae, et in concupiscibilem, quae est subjectum temperantiae, et in irascibilem, quae est subjectum fortitudinis . . . [Unde] prudentia est simpliciter principalior omnibus; sed aliae ponuntur principales, unaquaeque in suo genere."

2–2, q. 123 a. 12: "Sicut Augustinus dicit [De Trin., l. 6, c. 8], 'in his quae non mole magna sunt, idem est esse majus quod melius:' unde tanto aliqua virtus major est, quanto melior est. Bonum autem rationis est hominis bonum, secundum Dionysium [De div. nom., c. 4, p. 4]. Hoc autem bonum essentialiter quidem habet prudentia, quae est perfectio rationis; justitia autem est hujus boni factiva, inquantum scilicet ad ipsam pertinet ordinem rationis ponere in omnibus rebus

[4] *S. Thomas*, Quaest. Disp. De Virtutibus in communi, a. 9; cf. supra, art. 16, Concl. 4, p. 438.

humanis. Aliae autem virtutes sunt conservativae hujus boni, inquantum scilicet moderantur passiones, ne abducant hominem a bono rationis. Et in ordine harum fortitudo tenet locum praecipuum, quia timor periculorum mortis maxime est efficax ad hoc quod hominem faciat recedere a bono rationis: post quam ordinatur temperantia, quia etiam delectationes tactus maxime inter caetera impediunt bonum rationis. Id autem quod essentialiter dicitur, potius est eo quod dicitur effective; et hoc etiam potius est eo quod dicitur conservative secundum remotionem impedimenti. Unde inter virtutes cardinales est potior prudentia, secunda justitia, tertia fortitudo, quarta temperantia; et post has caeterae virtutes."

Etiam hic, in *3 parte, q. 85, a. 3, ad 4,* S. Doctor, agens directe de poenitentia, superioritatem prudentiae relate ad eam aequivalenter exprimit, inquiens: "Inquantum est virtus moralis, [Poenitentia] participat aliquid prudentiae, quae est directiva omnium moralium virtutum".

SECUNDO. DE EXCELLENTIA PRIORITATIS (q. 85, a. 6).

Haec respicit *existentiam* virtutis ejusque actus, ac venari debet ex modo infusionis habitus et elicientiae actus. Hanc rationem prioritatis et posterioritatis inter virtutes infusas explicite et directe considerat *S. Thomas* in hoc *a. 6,* docens quae sequuntur.

Si comparatur nempe poenitentia cum aliis virtutibus quantum ad ipsos habitus, seu quantum ad habituum infusionem, nulla est prioritas temporis, cum omnes virtutes in eodem instanti simul infundantur, quamvis detur aliquis ordo naturae, ut dictum est in art. 17 (p. 444), qui tandem aliquando desumitur ex ipsa relatione ad actus.

Si vero comparatio fit inter actus, quatenus nempe actus unius virtutis praesupponit actum alterius, poenitentia est *prior ordine temporis quam aliae virtutes morales, quia* actus poenitentiae est primus qui occurrit in justificatione impii, per quam ceterae virtutes una cum gratia introducuntur (actus enim qui contritionem praecedunt, i.e. actus timoris, dilectionis initialis et attritionis, non sunt proprie actus virtutum supernaturalium sed tantum actus laudabiles et supernaturales eliciti sub gratia actuali); non tamen est prior tempore sed simultanea cum virtutibus theologicis, cum ipsa contritio procedat ex actu charitatis, seu ex actu fidei et spei charitate informato (imo poenitentia est posterior fide et spe informi).

Ordine vero naturae poenitentia est posterior tum virtutibus theologicis, nam in justificatione impii actus liberi arbitrii in peccatum, seu contritio, est posterior actu liberi arbitrii in Deum, seu actu fidei charitate informato, cum ab hoc ipse procedat, tum etiam virtutibus

moralibus, nam "quod est per se, est prius eo quod est per accidens; . . . aliae [autem] virtutes per se videntur esse necessariae ad bonum hominis; poenitentia autem, supposito quodam, scilicet peccato praeexistenti, sicut etiam dictum est (qu. lxv, art. 2, in corp. et ad 4) circa ordinem sacramenti poenitentiae ad alia sacramenta praedicta."

Ratione praedictae prioritatis temporis *Poenitentia dici potest fundamentum vitae spiritualis.*

S. Thomas, adductis verbis Apostoli ad Hebr. 6, 1: "Non rursum jacentes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis", id sic probat: "Fundamentum est prima pars aedificii. Sed primum quod est in aedificatione spirituali, est aedificium satanae destruere; quod poenitentia facit. Ergo poenitentia est fundamentum." Dein, instituens comparationem inter varias virtutes quae fundamentum dicuntur, S. Doctor sic prosequitur: "Fundamentum dicitur in spiritualibus ad similitudinem corporalis fundamenti; quod duas habet proprietates. Prima est quod ipsum est prima pars aedificii; alia est quod fundamento totum aedificium sustentatur; et ideo in spiritualibus fundamentum dicitur aliquid vel ratione prioritatis, vel ratione conservationis et sustentationis aliorum, aut etiam ratione utriusque. Prioritas autem attenditur dupliciter. Uno modo quantum ad disciplinam spiritualium; et sic illa quae primo occurrunt edocenda in christiana religione, fundamentum dicuntur, Heb., vi. Alio modo quantum ad vitam spiritualem; et sic *fides* dicitur simpliciter fundamentum primum; sed *timor et poenitentia* in genere eorum quae ad affectum pertinent quantum ad fugam mali; *caritas* autem quantum ad prosecutionem boni, prout dicitur Ephes., iii, 17: 'In caritate radicati et fundati'. Sed ratione sustentationis, in prosperis dicitur *humilitas* fundamentum, in adversis autem *fortitudo.* Poenitentia autem et timor in recedendo a malo, diversimode sunt fundamenta; quia timor est primum in isto toto genere quod est recedere a malo; sed poenitentia quantum ad hanc speciem quae est recedere a malo commisso, et ideo etiam timor praecedit poenitentiam; sicut principia generis praecedunt principia speciei" (In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 2, q. 3, Sed contra et solutio).

TERTIO. DE EXCELLENTIA NECESSITATIS.

Haec respicit *finem* et provenit ex ipso influxu quem poenitentia habet in justificationem, per quam producitur gratia generatrix omnium virtutum.

Ut enim dictum est in art. praec., actus contritionis est, per se saltem loquendo seu juxta leges ordinatae potentiae Dei, necessaria et proxima dispositio physica ad hoc ut infundatur gratia et necessaria causa moraliter efficiens destructionis peccati sub ratione offensae.

Actus autem aliarum virtutum moralium ad eos effectus non concurrunt, quin potius justificationem subsequantur; actus vero ipsarum virtutum theologicarum, nominatim charitatis, eatenus concurrunt quatenus ad actum contritionis eliciendum praerequiruntur; ipse etiam actus charitatis, qui per se solus valeret justificare in casu quo desit actus explicitus contritionis, id non efficeret nisi prout virtualiter continet contritionem reparativam et satisfactivam.

Ad rem *S. Thomas, q. 85, a. 6, ad 3:* "Poenitentia aperit aditum virtutibus, expellendo peccatum per virtutem fidei, spei et charitatis, quae sunt naturaliter priores; ita tamen aperit eis aditum quod ipsae simul intrant cum ipsa; nam in justificatione impii simul cum motu liberi arbitrii in Deum et in peccatum, est remissio culpae et infusio gratiae, cum qua simul infunduntur omnes virtutes, ut in secunda parte habitum est (1 2, qu. lxv, art. 3)."

QUARTO. DE EXCELLENTIA UNIVERSALITATIS SEU GENERALITATIS (q. 85, a. 2, ad 3; a. 3, ad 4).

Poenitentia recte vocatur quaedam *generalis virtus,* non quatenus sit aggregatio quaedam omnium virtutum aut generalis earum conditio, cum sit distincta et specifica virtus, sed quatenus in sua specifica indole, influxu et objecto colligit quodammodo characteres, influxum et objecta ceterarum virtutum.

Et imprimis, poenitentia *in sua ipsa essentia* ostendit characteres affinitatis cum ceteris virtutibus. Inquantum enim immediate refertur ad Deum, et quidem intimius quam ipsa religio, ut supra dictum est, convenit cum virtutibus theologicis, quamvis sistat ad portam istarum, cum non habeat Deum ut specificum objectum sed tantum ut immediatum finem et intrinsecum connotatum. Inquantum vero est specifice virtus moralis, refert in se sigillum prudentiae, sicut et aliae virtutes morales. Inquantum est quaedam justitia, seu imperfecta species in linea justitiae, refert in se formalem indolem justitiae et assimilatur quantum potest principali suo analogato; mediante autem hac affinitate cum justitia, assumit quoque characteres fortitudinis et temperantiae, quatenus ad justitiam quoque pertinet sustinere dura et abstinere a delectabilibus, quae sunt proprium objectum illarum virtutum.

Ad rem *S. Thomas, q. 85, a. 3, ad 4:* "Poenitentia, licet sit directe species justitiae, comprehendit tamen quodammodo ea quae pertinent ad omnes virtutes; inquantum enim est justitia quaedam hominis ad Deum, oportet quod participet ea quae sunt virtutum theologicarum, quae habent Deum pro objecto. Unde poenitentia est cum fide passionis Christi, per quam justificamur a peccatis, et cum spe veniae, et cum odio vitiorum, quod pertinet ad charitatem. Inquantum vero est virtus moralis, participat aliquid prudentiae, quae est directiva omnium moralium virtutum; sed ex ipsa ratione justitiae non solum habet id quod justitiae est, sed etiam ea quae sunt temperantiae et fortitudinis, inquantum scilicet ea quae delectationem causant ad temperantiam pertinentem, vel terrorem incutiunt, quem fortitudo moderatur, in communionem justitiae veniunt. Et secundum hoc ad justitiam pertinet et abstinere a delectabilibus, quod pertinet ad temperantiam, et sustinere dura, quod pertinet ad fortitudinem."

Praeterea, poenitentia *in suo ipso influxu* colligit quodammodo influxum ceterarum virtutum, idque tum passive, tum active, tum etiam formaliter.

Passive quidem, quatenus actus contritionis exigitur vel imperatur ab aliis virtutibus, et maxime a charitate. Ad rem *S. Thomas, In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 2, q. 2, ad 5:* "Primus motus poenitentiae praecedit motus aliarum virtutum. Sed non est inconveniens ut motus aliarum virtutum quandoque causent aliquos motus poenitentiae; sicut aliquis ex amore temperantiae, de luxuria praecedente motum poenitentiae habet: quia etiam interdum ex virtute sequente motus praecedentis virtutis oritur; sicut quis movetur in amorem Dei, qui castitatem praecipit, ex hoc quod castitas ei placet."

Active etiam, quatenus actus contritionis exigit antecedenter, seu ad ipsam sui elicientiam, actum virtutum theologicarum, maxime charitatis, et imperat subsequenter actus virtutum jam infusarum eosque dirigit ad proprium finem poenitentialem, praecipue sub forma confessionis sacramentalis, satisfactionis pro poenis et variorum actuum quibus traducitur in re ipsum propositum non peccandi de cetero, inclusum in actu contritionis. Imo id est proprium poenitentiae, prae aliis virtutibus moralibus, ut exigat ad elicientiam sui actus actum virtutum theologicarum, dum ad elicientiam actus ceterarum sufficit ipsa virtus et influxus prudentiae.

Formaliter tandem, quatenus poenitentia in suo actu universalis detestationis peccati colligit quodammodo omne particulare odium sui contrarii quod est proprium uniuscujusque virtutis, et in ipso suo dolore satisfactivo et justificativo implet et complet intimas exigentias aliarum virtutum, quas ipsae explere non possunt, vel quia non sunt, vel quia ad eas per proprium actum attingere non possunt. Quaelibet enim virtus intime contrariatur propriae expulsioni a subjecto ac veluti appetit ad vitam revocari, si extinguatur, per destructionem particularis peccati sibi contrarii; ex amore similiter quo fertur in proprium bonum, omnis virtus quasi radicaliter appellat et implicite imperat detestationem contrarii peccati, etiam sub ea universali ratione sub qua peccatum a seipsa detestari non potest. Praeterea exigit fides ut

per virtutem passionis Christi homo quaerat justificari a peccatis; exigit charitas ut quis doleat de offensa in amicum commissa; exigit prudentia ut quis propriae saluti consulat; exigit justitia ut res deordinatas per peccatum ad rectum aequilibrium per contritionis compensationem restituatur; exigit misericordia ut quis propriae spirituali miseriae subveniat. Quae quidem omnia solus poenitentiae actus praestare potest.

Ad rem *S. Thomas, q. 84, a. 5, ad 2:* "Ex quo aliquis peccatum incurrit, charitas, fides et misericordia non liberant hominem a peccato sine poenitentia. Requirit enim charitas quod homo doleat de offensa in amicum commissa, et quod amico homo studeat satisfacere: requirit etiam ipsa fides ut per virtutem passionis Christi, quae in sacramentis Ecclesiae operatur, quaerat justificari a peccatis; requirit etiam et ipsa misericordia ordinata ut homo subveniat poenitendo suae miseriae, quam per peccatum incurrit, secundum illud Proverb. cap. xiv, 34: 'Miseros facit populos peccatum'; unde Eccli. xxx, 24 dicitur: 'Miserere animae tuae, placens Deo'."

Praeterea, poenitentia *sub suo objecto,* quod est peccatum ut sic seu ut offensa Dei, colligit quodammodo objecta ceterarum virtutum, ex parte nempe contrariorum, seu particularium peccatorum in materia uniuscujusque virtutis. Et sic est generalis virtus, habens generalem, imo universalem materiam, ac invadens totum campum moralitatis quoad partem suam privativam; quo universalitatis genere caret ipsa charitas quoad partem positivam campi moralitatis, cum ipsa solum valeat imperare, non vero elicere, actus respicientes bonum proprium uniuscujusque virtutis (q. 85, a. 2, ad 2).

ART. 20. Utrum Virtus Poenitentiae Convenienter Dividatur In Tres Partes Subjectivas Accidentales, Scilicet Poenitentiam Ante Baptismum, Poenitentiam Mortalium Et Poenitentiam Venialium (q. 90, a. 4; In 4 Sent., dist. 16, q. 1, a. 2, q. 1 et 5).

STATUS QUAESTIONIS

Agitur de quadam vulgata divisione virtutis poenitentiae, ab *Augustino* bis allata et explicata (Serm. 351, 2–4 et Serm. 352, cit. in art. 1, p. 121 sq.), quae, utut accidentalis, theologicam S. Thomae considerationem ita attraxit, ut ei duplicem specialem articulum consecraverit, alterum in Commento super Sententias, alterum in Summa Theologica, qui fuit ultimus articulus hujus operis immortalis et ultima sententia S. Doctoris proxime morituri.

CONCLUSIO *affirmativa*

Probatur 1. *Ex diverso proposito immutandi vitam,* quod est "quasi poenitentiae finis".

Q. 90, a. 4: "Pertinet [enim] . . . ad poenitentiam ut detestetur peccata praeterita cum proposito immutandi vitam in melius, quod est quasi poenitentiae finis. Et quia moralia recipiunt speciem secundum finem, ut in secunda parte habitum est (1 2, qu. i, art. 3, et qu. xviii, art. 4 et 6), conveniens est quod diversae species poenitentiae accipiantur secundum diversas immutationes, quas poenitens intendit.

"Est autem triplex immutatio a poenitente intenta: prima quidem per regenerationem in novam vitam, et haec pertinet ad poenitentiam quae est ante baptismum; secunda autem immutatio est per reformationem vitae praeteritae jam corruptae, et haec pertinet ad poenitentiam mortalium post baptismum; tertia autem immutatio est in perfectiorem operationem vitae, et haec pertinet ad poenitentiam venialium, quae remittuntur per aliquem ferventem actum charitatis, ut supra dictum est (qu. lxxxvii, art. 2 et 3)."

Probatur 2. *Ex diversa conditione subjecti poenitentis.*

In 4 Sent., dist. 16, q. 1, a. 2, q. 5: "Istae partes poenitentiae distinguuntur secundum diversos modos quibus poenitentia agitur; unde sunt partes subjectivae virtutis, non poenitentiae [ut est] sacramentum, quamvis aliae duae ad poenitentiam, secundum quod est sacramentum, pertinere possint. Et accipiuntur isti modi secundum diversum statum poenitentis; quia aut est extra Ecclesiam etiam numero, et sic est prima poenitentia quae est ante baptismum; aut est extra merito, sed non numero; et sic est secunda, quae est de mortalibus; aut omnino est intra Ecclesiam; et sic competit ei tertia, quae est de venialibus."

Haec divisio non est essentialis, nec ejus membra dici possunt partes potentiales, aut subjectivae, aut etiam integrales ipsius essentiae virtutis (juxta dicta in art. 12, p. 306), quia accipiuntur non ex parte objecti formalis, aut actus specifici, aut finis adaequati hujus virtutis, satisfactio enim pro offensa Dei, actus contritionis et divina reconciliatio involvuntur in omni poenitentia, tam ante quam post Baptismum, tam de mortalibus, quam de venialibus; sed est *divisio accidentalis,* desumpta tum ex parte objecti materialis, seu peccatorum, et finis inadaequati, seu immutationis vitae, tum magis directe ex parte actus secundarii, seu propositi, et diversi status seu conditionis subjecti poenitentis.

Nec proinde refert quod *S. Thomas* praedictas partes vocet partes subjectivas, imo species poenitentiae, atque addat speciem in moralibus desumi ex fine; nam haec omnia bene accommodantur ac dici possunt etiam de elemento accidentali alicujus virtutis, quatenus concipitur ad modum unius, perfecte divisibilis in plures quasi species juxta diversum modum se habendi ad finem aliquem inadaequatum. Propterea fortasse S. Doctor propositum mutandi vitam vocat "quasi poenitentiae finis", ut inde facilius intelligatur praedictas partes poenitentiae non esse proprie species, sed quasi species, seu diversos modos inter se specifice distinctos intra lineam accidentis.

Exinde tamen nequaquam deprimitur momentum hujus divisionis, cum ipsa, quamvis accidentalis, proximius ad essentialem accedat, eo quod desumatur praecipue ex parte finis, ex quo derivatur species et essentia in moralibus; ceterae vero accidentales divisiones quae possunt virtuti poenitentiae assignari, ut — poenitentia formalis vel virtualis, interior vel exterior, non sacramentalis vel sacramentalis, baptismalis vel confessionalis, extra Ecclesiam vel intra Ecclesiam —, aut non aeque dividunt genus aut sunt tam accidentales et ab essentia virtutis remotae ut non vacet eas directe considerare, cum de accidentibus non curet sapiens.

DICES. Praedicta divisio in tres partes poenitentiae est inconveniens et illogica quia tertium membrum non opponitur primo, eo quod etiam ante Baptismum possit esse poenitentia de venialibus. Unde poenitentia dividi deberet in duo membra, scilicet in eam quae praecedit Baptismum et eam quae subsequitur, et utrumque hoc membrum subdividendum esset in poenitentiam de mortalibus et poenitentiam de venialibus; aut posset divisio institui inverso modo, scilicet in poenitentiam de mortalibus et poenitentiam de venialibus, utramque subdividendo in antebaptismalem et postbaptismalem.

RESP. S. Thomas dupliciter hanc objectionem dissolvit; primo radicaliter, negando tum quod possit dari peccatum veniale ante Baptismum, tum quod posset remitti veniale sine mortali; secundo, supposita et non concessa existentia aut remissione peccati venialis ante Baptismum, negando paritatem inter peccatum veniale ante et post Baptismum in ordine ad diversificandum statum poenitentis; nam tantummodo post Baptismum peccator venialiter et peccator mortaliter diverso modo se habent relate ad Ecclesiam, ita scilicet quod alter sit extra, alter vero intra corpus mysticum Ecclesiae.

Q. 90, a. 4, ad 3: "Ante baptismum non sunt peccata venialia sine mortalibus. Et quia veniale sine mortali dimitti non potest, ut supra dictum est (qu. lxxxvii, art. 4), ideo ante baptismum non distinguitur poenitentia mortalium et venialium."

In 4 Sent., dist. 16, q. 1, a. 2, q. 5, ad 1: "Status hominis ante baptismum non diversificantur per veniale et mortale quantum ad hoc quod est esse de Ecclesia vel non esse; sed diversificantur per veniale et mortale post quia per mortale post baptismum commissum, efficitur aliquis extra Ecclesiam merito, sed non per veniale; et ideo non est similis ratio."

Suarez vero duo facit: primo dubitat de veritate responsionis S. Thomae, maxime quoad primum assumptum, scilicet non posse dari peccatum veniale ante Baptismum; secundo, quasi difficultate oppressus, proponit aliam interpretationem supradictorum locorum Augustini, juxta quam nempe hic loqueretur de diversis modis non interioris sed exterioris poenitentiae, quibus Ecclesia subvenit peccatoribus, scilicet disciplina catechumenorum, confessione sacramentali et variis sacramentalibus aliisque auxiliis ad extinctionem peccatorum venialium ordinatis. Quae explicatio totaliter evacuat doctrinam *S. Thomae* et inepte ac arbitrarie interpretatur sententias *Augustini*, qui, ut patet ex simplici lectione illorum locorum, non de alia agit poenitentia quam de interiori, quae ad vitae immutationem ordinatur.

Ad rem ipse *Suarez:* "Respondet D. Thomas . . . [quod] ante baptismum non sunt peccata venialia sine mortalibus, neque etiam possunt auferri sine mortalibus. Circa quam responsionem *Scotus* et alii objiciunt contra secundum principium assumptum. Sed illud nos in superioribus definivimus, et ostendimus, quoties veniale peccatum conjunctum est mortali, nunquam auferri, saltem de lege ordinaria, sine mortali. Major nobis difficultas est in alio principio, scilicet, quod ante baptismum non possit esse peccatum veniale sine mortali. Et ratio dubitandi sumitur ex 1 2, quia non oportet ut primum peccatum hominis non baptizati pervenientis ad usum rationis sit peccatum mortale, sicut nec in homine jam baptizato in infantia idem videtur necessarium. Sed D. Thomas ad hoc responderet negando assumptum. Qui vero nollet ad illam coarctari doctrinam, *quia revera difficilis est et rigorosa*, posset in praesenti dicere, perinde esse, quod peccatum veniale sit conjunctum originali, vel mortali, nam sine illo remitti non potest. Atque ita semper tollitur per illud remedium, quo tollitur peccatum mortale, vel originale, sive hoc sit poenitentia, sive non; et ideo non oportuit assignare poenitentiam, quae sit remedium venialium peccatorum."[5]

"Magis *juxta mentem Augustini* rem explicando, dicendum censeo,

[5] Comm. in 3 p., q. 90, a. 4, n. 7, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 288.

Augustinum non distinxisse actus poenitentiae secundum se, sed modos exterioris poenitentiae, quos instituit, vel habet Ecclesia ad subveniendum peccatori; quia secundum se et parum distinguuntur poenitentia venialium, vel mortalium peccatorum, et eo modo etiam ante baptismum distinguuntur. . . Si vero sit sermo de poenitentia exteriori, solum potest esse diversitas, quia gravior postulatur, magisque necessaria est de mortalibus, quam de venialibus peccatis. Et haec omnia vera sunt tam ante baptismum, quam post baptismum, et tam tempore legis gratiae, quam scriptae, ante, vel post circumcisionem, et in tempore legis naturae, ante, vel post remedium originalis peccati. Ac denique, etiamsi nullum fuisset originale peccatum, haberet locum ille distinctionis modus. Non ergo de ea re locutus est Augustinus, sed distinxit tres actus seu modos poenitentiae, quos pro diversis hominibus Ecclesia exercet. Unus est pro catechumenis, quos Ecclesia praeparat ad baptismum per actus aliquos poenitentiae exterioris, ne obicem ponant. . . Alius modus poenitentiae est pro hominibus jam baptizatis, mortuis tamen spiritualiter. Et haec poenitentia proprie ac per se consistit in confessione, et satisfactione sacramentali. . . Tertium genus hominum est, qui et baptizati sunt, et justi, qui re et merito dicuntur esse viva membra Ecclesiae, et quia hi saepius venialiter delinquunt, ideo pro his leviora remedia sunt instituta . . .; et haec specialiter vocatur poenitentia venialium peccatorum. Et ita est facilis divisio, et ratio, ob quam post baptismum distincta fuerint ab Augustino illa duo membra, et non antea."[6]

Instes. Potest saltem esse peccatum veniale in eo qui justificatur ante Baptismum per actum contritionis. Ergo non est recta responsio S. Thomae ac in rigore subsistit allata objectio contra praefatam divisionem poenitentiae in tres partes.

Resp. Omisso quod ad dissolvendam hanc instantiam maneret secunda ratio, adducta a S. Thoma in Commento, de differentia inter peccatum veniale ante Baptismum et peccatum veniale post Baptismum, dicimus et supponimus ex S. Thoma in Summa quod in eo casu peccatum veniale est post Baptismum non in re sed in voto susceptum. Praefata enim divisio poenitentiae in tres partes non accipitur formaliter ex ordine ad sacramentum Baptismi, sed ad tres modos mutationis vitae, quorum primus, seu regeneratio in novam vitam, pertinet ad Baptismum in re vel in voto.

[6] L. c., n. 9 sq., p. 289.

ART. 21. Utrum Poenitentia Debeat Esse Continua Et Durare Usque Ad Finem Vitae (q. 84, a. 8 et 9; Suppl., q. 4, a. 1 et 2; In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 4; dist. 17, q. 2, a. 4).

CONCLUSIO *affirmativa*

Probatur.

Poenitentia quidem exterior, seu sive dolor sensibilis, a virtute imperatus, sive poenalis satisfactio, a virtute elicita, non oportet quod duret usque ad finem vitae sed tantum ad aliquod determinatum tempus, juxta mensuram peccati.

Poenitentia vero interior, si consideretur secundum *habitum,* debet esse continua et durare usque ad finem vitae, tum quatenus homo nihil agere debeat quo per peccatum expellatur ipse habitus, tum quatenus homo habeat in ipsa habitus dispositione tale propositum ut pro semper ei peccata praeterita displiceant.

Si vero consideratur secundum *actum,* poenitentia nequit esse continua, cum necesse sit ut actus poenitentiae ad minus intermittatur somno et aliis quae ad necessitatem corporis pertinent. Oportet tamen ut duret usque ad finem vitae, non quidem positive, eo sensu quod quis semper teneatur positivum actum displicentiae elicere, vel quod debeat conari peccata in memoriam revocare eaque consequenter detestari (nam homo non obligatur nisi ad semel poenitendum de peccato), sed negative, eo sensu quod quis nunquam eliciat actum complacentiae de peccatis. Nec etiam quis tenetur ad eliciendum actualem et positivum actum displicentiae quoties de facto *peccata praeterita occurrunt memoriae,* ut docuerunt quidam antiqui (v.g. *Alex. Halensis* et *Biel*), sed per se (i.e. nisi aliunde sit periculum complacentiae, quod nequeat congruenter averti nisi ponendo positivum actum displicentiae) sufficit ut ponat aliquem actum quo impeditur vel praevenitur complacentia peccati, ut si positive mentem avertat a consideratione illorum peccatorum.[7]

Ceterum, nemo negabit positivum actum displicentiae esse convenientissimum per se et ut in pluribus (nisi nempe ipsa cogitatio peccati induceret periculum complacentiae in ipsum, ut saepe accidit in materia castitatis), et quidem ipsis animabus perfectioribus, maxime ex eo quod per repetitum propositum non peccandi, quod in actu poeniten-

[7] Hanc quaestionem fusius evolvunt *Cajetanus,* In q. 84, a. 8; Opusc. t. 1, tract. 17 (edit. lugdun., 1563; cf. etiam in editione leonina Operum S. Thomae, t. 12, p. 376); *Suarez,* Disp. 15, sect. 4, n. 2 sqq.; *Salmanticenses,* Comm. in q. 84, a. 9; et Disp. 5, dub. 7, § 4, n. 283 sqq.

tiae necessario continetur, magis elongatur voluntas ab expedita possibilitate peccati, quae inseparabiliter comitatur animas viatrices, quantumvis perfectas (cf. a. 8, ad 2). Inde frequentes ipsius Scripturae exhortationes ad diuturnam poenitentiam; Psal. 50, 3–5: "Miserere mei, Deus . . . quoniam peccatum meum contra me est semper"; Psal. 6, 7: "Laboravi in gemitu meo; lavabo per singulas noctes lectum meum; lacrymis meis stratum meum rigabo."

Ad rem *S. Thomas, Suppl., q. 4, a. 1:* "In contritione . . . est duplex dolor; unus rationis, qui est detestatio peccati a se commissi; alius sensitivae partis, qui ex isto consequitur. Et quantum ad utrumque contritionis tempus est totius vitae praesentis status. Quandiu enim est aliquis in statu viae, detestatur incommoda quibus a perventione ad terminum viae retardatur vel impeditur. Unde cum per peccatum praeteritum vitae nostrae cursus in Deum retardetur, quia tempus illud quod erat deputatum ad currendum, recuperari non potest, oportet quod semper in vitae hujus tempore status contritionis maneat, quantum ad peccati detestationem. Similiter etiam quantum ad sensibilem dolorem, qui ut poena a voluntate assumitur: quia enim homo poenam aeternam peccando meruit, et contra aeternum Deum peccavit, debet poena aeterna in temporalem mutata, saltem dolor in toto hominis aeterno, id est, in statu hujus vitae, manere. Et propter hoc dicit Hugo de Sancto Victore [potius Anonymus auctor Summae Sententiarum, c. 11], quod 'Deus absolvens hominem a culpa et poena aeterna, ligat eum vinculo perpetuae detestationis peccati.'"

Dices 1. Ad poenitentiam pertinet dolor seu tristitia. Jamvero jubemur expellere tristitiam etiam de peccatis, "ne forte [quis] abundantiori tristitia absorbeatur", juxta 2 Cor. 2, 7. Ergo jubemur poenitentiam intermittere.

Resp. "Secundum Philosophum [Ethic., l. 2, c. 3. 6. 7. 9], ad virtutem pertinet tenere medium in passionibus. Tristitia autem quae in appetitu sensitivo poenitentis consequitur ex displicentia voluntatis, passio quaedam est; unde moderanda est secundum virtutem, et ejus superfluitas est vitiosa, quia inducit in desperationem; quod significat Apostolus ibidem dicens: 'Ne majori tristitia absorbeatur qui hujusmodi est'. Et sic consolatio de qua ibi Apostolus loquitur, est moderativa tristitiae, non autem totaliter ablativa."

Dices 2. Homini a peccatis justificato licet in sua justitia gaudere, imo jubetur gaudere (Phil. 4, 4) ac servire Domino in laetitia (Psal. 99, 1). Jamvero, juxta Philosophum (Ethic., 9, 4), gaudium excludit contrariam tristitiam et dolorem, qui est proprius actus poenitentiae. Ergo poenitentia nequit esse continua, quinimmo, loco iterum poenitendi, oporteret potius semel actam poenitentiam convertere in objectum gaudii, cum debeamus gaudere de omni opere bono.

Resp. Gaudium et dolor, quamvis non possint simul esse in appetitu sensitivo, eo quod sensus sit determinatus ad unum, possunt simul inveniri in universali amplitudine voluntatis, dummodo non sint de eodem formaliter objecto, seu de eodem secundum idem; unde potest quis, dum dolet de peccatis, gaudere tum de aliis objectis, tum etiam de ipso dolore peccati, ita ut simul doleat se peccasse et gaudeat quod doleat se peccasse; sic enim ipse dolor fit materia et objectum gaudii.

Ad rem *S. Thomas:* "De dolore et gaudio dupliciter loqui possumus: uno modo secundum quod sunt passiones appetitus sensitivi; et sic nullo modo possunt esse simul, eo quod sunt omnino contrariae, vel ex parte objecti (puta cum sunt de eodem), vel saltem ex parte motus cordis; nam gaudium est cum dilatatione cordis, tristitia vero cum constrictione, et hoc modo loquitur Philosophus.

"Alio modo possumus loqui de gaudio et tristitia secundum quod consistunt in simplici actu voluntatis, cui aliquid placet vel displicet; et secundum hoc non possunt habere contrarietatem, nisi ex parte objecti, puta cum sunt de eodem et secundum idem; et sic non possunt simul esse gaudium et tristitia, quia non potest simul idem secundum idem placere et displicere. Si vero gaudium et tristitia sic accepta non sint de eodem secundum idem, sed vel de diversis, vel de eodem secundum diversa, sic non est contrarietas gaudii et tristitiae; unde nihil prohibet hominem simul gaudere et tristari: puta si videamus justum affligi, simul placet nobis ejus justitia, et displicet ejus afflictio. Et hoc modo simul potest alicui displicere quod peccavit, et placere quod hoc ei displicet cum spe veniae, ita quod ipsa tristitia sit materia gaudii. Unde et Augustinus [seu Anonymus auctor libri de vera et falsa poenitentia, c. 13]: 'Semper doleat poenitens, et de dolore gaudeat.'

"Si tamen tristitia nullo modo compateretur sibi gaudium, per hoc non tolleretur habitualis continuitas poenitentiae, sed actualis" (a. 9, ad 2; cf. In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 4, q. 2).

ART. 22. Utrum Poenitentia Sit Necessaria, Necessitate Tam Medii Quam Praecepti (q. 84, a. 7, corp. et ad 1; q. 85, a. 1, Sec contra; q. 86, a. 2; q. 87, a. 1; 1–2, q. 109, a. 8; 2–2, q. 14, a. 2; Suppl., q. 6, a. 5, corp. et ad 2 et 3; In 2 Sent., dist. 43, q. 1, a. 3, ad 3; In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 3, ad 1; q. 2, a. 4, ad 2; dist. 22, q. 2, a. 3, q. 1, ad 2; Quodlib. 1, a. 11).[8]

---

[8] Cf. *Cajetanum,* Opusc., tom. 1, tract. 17, edit. Lugd., 1563 (cf. in editione leonina operum S. Thomae, t. 12, p. 376 sqq.); *Salmanticenses,* Disp. 5, dub. 6 et 7; *Billuart,*

STATUS QUAESTIONIS

Agitur de ultima proprietate virtutis poenitentiae (vel potius actus ejus), desumpta ex parte finis.

Duplex agitatur quaestio: Prima est *de necessitate medii*, quae sumitur relate ad finem justificationis obtinendae, et consequenter salutis attingendae, atque hic attenditur tantum secundum praesentem ordinem Providentiae, nam utrum in alio ordine vel juxta potentiam Dei absolutam homo adultus posset justificari absque motu poenitentiae, imo generalius absque ulla actuali ejus dispositione, aptius disputatur in tractatu De Gratia (ubi de dispositionibus ad justificationem requisitis). Altera quaestio est *de necessitate praecepti*, quoad ejus existentiam, indolem et tempus; in qua quidem consideratur principaliter necessitas quae competit poenitentiae per se et ratione sui, secundario vero necessitas quae ei competit per accidens et ratione alterius virtutis vel obligationis quae non possit observari nisi praeponatur actus poenitentiae.

Distincte autem *OCTO QUAERUNTUR:*

1. Utrum poenitentia sit stricte necessaria ad consequendam justificationem.
2. Utrum sit de necessitate medii, ita ut ab ejus omissione non excuset ignorantia vel impotentia.
3. Utrum sit de necessitate praecepti, ita ut detur formale et distinctum praeceptum poenitendi.
4. Utrum praeceptum poenitendi sit de jure divino non tantum positivo sed etiam naturali.
5. Utrum hoc praeceptum obliget per se immediate post commissum peccatum.
6. Utrum obliget per se in articulo mortis.
7. Utrum obliget per se etiam citra articulum mortis, et intra aliquod temporis spatium post commissum peccatum.
8. Utrum per accidens obliget etiam in pluribus aliis circumstantiis.

Quaecumque hic dicuntur valent principaliter et directe de necessitate poenitentiae ad justificationem seu ad remissionem peccatorum mortalium; quaestio enim de venialium remissione aptius agitabitur infra in Cap. VIII, cum agetur de effectu sacramenti.

Diss. 4, a. 3; *Suarez*, Disp. 9, sect. 1; disp. 15, sect. 1–6; *Lugo*, Disp. 7, sect. 10–13; *Wirceburgenses*, De Poenit., disp. 1, c. 4; *S. Alphonsum*, De Poenit., c. 1, dub. 2, n. 437 (edit. Gaudé); *Galtier*, De Poenitentia, thes. 3.

PARS NEGATIVA et PARS AFFIRMATIVA

Nota theologica.

Poenitentiam esse stricte necessariam ad justificationem est de *fide definita*.

Eam esse de necessitate medii, ita ut ab ejus omissione non excuset ignorantia vel impotentia, non videtur sine *temeritate* negari posse.

Dari distinctum praeceptum poenitentiae, non videtur sine *aliqua temeritate* negari posse, si attendatur communissima sententia theologorum.

SENTENTIAE.

QUOAD PRIMAM QUAESTIONEM, seu *quoad necessitatem actus poenitentiae* ad justificationem, radicaliter opponuntur *Protestantes*, quatenus docent contritionem, intellectam in sensu catholico, non solum non esse necessariam ad justificationem sed esse prorsus oppositam justificationi, utpote quid immorale, reddens hominem magis peccatorem et hypocritam, atque unicum actum ad justificationem disponentem, esse fiduciam in Christum (cf. art. 10 et 11).

Affirmat vero *fides catholica* definita in *Conc. Trid.:*

Sess. 6: "Ad suam ipsorum iustificationem [adulti] . . . gratiae libere assentiendo et cooperando, disponuntur, . . . tangente Deo cor hominis" (cap. 5). "Disponuntur autem, dum . . . moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est, per . . . poenitentiam" (cap. 6). "Hanc dispositionem seu praeparationem iustificatio ipsa consequitur" (cap. 7). "Liberum arbitrium . . . ad obtinendam iustificationis gratiam se disponit et praeparat" (can. 4; Denz. 797. 798. 799. 814).

Sess. 14: "Fuit quidem poenitentia [peccatoribus] . . . quovis tempore ad gratiam et iustitiam assequendam *necessaria*" (cap. 1). "Contritio, confessio et satisfactio . . . ad plenam et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur" (cap. 3 et can. 4). "Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus *necessarius*" (cap. 4; Denz. 894. 896. 897. 914).

Quoad ceteras quaestiones duplex tantum habetur notabile dissidium *inter theologos*, scilicet circa tempus quo urget praeceptum poenitendi, an immediate post peccatum et an tantum in articulo mortis, cui communis sententia respondet negative, docens illud urgere non immediate, sed intra tempus aliquod plus minusve remotum ab actu peccati, praeterquam in articulo mortis.

QUOAD SECUNDAM IGITUR QUAESTIONEM, omnes theologi docent poenitentiam esse de necessitate medii, imo ex hac generatim deducunt necessitatem praecepti.

QUOAD TERTIAM QUOQUE QUAESTIONEM, fere omnes docent dari speciale praeceptum poenitendi, distinctum a praeceptis aliarum virtutum. Aliqui *pro negativa* citantur, reticito nomine, a Medina (Codice de Poenitentia, q. 4), sed solus *Victoria* directe et nominatim designari solet ab auctoribus post Cano (Relect. de Poenitentia, pars 4).

Victoria igitur videtur docere poenitentiam esse tantummodo de necessitate medii, seu esse quamdam statutam conditionem quam qui non observat non salvatur, quin ex ea omissione novum peccatum incurrat, eo modo quo gratia aliaque supernaturalia auxilia dicuntur media salutis. Quidam tamen ita eum interpretantur ut velit poenitentiam esse quidem de necessitate praecepti, non tamen importare speciale praeceptum, sed confundi cum praecepto aliarum virtutum. Cui sententiae quidam dicunt favere *S. Thomam, 2–2*, q. 14, a. 2; In 2 Sent., dist. 43, q. 1, a. 3, ad 3.

QUOAD QUARTAM QUAESTIONEM, fere omnes docent praeceptum poenitentiae esse de jure divino non tantum positivo sed etiam naturali.

Id tamen *negat Medina* (Codice de Poenitentia, tract. 1, q. 2, a. 2), cui ex parte accedunt *Suarez* (Disp. 15, sect. 3, n. 3 sqq.) et *Lugo* (Disp. 7, sect. 12, n. 250 sqq.), qui, ex intentione componendi utramque sententiam, distinguunt duos poenitentiae actus vel modos, quorum unus sit de jure naturali, alter vero de jure positivo; secundum Suarez quidem, intentio satisfaciendi est de jure naturali, ipse vero actus contritionis, seu talis determinatus modus satisfaciendi, est de jure positivo; secundum Lugo, tantummodo poenitentia in genere, prout praescindit ab implicita vel explicita, est de jure naturali, quo videtur implicare quod poenitentia, prout fit explicite ac determinate per contritionem, est de jure positivo.

QUOAD QUINTAM QUAESTIONEM, communis sententia negat praeceptum poenitentiae urgere immediate post commissum peccatum.

Id tamen *affirmarunt* plures antiquiores, inter quos citantur *Guilelmus Parisiensis* (De Poenitentia, c. 19), *Innocentius IV* (Cap. "Omnis utriusque sexus", De Poenitentia et Remiss.), *Alex. Halensis* (Summa Theol., 4 p., q. 77, m. 4, a. 1; ambigue loquitur, imo ibid., a. 2, contrarium insinuare videtur), *Bonaventura* (In 4 Sent., dist. 17, 2 p., a. 4, q. 3; non clare constat quid sibi velit, cum videatur docere praedictum praeceptum urgere pro religiosis), *Thomas Argentina, Major, Biel, Marsilius, S. Antoninus, S. Bernardinus Senensis, Petrus Soto, Franciscus Lamy* O.S.B. († 1711)[9] et *Petrus Collet* C.M. († 1770) qui hanc sententiam late defendens, scribit:

"Etsi vix certi quidpiam in tanta opinionum varietate statui potest; id tamen nunc conjicere liceat, quod uno ante mortem instanti fecisse, et alios edocuisse velimus. Sit. . .

"Conclusio III. — Urget . . . contritionis aliqualis praeceptum, quando menti occurrit peccatum, prout est offensa Dei. Ita Habertus.

"Prob. Vel enim, cum animo recurrit peccatum ut offensa Dei, in eo sibi complacet peccator, ut ii faciunt; 'qui laetantur, cum male fecerint', Prov. 2, 14; vel illud indifferenti oculo respicit; vel ad illud non reflectit sine aliquo doloris et displicentiae sensu. Atqui *dubio procul* peccat in prima et secunda hypothesi. In prima quidem, quia hujusmodi delectatio, nova quaedam est praeteriti mali approbatio, novum proinde scelus in eo genere, cui corde applauditur, moechiae, v.g., si gaudeat quod mulierem seduxerit; vindictae, si exultet quod graves de inimico poenas sumpserit, etc. In secunda vero, quia patrem contemnit filius, creatorem et omnimode benefactorem creatura, eo ipso quo injuriam ejus, quasi extraneo, nescio cui, factam patienter suffert. Ergo ut mala haec devitet peccator, saltem imperfecte conteri debet, statim atque meminit se in Deum peccasse. Et id ut minimum docet Seraphicus, cum in 4, dist. 16, q. 2, scribit peccatorem 'pro loco et tempore' debere conteri, 'videlicet cum recogitat mala sua in quibus offendit Deum'.

"Conclusio IV. — Quisquis studiosus est salutis suae, eam in futurum sententiam sequi practice et aliis consulere debet, quae contritionis praeceptum urgere censet, statim ut actus ejus exeri potest.

"Prob. In re admodum controversa praestat eam opinionem sequi, quae hinc quidem nihil habet periculi, inde autem absque multiplici periculo, magis minusve certo negligi non potest. Atqui talis est opinio nostra: 1. quidem nihil in futurum habet periculi. Procul est sane ab umbra periculi, qui statuit, culpam, si quae sibi excidat, praesertim gravem, mox ut animadverterit, coram Domino deflere. 2. Habet periculi plurimum adversa opinio, quae ad dies aliquot, ad mensem, menses quatuor aut quinque, imo ad annuae confessionis tempus contritionem protrahi permittit.

"1. Enim vix aut parum consonat huic Spiritus sancti monito, quod praecepti speciem praefert: 'Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictae disperdet te', Eccli. 5, 8. . .

"2. Neque consonat Patribus, qui in illam contritionis procrastinationem uno impetu insurrexerunt. . .

"3. Nec congruit sanae rationi, sed ab ea multipliciter impugnatur, tum qua parte Deum respicit impoenitentia haec, tum et qua parte respicit peccatorem. . . Et quidem quod ad Deum pertinet, constat eum sine nova culpa nec irrideri posse, nec contemni, nec honore sibi debito spoliari. . . Neque vero minus rationi adversatur eadem opinio qua parte respicit peccatorem. Sibi profecto pessime consulit, qui sese exponit periculo tum jacturae temporis, tum e peccato in aliud peccatum proruendi, tum et aeternae damnationis. Atqui triplex illud periculum incurrit, qui in habitu peccati tranquillus remanet."[10]

Quidam, ut Suarez (Disp. 15, sect. 5, n. 1) pro hac sententia referunt etiam Cajetanum.[11] Attamen, subtilis, nisi dicatur complicata, doctrina Commentatoris ad hanc reducitur: Praeceptum contritionis est

[9] Lettres théologiques et morales sur quelques sujets importants, Paris, 1708.

[10] De Poenitentia, pars 2, c. 4, sect. 3, n. 249. 274–276, apud Migne, Theol. Curs., t. 22, Parisiis, 1841, col. 220. 226 sq.

[11] Opusc., t. 1, tract. 17, edit. Lugd., 1563, cf. in editione leonina operum S. Thomae, t. 12, p. 376–378.

praeceptum primo et per se affirmativum (i.e. obligans ad conterendum), claudens tamen in se praeceptum negativum (i.e. obligans ad non retinendum odium Dei). Primo modo, non obligat nisi ad tempus quo urget contritio, i.e. in articulo mortis et quoties sacramenta sunt administranda vel suscipienda; secundo modo vero, obligat quidem statim, non ita tamen quod ex ejus omissione incurratur necessario peccatum, nisi quando detentio divini odii consistit in quodam positivo actu commissionis, seu in ipsa positiva voluntate odium illud retinendi. Unde, quantum intelligimus, Cajetanus docet peccatorem non teneri statim ad conterendum, sed teneri statim ad non ponendum positivum actum quo odium Dei retineatur.

QUOAD SEXTAM QUAESTIONEM, omnes docent praeceptum poenitentiae urgere saltem in articulo mortis.

QUOAD SEPTIMAM QUAESTIONEM, sententia frequentior, et inter modernos communis, *affirmat* praeceptum poenitentiae obligare per se extra mortis periculum intra aliquod tempus non diuturnum, moraliter aestimandum, ita ut omissio contritionis ultra tale tempus constituat novum ac speciale peccatum impoenitentiae. Ita *Soto, Cano, Lugo, Petrus Ledesma, Nugnus, Salmanticenses, Juénin, Antoine, Concina, Vitasse, Billuart* et passim moderni. In determinando autem praedicto temporis intervallo, diversimode sentiunt, ut dicetur in Concl. 7 (p. 512–514).

Negant tamen quidam antiquiores, docentes praeceptum poenitentiae per se urgere tantummodo in periculo mortis. Suarez quidem ait hanc negativam sententiam esse "multorum opinionem" sed pro ea non citat nisi S. Thomam (inepte quidem, ut ostendetur in Concl. 7, p. 514), *Durandum, Cajetanum* (in Summa, verbo "Contritio"), *Hadrianum VI, Medinam, Soto* (?), *Navarro*.

Conciliationem utriusque sententiae proponunt quidam, ut *S. Alphonsus, Suarez* et *Wirceburgenses* (qui tamen revera in sententia negativa reponendi sunt), docentes praeceptum poenitentiae in decursu vitae obligare non per se sed per accidens (S. Alphonsus), vel per se at non ratione sui sed ratione praecepti charitatis (Suarez et Wirceburgenses).

Suarez valde fluctuanter hanc conciliationem proponit, scribens: "Superest dicendum de tertio modo determinandi tempus obligationis in hoc praecepto, scilicet *per se*, et ex vi illius tantum. . . In hoc puncto probabilem esse judico sententiam communem [i.e. affirmativam] in principio relatam, nam fundamentum ejus valde efficax est. *Ut vero illam magis explicemus, et aliquantulum moderemur* (quia revera videtur parum apta ad humanos mores recte instituendos, nisi aliquo modo limitetur), ideo distinguere oportet hic tria illa capita, ex

quibus diximus posse hanc obligationem oriri. Et imprimis, quod spectat ad titulum justitiae, verum censeo praeceptum satisfaciendi Deo non obligare donec periculum mortis instet. . . Atque idem dicendum censeo de alio titulo hujus obligationis ex charitate propria. . . At vero ex tertio capite hujus obligationis ex charitate ad Deum, melius probatur haec obligatio. . . Supposito [enim] . . . , quod dilectio Dei super omnia aliquando potest esse in praecepto ante mortis articulo, idem dicendum est de contritione, saltem ex necessitate ipsius dilectionis Dei, quia non potest is qui est in peccato mortali, cum occurrat tempus diligendi Deum super omnia, servare illud per se loquendo, nisi etiam habeat contritionem peccatorum".[12]

Wirceburgenses eandem Suaresii sententiam sincerius proponunt, scribentes: "Peccator gravi obligatur praecepto, ne poenitentiam ad mortis articulum differat; quamvis hoc praeceptum non videatur obligare, nisi ratione caritatis. . . Non potest [enim] . . . tempore debito servari praeceptum dilectionis Dei a peccatore, per se loquendo, quin contritionem de peccatis eliciat; ergo ratione praecepti caritatis Dei nemini licet differre poenitentiam usque ad mortis articulum."[13]

S. Alphonsus adhuc sincerius rem proponit, loquens de obligatione per accidens: "Censeo autem has sententias facile posse conciliari. — *Per se loquendo*, peccator differens poenitentiam extra periculum mortis, probabiliter non committit speciale peccatum: cum secunda sententia. Ratio, quia praecepta affirmativa, ut docet D. Thomas [In 4 Sent., dist. 17, q. 3, a. 1, q. 4], debent habere tempus determinatum, in quo debeant impleri; nullibi autem constat quale tempus sit determinatum ad huic praecepto contritionis satisfaciendum. Unde S. Doctor [2–2, q. 14, a. 2] dixit impoenitentiam finalem non esse peccatum speciale, his verbis: 'Impoenitentia, non quidem eo modo quo dicit permanentiam in peccato usque ad mortem . . . , sic non esset . . . speciale peccatum, sed quaedam peccati circumstantia, etc.' Id tamen sane intelligendum praeciso praecepto positivo: nam, ex praecepto annuae confessionis ab Ecclesia praescriptae, quisque procul dubio tenetur ad poenitendum, saltem semel in anno. Hoc tamen est per se loquendo. — Sed *per accidens*, puto nullo modo excusari a mortali, qui existens in mortali, per notabile tempus differret poenitentiam. Tum quia peccaret contra praeceptum caritatis erga Deum, quod saltem pluries in anno quemcumque obstringit. . . Tum quia hic insuper peccaret contra caritatem erga seipsum, cum se exponeret proximo periculo novarum culparum, tentationibus succumbendo".[14]

---

[12] De Poenit., disp. 15, sect. 6, n. 16–19, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 331 sq.

[13] Theologia dogmatica, t. 10, De Poenitentia, disp. 1, c. 4, a. 2, n. 5, Parisiis, 1880, p. 75 sq.

[14] Theol. Moral. (ed. L. Gaudé), t. 3, n. 437, Romae, 1909, p. 434.

QUOAD OCTAVAM QUAESTIONEM, omnes theologi docent praeceptum poenitentiae urgere per accidens in pluribus circumstantiis, quamvis aliquatenus dissentiant in assignando particulares casus talis urgentiae.

CONCLUSIO

Conclusio 1. Poenitentia est stricte necessaria ad consequendam justificationem (q. 86, a. 2).

Probatur 1. *EX SCRIPTURA ET PATRIBUS.*

Scriptura utriusque testamenti hanc veritatem statuit tum implicite, seu constanter et insistenter proponendo poenitentiam ut medium justificationis obtinendae, tum explicite, seu asserendo eum qui non poenitet justificationem consequi non posse. Frequenter occurrunt invitationes ad poenitentiam, comminationes et reprehensiones nolentium audire vocem Dei et agere poenitentiam. Illud quoque maxime est manifestativum necessitatis poenitentiae, Joannem nempe Baptistam, Christum et Apostolos, a praedicatione poenitentiae suum ministerium cepisse.

Plures textus citavimus in art. 10. 11. 16 (p. 265 sq. 269 sq. 412 sq.). Signanter dicitur in Luc. 13, 3: "Nisi poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis"; in Apoc. 2, 5: "Age poenitentiam, et prima opera fac. Sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris"; Eccli. 2, 22: "Si poenitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini".

Patres necessitatem poenitentiae ad salutem continuo praedicant, ut patet vel ex ipsis textibus citatis in art. 1. Eam notanter inculcant in notis effatis quibus sacramentum poenitentiae describunt, uti "Secunda tabula salutis", "Baptismus laboriosus vel secundus" (passim), "Ultima spes" et "secunda subsidia" (Tertullianus). Inter explicitiora testimonia, haec recolere satis erit:

Tertullianus, De Poenit. 2: "Bonum factum Deum habet debitorem, sicuti et malum: quia judex omnis remunerator causae. At cum judex Deus justitiae charissime sibi exigendae tuendaeque praesideat, et in eam omnem summam disciplinae suae sanciat; dubitandum est, sicut in universis actibus nostris, ita in poenitentiae quoque causa, justitiam Deo praestandam esse?" (M.L. 1, 1340 sq.)

Ibid. 4, cit. in art. 11, p. 270.

Ibid. 6: "Quam porro ineptum, quam iniquum, poenitentiam non adimplere, et veniam delictorum sustinere, hoc est, pretium non exhibere, ad mercem manum emittere! Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit; hac poenitentiae compensatione redimendam proponit impunitatem" (ibid., 1347).

Ibid.: "Peccator ante veniam deflere se debet; quia tempus poenitentiae, id est, quod periculi et timoris. Neque ergo renuo divinum beneficium, id est, abolitionem delictorum inituris aquam omnimodo salvum esse: sed ut eo pervenire contingat, elaborandum est" (ibid., 1348).

Cyprianus, De lapsis, 34: "Ejusmodi homines [obstinatos] quantum potestis effugite. . . [Sola] superest poenitentia quae satisfaciat; qui autem poenitentiam criminis tollunt, satisfactionis viam claudunt. Ita fit ut, dum temeritate quorumdam vel promittitur salus falsa vel creditur, spes verae salutis adimatur" (M.L. 4, 506 sq.).

Ambrosius, Epist. 51 (ad Theodosium imper.), 11: "Peccatum non tollitur nisi lacrymis et poenitentia" (M.L. 16, 1212).

Augustinus, In Psal. 30, enarr. 2, 5: "Est quaedam confusio temporalis utilis, perturbatio animi respicientis peccata sua. . . Hanc confusionem non formidet christianus: imo si hanc non habuerit, aeternam habebit" (M.L. 36, 232 sq.).

Epist. 185 (De correct. Donat.), 10, 43: "Nisi egeris [poenitentiam], salvus esse non poteris: quomodo enim gaudebis te esse correctum, nisi doleas fuisse perversum?" (M.L. 33, 811.)

Gregorius M., In Evang., hom. 20, 7, magnifice commentans praedicationem poenitentiae per Joannem Baptistam, ait: "Ventura enim ira est animadversio ultionis externae, quam tunc fugere peccator non valet, qui nunc ad lamenta poenitentiae non recurrit" (M.L. 76, 1163).

Probatur 2. *EX RATIONE.*

Poenitentiam exigit ordo *justitiae,* ut nempe per poenitentialem reconversionem ad Deum reparetur offensa ei illata per indebitam aversionem ab eo et conversionem ad creaturam (cf. Tertull., De Poen. 2, nuper cit.).

Praeterea, poenitentiam exigit rectus ordo *divinae providentiae.* Nam imprimis, Deus omnia movet secundum uniuscujusque conditionem, adeoque adultos non vocat ad salutem nisi ipsis pro posse cooperantibus, et quidem, in casu peccati, cooperantibus per reconversionem suae voluntatis, quae in actu poenitentiae consistit. Secundo, Deus in effectibus supernaturalibus imitatur modum agendi causarum naturalium, quem ipsemet sapienter instituit; unde, quidquid sit de ejus potentia absoluta justificandi hominem absque actu contritionis (de qua agitur in tractatu De Gratia), formam gratiae salutaris, qua peccatum expellitur, in hominem non introducit nisi sit congrua dis-

positio, quae non alia proxime esse potest quam actus poenitentiae, ut dictum est in art. 10 (p. 266 sq.), ubi citavimus textum *S. Thomae*, q. 86, a. 2, cujus sensus determinatur in tractatu De Gratia.

Conclusio 2. Poenitentia est de necessitate medii ad salutem, ita ut ab ejus impletione non excuset ignorantia vel impotentia (q. 87, a. 1; In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 4, ad 2).

Probatur tum ex absoluto modo quo in Scriptura et Patribus supra relatis necessitas poenitentiae praedicatur, non enim aliter necessitas medii deducitur quoad ipsum Baptismum,[15] sine quo, sicut sine poenitentia, negatur hominem posse salvari; tum ex ipsa indole rei quae dicitur esse necessaria, cum poenitentia sit ex natura sua quaedam dispositio requisita, adeoque quoddam medium, ad justificationem; in quo quidem poenitentia praecellit ipsum Baptismum, qui tantum ex positiva institutione est medium ad justificationem.

DICES. Si Poenitentia esset de necessitate medii ad justificationem, non posset peccatum sine poenitentia remitti. Jamvero, juxta Patres, ut *Chrysostomum* (In 2 Cor., hom. 4), *Augustinum* (Contra Cresconium, 2, 12, 15) et signanter *Origenem* (In Lev., hom. 2, 4, cit. in p. 111), varia sunt, praeter virtutem poenitentiae, media obtinendi remissionem peccatorum, scilicet sacramentum Poenitentiae, Baptismus, Extrema Unctio, martyrium, charitas (Luc. 7, 47; 1 Petr. 4, 8), remissio injuriarum (Matth. 6, 14), correctio fraterna (Jac. 5, 5), eleemosyna (Tob. 4, 7; Dan. 4, 24; Luc. 11, 41), verbum veritatis (Joan. 15, 5).

RESP. Haec omnia sunt media obtinendi peccatorum remissionem non per se sola sed ut conjuncta cum poenitentia, quae sit eorum dispositio, ut contingit in sacramento Poenitentiae, Baptismo, Extrema Unctione et martyrio, quae influunt ex opere operato, vel cujus ipsa sint dispositio, ut contingit in ceteris, quae sunt opera operantis ducentia ad poenitentiam. Ipsa charitas quae, ut mox dicetur, valet supplere formalem actum poenitentiae, sicut valet supplere sacramenta mortuorum, non influit in justificationem nisi prout continet poenitentiam in virtute et sacramentum in voto.

Proprium est poenitentiae esse immediatam dispositionem ad justificationem, nec ideo alia quaelibet virtus (aut medium a Deo institutum) influit in justificationem nisi ut conjuncta cum poenitentia. Ad rem *S. Thomas*, In 4 Sent., dist. 14, q. 2, a. 4, ad 2: "Non quaelibet virtus est gratia informata, nec quaelibet virtus habet actum ordinatum ad praedictam aequalitatem inter Deum et hominem restituendam . . .; et ideo non oportet quod quaelibet virtus peccata remittat. Hoc enim poenitentiae convenit non inquantum est virtus simpliciter, sed inquantum est virtus quaedam."

[15] Cf. tractatum De Baptismo, art. 9.

INSTES. Sacramenta Baptismi et Poenitentiae justificant cum sola attritione; jamvero sola contritio, non vero attritio, est actus virtutis poenitentiae; ergo saltem actus ipsius virtutis poenitentiae non est necessarius ad justificationem.

RESP. Conc. mai. et min. Neg. cons. Nam necessitas actus ipsius virtutis poenitentiae, seu contritionis, convenit ipsi per se et absolute, efficacitas vero sacramentorum Baptismi et Poenitentiae est per accidens et dependens a positiva institutione divina; unde, adhuc supposita hac institutione, qua fit ut per susceptionem illorum sacramentorum absque contritione homo justificetur, stat quod actus contritionis sit per se et absolute necessarius ad justificationem, salva tamen exceptione justificationis sacramentalis. Imo hic efficacissimus influxus sacramentorum, nedum officiat necessitati contritionis, est a Deo institutus veluti in auxilium illius, ad hoc nempe ut facilius obtineatur effectus ad quem ipsa contritio ordinatur quemque ipsa contritio exigit, ita ut dici possit contritionem justificationem operari vel per se vel per sacramentum, tamquam per ejus substitutum.

Ceterum, quamquam contritio non requiritur in sacramentis, semper tamen necessarius est aliquis actus poenitentiae seu attritio, quae substituitur contritioni, tamquam inferior actus in linea poenitentiae, seu subjectivae dispositionis operantis contra peccatum, et ita in omni casu et absque ulla exceptione verificatur saltem quod aliquis actus poenitentiae sit de necessitate medii ad salutem.

URGES. Actus charitatis justificat etiam absque ullo actu poenitentiae, ubi nempe hic actus sit impossibilis ob peccatorum oblivionem. Ergo datur casus in quo homo justificatur absque poenitentia, nec proinde haec est de necessitate medii.

RESP. Etiam si in eo casu actus charitatis justificaret absque ullo ordine ad poenitentiam, adhuc ista esset de necessitate medii, quia influxus charitatis esset exceptionalis et substitutivus.

Ceterum, actus charitatis justificat inquantum continet quodammodo actum poenitentiae estque virtualis poenitentia.

Ad cujus rei intelligentiam adverte assertam necessitatem poenitendi, ita accipiendam esse per se de *poenitentia formali*, ut tamen per accidens, seu in casu oblivionis peccatorum, sufficiat *virtualis actus poenitentiae* qui continetur in actu charitatis. Constat enim apud omnes (si forte excipiatur Cano) actum charitatis esse necessario justificati-

vum; item, certum est actum charitatis continere quodammodo virtualiter actum poenitentiae, non quidem eo sensu quod actus charitatis sit satisfactivus et compensativus pro offensa, quoniam hoc est proprium ac specificum poenitentiae, sed quatenus charitas est generativa et imperativa proprii actus poenitentiae et etiam quatenus actus amoris, utpote universalior ac fundamentalior, praecontinet in se sub altiori ratione quidquid est in actu justitiae et in aliis affectionibus rationalis appetitus, adeoque offert Deo plusquam offerat ipsa satisfactio poenitentialis; tandem nemo negabit aliquem posse elicere actum charitatis dum est in actuali oblivione peccatorum a se commissorum (quae potest contingere ex variis subjecti dispositionibus, et maxime in repentinis circumstantiis, ut si quis repente praeoccupetur periculo mortis), adeoque sine formali actu poenitentiae. Unde in tali casu homo justificabitur absque formali actu poenitentiae, seu cum sola virtuali poenitentia contenta in actu charitatis.

Ceterum, melius diceretur ipsam formalem poenitentiam esse simpliciter et in omni casu de necessitate medii ad salutem, sed *in re vel in voto,* i.e. secundum se vel secundum ejus votum contentum in actu charitatis, ita ut charitas justificans sit quaedam poenitentia flaminis, quemadmodum simpliciter dicitur Baptismum esse necessarium in re vel in voto, ita ut charitas regenerans sit verus Baptismus flaminis. Hoc modo melius servatur proprietas terminorum et modus loquendi S. Thomae, necnon directius ostenditur necessitas ipsius poenitentiae.

In hac doctrina videntur substantialiter convenire omnes theologi, nominatim *Scotus* (In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 3), *Biel, Cajetanus* (In q. 86, a. 2), *Soto, Suarez, Ledesma, Gonet, Salmanticenses* (De Justificatione, disp. 3, dub. 1, § 4). Inter se vero dissentiunt quoad aliam quaestionem, cum praecedenti utique connexam, de qua infra dicetur in Concl. 3 (p. 490 sq.), an scilicet possit homo satisfacere *praecepto* poenitentiae per actum charitatis seu virtualis poenitentiae, quin teneatur elicere (si possit, seu si peccata recogitet) formalem actum contritionis; quod quidem negant communiter thomistae.

Ad hanc quaestionum distinctionem et ad supradictum diversum modum loquendi non videtur attendere *Suarez* dum scribit: "An . . . semper [poenitentia] sit formaliter necessaria, vel virtualis sufficiat, inter eos [theologos] controvertitur. Nam Scotus . . . , Gabr . . . et alii infra referendi, putant sufficere virtualem. *Alii vero, praesertim thomistae recentiores,* omnino contendunt esse necessariam semper poenitentiam formalem. Quod tam asseveranter tenet Cano, relect. de Poenitentia, part. 3, ut dicat posse esse actum dilectionis Dei super omnia in homine permanente in peccato mortali ex defectu formalis poenitentiae. At vero Petrus Soto, lect. 4 et 5 de Poenitentia, affirmans eandem necessitatem formalis poenitentiae, negat hominem existentem in peccato posse habere verum actum dilectionis sine formali actu poenitentiae. Idem tenet Dominicus Soto, d. 15, q. 1, art. 2, cum duplici limitatione [i.e. excepto casu martyrii vel oblivionis peccatorum]".[16]

Communis tamen sententia thomistarum non alia est quam ea quae aequivalenter continetur in his verbis *S. Thomae,* q. 87, a. 1:

"Remissio culpae . . . fit per conjunctionem hominis ad Deum, a quo aliqualiter separat culpa. Sed haec separatio perfecte quidem fit per peccatum mortale, imperfecte autem per peccatum veniale: nam per peccatum mortale mens omnino a Deo avertitur, utpote contra charitatem agens; per peccatum autem veniale retardatur affectus hominis, ne prompte in Deum feratur. Et ideo utrumque peccatum per poenitentiam quidem remittitur; quia per utrumque deordinatur voluntas hominis per immoderatam conversionem ad bonum creatum: sicut enim peccatum mortale remitti non potest quamdiu voluntas peccato adhaeret, ita etiam nec peccatum veniale, quia manente causa, manet effectus.

"Exigitur autem ad remissionem peccati mortalis perfectior poenitentia, ut scilicet homo *actualiter* peccatum mortale commissum detestetur, quantum in ipso est, ut scilicet diligentiam adhibeat ad memorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur. Sed hoc non requiritur ad remissionem venialium peccatorum; non tamen sufficit habitualis displicentia, quae habetur per habitum charitatis vel poenitentiae virtutis, quia sic charitas non compateretur peccatum veniale, quod patet esse falsum. Unde sequitur quod requiratur quaedam *virtualis displicentia,* puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum, et res divinas, ut quidquid sibi occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, et doleret se commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret: quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, *nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem.*"

Sententia igitur S. Thomae et thomistarum haec est: Ad justificationem per se requiritur poenitentia formalis, per accidens tamen (seu in casu oblivionis) sufficit virtualis, in actu charitatis contenta, quae ceterum justificat in vi seu voto poenitentiae formalis. A qua sententia tripliciter recedi potest: vel nempe dicendo ad justificationem requiri poenitentiam formalem, excepto casu oblivionis in quo sufficit et requiritur poenitentia virtualis, sicut si diceretur ad regenerationem requiri Baptismum, excepto casu contritionis ante Baptismum; vel simpliciter dicendo ad justificationem requiri poenitentiam aut for-

[16] De Poenitentia, disp. 9, sect. 1, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 150.

malem aut virtualem pro libito, ita ut etiam in casu quo quis recogitet peccata possit justificari sine actu formalis poenitentiae; vel dicendo ad justificationem non necessario requiri poenitentiam tam formalem quam virtualem sed aliquem alium actum, puta orationem, sufficere.

Primus modus, qui potius pertinet ad minus rectam locutionem vel intellectionem (ut constat ex allato exemplo Baptismi, nam in actu contritionis justificantis ante Baptismum ipse Baptismus in voto operatur, unde dicitur Baptismus flaminis), non infrequens est apud auctores. Alter et tertius modus sunt duo errores, quos *Suarez* tribuit (quo jure, ipse videat) Medinae et Vega, respective.

Ad rem ipse *Suarez:* "Dicendum est, extra casum naturalis oblivionis, vel inconsiderationis, nunquam remitti peccatum sine formali actu poenitentiae. Ita docent omnes, excepto *Medina,* tract. 1 de Poenit., q. 12, art. 2, ubi ait, licet homo cogitet de Deo et peccatis suis, posse pro libertate sua habere actum dilectionis, quem vocat fructuosum et meritorium, sentiens esse sufficientem ad justificationem. Sed oppositum . . . [est] non solum securior, sed etiam verior sententia."[17]

"Addit . . . *Vega,* lib. 6 in Trident., c. 38, per solam orationem posse peccatorem obtinere remissionem culpae mortalis sine formali amore vel dolore, quia etiam oratio habet infallibilem promissionem. Sed est singularis sententia; et mihi displicet, quia est contra doctrinam generalem Conciliorum et Sanctorum, et universales locutiones Scripturae, quibus supra necessitatem poenitentiae et amoris ostendimus; nam haec necessitas postulat ut saltem virtute habeantur."[18]

Conclusio 3. Poenitentia est de necessitate praecepti, ita ut detur formale et distinctum praeceptum poenitentiae (q. 85, a. 1, Sed contra; 2–2, q. 14, a. 2; In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 3, ad 1; In 2 Sent., dist. 43, q. 1, a. 3, ad 3).

Probatur 1. *EX SCRIPTURA ET PATRIBUS.*

Ex verbis Scripturae et Patrum supra relatis, quaedam manifeste exhibent rationem praecepti. Verba "Poenitentiam agite", "Age poenitentiam" (Matth. 4, 17; Act. 2, 38; Apoc. 2, 5) sunt praeceptiva; nam quae sunt tantum de consilio vel etiam de sola necessitate medii (ut habere statum gratiae) non exprimuntur in forma absoluta sed conditionali (v.g. Si feceris hoc, favorem obtinebis — Nisi moriaris in statu gratiae, non salvaberis). Tertullianus explicitis etiam verbis loquitur de praecepto poenitendi.

[17] Loc. nuper cit., n. 11, p. 153.
[18] Ibid., n. 14, p. 154.

Ceterum, ipsa frequentiora verba quae exprimunt necessitatem sub forma conditionali, praeceptive sonant; non enim indicant solum consilium, sed necessitatem quamdam, quia non ponuntur in forma conditionali positiva, sicut consilia, sed negativa ("Nisi poenitentiam egeritis", Luc. 13, 3; Apoc. 2, 5; Eccli. 2, 22); nec indicant solam necessitatem medii, quae solet utique exprimi sub forma conditionali negativa, quia, ut modo dicetur, necessitas medii generat necessitatem praecepti in materia possibili (i.e. quando medium pendet ab humana libertate); propterea in eodem textu Apoc. 2, 5 necessitas poenitendi exprimitur indifferenter verbis praeceptivis et verbis conditionalibus negativis ("Age poenitentiam. . . Sin autem. . . Nisi poenitentiam egeris"), nec ceterum aliunde desumitur a theologis necessitas praecepti quoad Baptismum et Eucharistiam, expressa conditionaliter negative ("Nisi quis renatus fuerit", "Nisi manducaveritis carnem filii hominis").

Confirmatur. Conc. Trid. (sess. 6 et 14, rel supra, p. 414 sq. et 428 sq.) docet necessitatem actus fidei, spei, dilectionis et poenitentiae, ad consequendam justificationem. Jamvero tres priores sunt necessarii etiam necessitate praecepti, quod nullus theologus negat et passim affirmatur vel supponitur a magisterio Ecclesiae (cf. v.g. Alexandum VII, Prop. 1 inter damnatas a. 1665; Denz. 1101). Ergo idem dicendum est de actu poenitentiae, cum ejus necessitas pari modo affirmetur a Conc. Trid. nec aliunde ipse in se quidquam contineat quod exclusionem hujusmodi necessitatis exigat.

Probatur 2. *EX RATIONE NECESSITATIS MEDII.*

Ea quae sunt de necessitate medii ad salutem evadunt eo ipso de necessitate praecepti divini, si consistunt in materia quae praecipi possit seu quae exequi possit per actum liberi arbitrii (cf. 2–2, q. 3, a. 2); eadem enim voluntate qua Deus vult quod homo assequatur finem salutis, vult quoque quod homo assumat media ad illum finem instituta, quae quidem voluntas esset frustranea, nisi esset imperativa, seu si relinqueretur homini facultas pro libito ea media sumendi vel praetermittendi. Jamvero poenitentia est medium necessarium ad salutem, consistens in actu virtutis exequibili a libero arbitrio. Ergo cadit sub praecepto divino, non secus ac actus aliarum virtutum (q. 85, a. 1, Sed contra).

Patet autem discrimen inter poenitentiam et gratiam aut virtutes aut auxilia supernaturalia; haec enim non sunt quidam actus in potestate liberi arbitrii, sed se habent ex parte principii, seu sunt habitus infusi, vel motiones provenientes a superiori agente divino; unde potius quam de necessitate medii ad salutem, proprie dicuntur media seu auxilia necessaria ad salutem.

Probatur 3. *EX RATIONE VIRTUTIS.*

Poenitentia est vera et distincta virtus. Atqui de omni actu virtutis datur divinum praeceptum. Ergo de poenitentia datur verum et distinctum praeceptum divinum.

Minor constat ex eo quod nihil magis "legislator intendit [quam] cives facere virtuosos", ut ait *Aristoteles* (Ethic. 4, 3), nec aptius ad hunc finem datur medium quam praecipere actus virtutum.

Probatur 4. *EX RATIONE S. THOMAE DE DISTINCTO PECCATO IMPOENITENTIAE.*

Impoenitentia, seu voluntaria omissio poenitentiae vel propositum non poenitendi, est speciale et distinctum peccatum. Ergo de poenitentia datur speciale et distinctum praeceptum, non enim omissio poenitentiae posset esse peccaminosa nisi ejus non omissio esset debita, seu nisi ejus positio esset praecepta.

Antecedens probatur ex *S. Thoma:*

In 4 Sent., dist. 14, q. 1, a. 1, q. 3, ad 1: "[Poenitentia] non opponitur omni peccato formaliter, sed alicui tantum, quod est impoenitentia; et propter hoc non oportet quod sit generalis virtus."

In 2 Sent., dist. 43, q. 1, q. 3, ad 3: "Sicut perseverantia dicitur dupliciter: uno modo ut est virtus specialis, prout dicit propositum perseverandi in bono concepto usque ad finem. Et alio modo ut est circumstantia aliarum virtutum, prout dicit actualem durationem in actibus virtutum usque ad mortem, ita etiam et impoenitentia, *secundum quod dicit propositum non poenitendi, est species peccati in Spiritum sanctum.* Secundum autem, quod dicit permanentiam in peccato usque ad mortem, negando peccati poenitentiam: sic est accidens, vel circumstantia aliorum peccatorum".

2–2, q. 14, a. 2: "Ex parte . . . peccati duo sunt quae hominem a peccato retrahere possunt; quorum unum est inordinatio et turpitudo actus, cujus consideratio inducere solet in homine poenitentiam de peccato commisso; et contra hoc ponitur impoenitentia, non quidem eo modo quo dicit permanentiam in peccato usque ad mortem, sicut supra impoenitentia accipiebatur (sic enim non esset speciale peccatum, sed quaedam peccati circumstantia), sed accipitur hic *impoenitentia secundum quod importat propositum non poenitendi.* Alius autem est parvitas et brevitas boni quod quis in peccato quaerit. . . Cujus consideratio inducere solet hominem ad hoc quod ejus voluntas in peccato non firmetur; et hoc tollitur per *obstinationem,* quando scilicet homo firmat suum propositum in hoc quod peccato inhaereat."

DICES. S. Thomas, 2–2, q. 14, a. 1, ad 3, ait finalem impoenitentiam non esse speciale peccatum, sed "circumstantiam cujuslibet generis peccati"; in hoc etiam sensu S. Doctor, ibid. in corp., explicat verba *Augustini* de peccato in Spiritum S. seu de impoenitentia finali, inquiens: "Augustinus . . . in lib. De verbis Domini[19] blasphemiam, vel peccatum in Spiritum sanctum dicit esse finalem impoenitentiam, quando scilicet aliquis perseverat in peccato mortali usque ad mortem. Quod quidem non solum verbo oris fit, sed etiam verbo cordis et operis, non uno, sed multis. Hoc autem verbum sic acceptum dicitur esse contra Spiritum sanctum, quia est contra remissionem peccatorum, quae fit per Spiritum sanctum, qui est charitas et Patris, et Filii."

RESP. Suarez, Vasquez et Lugo in varias abeunt expositiones hujus textus S. Thomae, quas refellere non vacat. Ut patet ex duobus textibus nuper citatis, quorum secundus pertinet ad contextum verborum quae obiciens opponit, S. Doctor distinguit duplicem impoenitentiam, alteram nempe materialem et negativam, quae consistit in ipso facto moriendi in peccato nec ex se constituit speciale peccatum sed identificatur cum ipso vel ipsis peccatis in quibus homo moritur, imo potuit componi cum aliqua initiali intentione poenitendi, quae forte ob repentinam mortem impedita est ne ad ipsum actum poenitentiae deduceretur; alteram vero formalem et positivam, quae consistit in ipso proposito non poenitendi cum instat obligatio poenitendi. Primam igitur impoenitentiam S. Doctor dicit conditionem seu circumstantiam cujuslibet peccati, alteram vero explicite asserit esse speciale peccatum.

Quoad indolem hujus specialis peccati impoenitentiae haec accipe ex *Salmanticensibus:*[20]

"Cum . . . impoenitentia finalis sit omissio voluntaria Poenitentiae debitae, utpote contra praeceptum affirmativum; non aliam regulam postulat, ut sit in se voluntaria, quam quae in omnibus aliis omissionibus voluntariis, contra praecepta affirmativa, reperitur. Unde eo prorsus modo, quo omissio peccaminosa dilectionis Dei potest explicari vel per voluntarium in causa, vel per virtuale, voluntarium directum, vel per directum, absque ulla et interpretativum, vel si mavis etiam per majore difficultate ea doctrina, cujuscumque illa fuerit debet applicari omissioni Poenitentiae, seu impoenitentiae finali.

"Nos vero consequenter ad ea, quae tradidimus tract. de Volunt. disp. 4, dub. 1, supponere debemus, non esse possibilem omissionem

[19] Seu in Serm. 71, cap. 12, n. 20; cap. 13, n. 21 sq.; cap. 21, n. 34; cap. 22, n. 36 (M.L. 38, 455 sqq.).

[20] De hoc peccato directam et peculiarem disputationem instituit *Suarez* (Disp. 15, sect. 2 per totam; quam breviter et apte exhibent *Wirceburgenses*, De Poenit., disp. 1, c. 4, a. 3), cujus tamen complicata doctrina est cum thomistico grano salis accipienda, certa ab incertis discernendo.

voluntariam Poenitentiae in eo instanti, in quo urget praeceptum, quin praecedat aliquis actus, qui sit causa, vel occasio omissionis: non quia omissio sit voluntaria ex ipso actu, quem supponit; sed quia ea nequit esse formaliter egressus immediatus, indirectus, et indirecte voluntarius, quin supponat exercitium positivum ejusdem voluntatis circa finem, et objectum proprium, ut ibi accuratius explicuimus.

"Quo fit in voluntaria impoenitentia se habere posse hominem dupliciter;[21] vel expresse, et formaliter, ex motivo aliquo perverso, quod magis amat, se ad omissionem applicando: qui modus omittendi explicatur per nolitionem, ac si diceret: 'Stante praecepto, et urgente, ut stare, et urgere video, nolo poenitere'. Et haec omissio est formalis, et expressa, licet indirecta, ut explicuimus in eodem tract. disp. 1, dub. 1, n. 19, ubi statuimus posse aliquid esse formaliter et expresse voluntarium licet non directe, contra eos, qui asserebant, directe voluntarium coincidere cum voluntario formaliter, et expresse, et e converso. Cujus oppositum liquet in omni omissione; quae quidem supposita illa vera doctrina, numquam non potest esse indirecte voluntaria, cum non oriatur a voluntate directe, sed supposito influxu positivo; esse tamen potest, et est frequenter formaliter, et expresse voluntaria, ut in casu opposito, et aliis. Vel non ita expresse, et ut sic dicamus, reflexe; sed quod tempore urgentiae praecepti negligenter se habeat, et distendatur ad alia incompossibilia cum observatione praecepti, vi cujus omissio est voluntaria in causa, et etiam in se ipsa: sicut est illi, qui ut ludo se tradat, sacrum omittit, esto in tempore auditionis sacri nihil cogitet de obligatione audiendi. Quolibet autem ex his modo se habuerit homo ad impoenitentiam, instante praecepto, committit speciale peccatum impoenitentiae, estque ipsi voluntarium indirecte, atque ideo imputabile. Unde constat propositum illud non poenitendi, quod docet D. Thomas esse speciale peccatum impoenitentiae, facillime explicari; nec in eo aliquid salebrosum est, quod alias omissiones subterfugiat."[22]

NOTA 1. DE TRIPLICI FONTE SEU TITULO EX QUO ORITUR OBLIGATIO POENITENDI (q. 84, a. 5, ad 2, cit. in art. 19, p. 464).

Obligatio poenitendi oritur in peccatore non solum ex titulo satisfactionis seu justitiae erga Deum, quod est motivum immediatum, intrinsecum et elicitivum, sed etiam ex triplici saltem alio titulo, seu charitatis erga Deum, charitatis erga seipsum et misericordiae in seipsum, quae sunt motivum mediatum, extrinsecum et imperativum.

[21] Cf. *Salmanticenses*, Disp. 5, dub. 7, § 4, n. 288.
[22] De Poenit., disp. 5, dub. 6, § 3, n. 227, Curs. theol., t. 19, Parisiis, 1883, p. 543 sq.

Imprimis, ipsa *justitia* exigit ut homo eliciat actum satisfactionis pro peccato; id exigunt praeterea tum *charitas erga Deum*, cum haec nequeat exerceri nisi removeatur peccatum per satisfactionem, adeoque eadem obligatione qua quis tenetur amare Deum, tenetur consequenter poenitere, quia qui tenetur ad finem, tenetur ad media; tum *charitas erga seipsum*, qua quis tenetur consulere proprio bono, maxime spirituali, ac consequenter removere peccatum per poenitentiam ut inde consequatur maxime sibi necessarium bonum spiritualis vitae; tum *misericordia erga seipsum*, qua quis tenetur subvenire propriae indigentiae, ac consequenter removere peccatum quod est causa summae miseriae, indigentiae et deperditionis spiritualis.

Ad praeclundendum aditum *objectionibus*, quae contra hanc doctrinam adduci possent, sedulo adverte quod ex praedicta concurrentia plurium motivorum in eamdem obligationem non multiplicantur actus, nec praecepta, nec peccata, eo quod non multiplicetur objectum.

Actus quidem qui praecipitur est unus et idem actus contritionis, qui elicitur a sola virtute poenitentiae et imperatur necessitate morali a charitate et misericordia, ita ut dum, manens intra propriam speciem et elicientiam virtutis poenitentiae, attingit intrinsecum et specificum finem satisfactionis qui est immediatum ejus motivum, attingit quoque, ex imperio seu ordinatione actus charitatis et misericordiae, finem istarum qui est extrinsecum et mediatum ejus motivum.

Ipsum praeterea praeceptum poenitentiae unicum manet nec ullatenus multiplicatur, sed tantum subicitur extrinseco impulsui obligativo aliorum praeceptorum charitatis et misericordiae.

Similiter peccatum, quod ex hujus praecepti violatione incurritur, unicum est, scilicet peccatum impoenitentiae, tum quia agitur de unico praecepto et unica directa obligatione, quamvis in eam concurrant plura motiva, tum quia, generalius, etiam pluralitas praeceptorum, quamtumvis distinctorum nec ad invicem subordinatorum, non inducit pluralitatem peccatorum, cum versantur circa idem objectum.

NOTA 2. DE HABITUDINE PRAECEPTI POENITENTIAE AD ACTUM CHARITATIS ET AD JUSTIFICATIONEM SACRAMENTALEM.

Cum actus charitatis possit in casu oblivionis peccatorum justificare absque formali actu poenitentiae et susceptio sacramenti Baptismi vel Poenitentiae justificet cum sola attritione, seu absque proprio actu virtutis poenitentiae, ut dictum est in Concl. 2, sponte agitantur inter theologos sequentes tres quaestiones:

1. *Utrum obligationi ortae ex praecepto poenitentiae possit quis satisfacere per solum actum charitatis,* omisso ipso actu poenitentiae vel antecedenter ad ipsum.

Affirmant quidam cum *Suarez* (Disp. 15, sect. 1, n. 11–14) eo quod, inquiunt, per actum charitatis praestatur Deo quidquid satisfactionis praestatur per actum poenitentiae, quamvis sub alio motivo, i.e. sub motivo non justitiae sed amoris; unde, praestita praedicta satisfactione per charitatem, extinguitur obligatio orta ex praecepto poenitentiae, "sicut inter homines, si quis de facto restituat alienum, etiamsi id non faciat per formalem actum justitiae, et intendendo honestatem ejus, sed vel ex amore alicujus, vel ex timore poenae, nihilominus satisfacit obligationi justitiae, quia id satis est, ut nec transgrediatur illam obligationem, neque amplius illa teneatur. . . Hoc igitur modo praeceptum hoc per se pertinet ad specialem virtutem poenitentiae, quamvis in re ipsa expleri possit actibus solius charitatis."[23]

Merito vero *negant* alii, praecipue *thomistae,* tum quia in genere nequit satisfieri praecepto unius virtutis per actum alterius (nisi velimus supprimere distinctionem praeceptorum et virtutum), cum obligatio correspondeat praecepto et praeceptum correspondeat objecto quod est actus unius virtutis, formaliter distinctus ab actu alterius, tum quia, in casu, per actum charitatis nequaquam praestatur Deo satisfactio pro peccato, cum charitas non sit ex se satisfactiva, eo quod non doleat de peccato seu non detestetur peccatum per modum compensationis, sed tantum detestetur seu odio habeat peccatum ut malum amici, ut dictum est in art. 12 (p. 289. 291. 325 sq.). Exemplum autem restitutionis a Suaresio adductum, nedum ejus intentum probet, contra ejus doctrinam retorqueri potest. Nam imprimis, proprie loquendo alienum nequit restitui nisi ex titulo justitiae (restituere enim est injuste ablatum domino reddere), ceterum si personae cui tres libellas furatus es, tres libellas des non ex fine justitiae satisfaciendae (de fine autem operis loquimur, quidquid sit de extrinseco fine operantis, seu de intentione imperante ipsam intentionem inclusam in fine operis), sed ex alio fine aut titulo, puta benevolentiae aut liberalitatis, adhuc ex titulo justitiae teneris ad restitutionem trium libellarum quas furatus es.

Ex dictis sequitur 1. quod cum quis elicit actum charitatis nondum satisfecit praecepto poenitendi, donec sequatur ipse actus poenitentiae, qui, ubi sit advertentia commissi peccati, necessario sequitur et imperatur ab actu charitatis; 2. quod si quis ponit solum actum charitatis quem nempe, ob peccati oblivionem, non subsequatur actus poenitentiae, nullatenus satisfacit praecepto poenitentiae, quamvis haec omissio sit inculpabilis ob impossibilitatem poenitendi et quamvis ex ipso actu charitatis illico homo justificetur. An autem in hoc casu quis teneatur postmodum elicere actum contritionis, quando de peccatis recogitat, est alia quaestio, immediate discutienda.

[23] *Suarez,* De Poenit., disp. 15, sect. 1, n. 12. 14, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 293.

2. *Utrum qui, peccatorum suorum immemor, justificatus fuit per solum actum charitatis, seu sine formali actu contritionis, adhuc teneatur satisfacere praecepto poenitentiae eliciendo formalem actum contritionis, et quidem statim ac peccata memoriae occurrunt.*

Negant quidam, ut *Vasquez* (In q. 86, a. 2, dub. 2) et *Lugo* (Disp. 7, sect. 12, n. 256), quia, inquiunt, nulla est ratio quare adhuc perseverare debeat obligatio poenitendi, siquidem per actum charitatis, tamquam per actum perfectiorem, suppletus est actus poenitentiae et praecipue obtentus est ejus finis qui est justificatio, obtento autem fine, cessat necessitas mediorum ad illum ordinatorum.

Merito vero *affirmant* communius theologi tam thomistae, ut *Nugnus, Prado* et *Salmanticenses* (Disp. 5, dub. 7, § 8), quam extranei, ut *Suarez* (Disp. 4, sect. 6; disp. 15, sect. 4; disp. 19, sect. 1), *Coninck* et *Becanus.* Hanc sententiam manifeste supponit *S. Thomas,* In 4 Sent., dist. 17, q. 2, a. 2, q. 3, ad 2: "Si . . . peccatum omnino a memoria excidit, tunc ex impotentia faciendi excusatur a debito, et sufficit generalis contritio de omni eo in quo Deum offendit. Sed quando impotentia tollitur, sicut cum ad memoriam peccatum revocatur, tunc tenetur homo specialiter conteri; sicut etiam pauper qui non potest solvere quod debet, excusatur; et tamen tenetur cum primo potuerit."

Ratio est ea quae exprimitur in his ultimis verbis S. Doctoris. Praeceptum enim poenitentiae obligat ex vi propria ad praestandam Deo satisfactionem pro peccato, quae nonnisi per actum contritionis praestatur; unde qui justificatus est per solam charitatem, cum nondum praestiterit Deo praedictam satisfactionem, eam, quam primum potest, offerre tenetur. Ceterum, etiam si abstrahatur a ratione satisfactiva et consideretur actus poenitentiae ut medium ad justificationem, adhuc ex hoc capite dici potest ejus obligatio perseverare post consecutam justificationem per solum actum charitatis. Nam ex hoc quod actus contritionis est stricte necessarius ad justificationem (excepto casu attritionis cum sacramento), ut probatum est in Concl. 1 et 2, sequitur quod actus charitatis, in casu oblivionis peccatorum, non justificat nisi veluti ex voto actus contritionis, qui proinde supplendus est etiam post assecutam justificationem, sicut accidit de Baptismo justificante per votum contritionis vel charitatis.

Unde ruit ratio adversariorum; nam actus charitatis, utut perfectior contritione et quodammodo virtualiter continens eam, non valet supplere actum contritionis neque sub ratione satisfactiva neque etiam simpliciter sub ratione medii ad justificationem, quia non aequivalet contritioni, cum eam proprie in se non contineat nec eminenter formaliter nec etiam eminenter virtualiter.

3. *Utrum qui justificatus est per solam attritionem cum sacramento adhuc teneatur satisfacere praecepto poenitentiae, seu elicere actum contritionis.*

Affirmant pauci, ut *Medina* (Cod. de Poenitentia, tract. 1, q. 2), *Vega, Valentia, Isambertus* et *Morinus* (De admin. Poenit., l. 8, c. 4), eo ducti motivo quod tenemur aliquando peccata retractare ac de eis dolere prout sunt offensa Dei atque Deo offerre perfectam satisfactionem, quae quidem per solum actum contritionis praestari possunt.

Merito vero *negant* communiter alii theologi, tam thomistae, ut *Salmanticenses* (l. c.), quam extranei, ut *Suarez* (Disp. 15, sect. 4, n. 13), *Vasquez* (l. c.) et *Lugo* (l. c., n. 255).

Etenim, posita institutione sacramenti, praeceptum contritionis (attenta contritione tum ut est satisfactio tum ut est medium justificationis) non est amplius absolutum sed veluti hypotheticum, seu potius ei substituitur generalius ac disjunctivum praeceptum poenitendi aut per attritionem cum sacramento aut per ipsum actum contritionis. Et ratio est quia per institutionem sacramenti Deus contulit homini aliquod medium poenitendi, satisfaciendi et obtinendi justificationem, omnino aequivalens actui contritionis, imo hunc superans, ob efficaciam virtutis et satisfactionis Christi quae adduntur imperfecto actui poenitentiae praestito ab homine per attritionem; unde hoc medium substituere valet actum contritionis et consequenter ab ejus obligatione liberare.

Unde ruit ratio adversariorum, quoniam per sacramentum cum attritione praestatur Deo perfecta compensatio pro peccato; nec refert quod attritio sit imperfecta retractatio peccati et nulla satisfactio, quoniam ex una parte est vera et efficax retractatio verusque actus poenitentiae, et ex alia parte duplex praedicta ejus imperfectio superabundanter compensatur per additam satisfactionem Christi et per hoc quod, juxta commune effatum theologorum, medio sacramento homo ex attrito fit contritus.

Et ut praecidatur *objectio* quae fieri potest ex opposita sententia, quam supra defendimus quoad obligationem conterendi post consecutam justificationem per actum charitatis, adverte magnum esse discri-

men inter utrumque casum. Nam imprimis actus charitatis nullo modo est actus poenitentiae, attritio vero est verus actus in linea poenitentiae seu retractationis et doloris de peccatis, quamvis sit actus imperfectus et non procedat ex ipsa virtute poenitentiae, non secus ac ipse actus charitatis. Praeterea, actus charitatis nullo modo est satisfactivus, dum attritio, quamvis ob ejus conjunctionem cum peccato non importet satisfactionem quae est propria actus contritionis, tamen conjungitur cum sacramento in unum quid, quod ex influxu satisfactionis Christi aequivalet ac substituitur satisfactioni quae per actum contritionis ab homine praestanda esset.

Ad rem apte *Suarez:* "Est magna differentia inter remissionem peccati comparatam per solum amorem sine ulla poenitentia formali, et comparatam per sacramentum cum attritione; nam illa prior non est dispositio per se sufficiens, nec formaliter continet satisfactionem a Deo requisitam; et ideo per illam non fit remissio nisi sub onere et voto poenitentiae; haec vero est dispositio et quasi satisfactio per se sufficiens ex institutione Christi, a quo facta est veluti commutatio quaedam necessitatis contritionis in necessitatem confessionis cum omnibus ad illam requisitis; et ideo illam absolute acceptat, ut satisfactionem sufficientem, suppleturque ex meritis Christi, per sacramentum applicatis, quod ex parte hominis deest, ac proinde non manet obligatio ulterioris contritionis; hic enim habet locum ratio supra tacta, quod remissa simpliciter injuria, cessat obligatio justitiae. Accedit etiam, quod institutio haec, et privilegium sacramenti non debuit fieri cum tanto gravamine, nimirum ut relicta absolute obligatione contritionis, adjungeretur onus confessionis; ergo facta potius est per modum commutationis; nam attritio conjuncta sacramento aestimatur et acceptatur per modum contritionis."[24]

Ad complementum dictorum et ad praecidendam aliam *objectionem* quae posset fieri a paritate inter casum contritionis justificantis ante sacramentum et casum sacramenti justificantis sine contritione, adverte qua diversa ratione charitas, contritio et sacramentum justificent. Sacramentum cum attritione justificat ex seipso sine essentiali ordine ad contritionem seu non ex voto illius, unde post susceptionem sacramenti non adest obligatio conterendi; contritio vero justificat per se quidem sed ex voto sacramenti, unde sacramentum in re suscipi debet tempore opportuno; charitas autem justificat per accidens, ob defectum formalis contritionis, et a fortiori ex voto contritionis (necnon sacramenti), unde manet obligatio et contritionem eliciendi et sacramentum suscipiendi.

[24] De Poenitentia, disp. 15, Sect. 4, n. 14, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 311 sq.

Conclusio 4. Praeceptum poenitendi est de jure divino non tantum positivo, seu a sola libera Dei voluntate inducto, sed etiam naturali, seu ex ipsa natura rei procedente (q. 84, a. 7, corp. et ad 1; In 4 Sent., dist. 22, q. 2, a. 3, q. 1, ad 2).[25]

Probatur.

1. Omne praeceptum habens pro objecto actum virtutis, qui sit medium necessarium ad salutem, est eo ipso de jure naturali, seu obligat ex ipsa natura rei quin indigeat a Deo per positivum actum voluntatis imponi; nam eo ipso quod actus virtutis sit medium necessarium ad finem salutis participat connaturaliter obligationem ipsius finis. Jamvero, supposita elevatione ad ordinem supernaturalem, praeceptum poenitentiae, non secus ac praeceptum charitatis aliarumque virtutum infusarum, habet pro objecto actum necessarium ad salutem. Ergo praeceptum poenitentiae, non secus ac praecepta aliarum virtutum infusarum, est non tantum positivum (quod saltem constat ex variis Scripturae comminationibus, de quibus in Concl. 1 et 3), sed etiam naturale, nec potest non pertinere ad jus naturale, si semel concedatur ipsum esse verum et distinctum praeceptum.

2. Ex jure naturali, seu ex ipsa natura rei, tenetur aliquis ad reparandam injuriam alteri illatam, nam ipsa natura seu ratio justitiae ex intrinseca quadam exigentia petit ut medium constituatur in suo objecto, seu ut restituatur per compensationem aequalitas ablata per injuriam. Ergo ex ipso jure naturali obligatur homo ad reparandam injuriam Dei, quod quidem non aliter fit quam per poenitentiam.

DICES 1. Praeceptum poenitendi est supernaturale; ergo non est de jure naturali.

RESP. Neg. cons. Haec objectio procedit ex aequivocatione, seu ex mala intellectione vocis "naturale", dicta de praecepto. Naturale enim dupliciter accipitur: primo, prout opponitur supernaturali, ac dicitur de re pertinente ad ordinem naturalem seu non elevatum per gratiam; secundo, prout opponitur libero, ac dicitur de re pertinente ad ipsam naturam seu essentiam alicujus rei nec ipsi addita per positivum actum voluntatis. Praeceptum igitur infusae poenitentiae dicitur naturale hoc secundo modo, prout nempe opponitur praecepto positivo; proprius loquendo ipsum est praeceptum supernaturale de jure naturali seu non positivo. Ceterum, ut in art. 16 (Concl. 1) ostensum est, etiam in ordine naturali datur praeceptum poenitendi de jure naturali, imo, ut ibidem dictum est, hoc praeceptum, posita elevatione ad ordinem supernaturalem, extenditur quodammodo indirecte ad ipsum supernaturale praeceptum poenitendi.

[25] De his textibus confer supra, art. 16, Concl. 1, p. 408 sq.

DICES 2. Omnia praecepta juris naturalis continentur formaliter vel virtualiter in Decalogo; praeterea, ipsa sunt secundum se immutabilia et indispensabilia. Poenitentiae vero praeceptum non continetur in Decalogo; item est mutabile, nam potest Deus non exigere satisfactionem injuriae, ac de facto non exigit in casu quo quis suscipiat sacramentum cum sola attritione.

RESP. Non omnia specialia praecepta juris naturalis debent contineri aut continentur in Decalogo, sed tantum quaedam principaliora vel generaliora vel immediatiora vel notiora; sic ipsum speciale praeceptum dilectionis Dei, quod tamen est radix et fundamentum ceterorum, non directe continetur in Decalogo, quamvis intime connectatur cum praecepto colendi et honorandi Deum, ad quem etiam reduci potest praeceptum poenitendi de offensa Dei.

Per hoc quod Deus cedat juri suo, non exigendo necessariam satisfactionem, non mutat aut supprimit praeceptum poenitentiae, sed tantum extinguit obligationem in homine, ut contingit etiam inter homines cum unus remittit alteri debitum, quin inde dici possit supprimi vel mutari praeceptum justitiae.

Supradicta autem doctrina *Suaresii et Lugonis*, distinguentium inter id quod est de jure naturali et id quod est de jure positivo in poenitentia, qua parte docet ipsum determinatum actum contritionis non esse de jure naturali sed positivo, fallax omnino est. Nam actus contritionis est proprius actus poenitentiae; unde si praeceptum poenitentiae est de jure naturali, maxime et per se ipse proprius actus ejus est de jure naturali. Nec valet distinguere inter intentionem satisfaciendi, aut satisfactionem in genere, et ipsam satisfactionem quae concrete praestatur per contritionem; nam, cum non aliter possit homo proprie satisfacere nisi per contritionem, si ex jure naturae tenetur ad satisfactionem, eodem jure tenetur ad contritionem.[26]

Conclusio 5. Praeceptum poenitentiae non obligat per se immediate post comissum peccatum (Quodlib. 1, art. 11; Suppl., q. 6, a. 5, corp. et ad 2 et 3).

Probatur 1. *EX PROPRIA RATIONE PRAECEPTI AFFIRMATIVI.*

Praeceptum poenitentiae non est negativum, sed affirmativum, ut

[26] Non vacat hanc sententiam longius refutare. Conferatur tamen, si placet, longa illius expositio ac defensio apud ipsum *Suarez* (loc. supra cit.) et non minus diffusa ipsius impugnatio apud *Salmanticenses* (Disp. 5, dub. 6, § 6).

patet tum ex modo quo profertur (Agite poenitentiam) tum maxime ex objecto quod importat, i.e. actu contritionis. Jamvero, dum praeceptum negativum, uti non furandi vel non occidendi, obligat semper et pro semper, eo quod omissio ejus quod praecipitur consistat in positivo actu commissionis qui est secundum se et semper malus, praeceptum affirmativum per se obligat semper at non pro semper, adeoque non per se statim, eo quod omissio ejus quod praecipitur est quid mere negativum, adeoque non simpliciter et secundum se malum, sed tantum pro determinato tempore, quod est tempus necessitatis, diverso modo aestimandum juxta indolem diversorum praeceptorum. Ergo praeceptum poenitentiae non urget per se immediate post commissum peccatum.

Ad rem *S. Thomas, Quodlib. 1, a. 11:* "Laudabile est quod peccator quam citius commode potest, peccatum suum confiteatur; quia per sacramentum poenitentiae confertur gratia, quae hominem reddit magis firmum ad resistendum peccato. Quidam autem dixerunt quod tenetur confiteri, quam cito opportunitas confitendi se obtulerit; ita quod si differat, peccat. Sed hoc est contra rationem praecepti affirmativi, quod licet obliget semper, non tamen obligat ad semper, sed pro loco et tempore. Tempus autem implendi praeceptum de confessione videtur quando imminet aliquis casus in quo necesse est homini quod sit confessus; puta si immineat mortis articulus, vel necessitas accipiendi Eucharistiam aut sacrum Ordinem, vel aliquid hujusmodi, ad quod oportet hominem per confessionem purgatum praeparari; unde si aliquid horum immineat, et aliquis confiteri praetermittat, peccat, dummodo debita opportunitas adsit. Et quia ex praecepto Ecclesiae omnes fideles tenentur saltem semel in anno, in festo Paschae praecipue, sacramenti communionem accipere, *ideo Ecclesia ordinavit* ut semel in anno, quando imminet tempus accipiendi Eucharistiam, omnes fideles confiteantur. Dico ergo, quod differre confessionem usque ad hoc tempus, per se loquendo, licitum est; sed per accidens potest fieri illicitum; puta si immineat aliquis articulus in quo confessio requiratur, vel si aliquis propter contemptum confessionem differat: et similiter per accidens posset esse talis dilatio meritoria, si ad hoc differret, ut prudentiori confiteretur, vel devotius propter sacrum tempus."

Ibid., ob. 3: "Ille qui est in peccato, non tenetur statim conteri contritione quae delet peccatum; alioquin peccator per singula momenta peccaret."

Suppl., q. 6, a. 5: "Cum propositum confitendi sit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propositum quando ad contritionem tenetur, scilicet quando peccata memoriae occurrunt, praecipue cum in periculo mortis existit, aut in aliquo articulo, in quo sine peccati

remissione oporteat eum peccatum incurrere; sicut cum tenetur sacerdos ad celebrandum, si non desit copia sacerdotis, confiteri tenetur, aut si desit, saltem conteri tenetur, et habere propositum confitendi, copia sacerdotis oblata."

Ibid., ad 2: "Non est de necessitate salutis corporalis ut statim medicus quaeratur, nisi quando necessitas curationis incumbit; et similiter est de morbo spirituali."

Ibid., ad 3: "Retentio rei alienae, invito domino, contrariatur praecepto negativo, quod obligat semper et ad semper, et ideo tenetur semper ad statim reddendum. Secus est autem de impletione praecepti affirmativi, quod obligat semper, sed non ad semper; unde non tenetur aliquis ad statim implendum."

Probatur 2. *EX INCONVENIENTIBUS OPPOSITAE SENTENTIAE.*

Si homo statim post peccatum teneretur ad contritionem eliciendam, *Primo* sequeretur quod quotiescumque quis in novum peccatum incideret contra quamlibet virtutem, simul peccaret duplici peccato, i.e. peccato impoenitentiae, contra praeceptum poenitentiae quod urgeret omni momento, et peccato opposito alteri peculiari virtuti: imo sequeretur quod homo, non poenitendo, tot peccata committeret quot sunt instantia temporis (cf. Quodlib. 1, nuper cit.) vel saltem committeret ininterruptum peccatum actuale impoenitentiae, et quod proinde de hac peccatorum multiplicatione aut diversitate deberent poenitentes se accusare in confessione et docti saltem ac timorati confessarii inquirere.

Quae omnia adversantur tum communi sensui fidelium tum praxi sive poenitentium sive confessariorum. Poenitentes enim, etiam illi qui raro vel semel in anno accedunt ad confessionem quique, ut frequenter accidit, nunquam actum contritionis elicuerunt, de speciali peccato aut peccatis differendi contritionem nequaquam se accusant, imo nec cogitant, neque de eo confessarii ullatenus solliciti sunt. Non licet autem asserere tam communem sensum et praxim Ecclesiae provenire ex errore in re tam gravi et ad spirituale bonum animarum immediate pertinente.[27]

Secundo sequeretur quod non liceret, imo nec esset possibile, accedere ad sacramentum Baptismi vel Poenitentiae cum sola attritione. Nam ex hoc ipso quod quis sciens et volens accederet cum sola attritione, peccaret mortaliter, omittendo contritionem; imo exinde nec ipsa attritio possibilis esset, quia non potest haberi verum propositum non peccandi (quale requiritur in omni sufficienti attritione) dum actu

[27] Cf. *Lugo*, Disp. 7, sect. 11, n. 196–198.

mortaliter transgreditur aliquod praeceptum, seu, in casu, praeceptum contritionis.[28]

Confirmatur a paritate cum praecepto confessionis, quod per se non urget statim sed pro tempore determinato. Paritas patet ex eo quod ex una parte utrumque obligat ad poenitendum, quamvis diverso modo, et ex alia parte non aliunde colligi potest aliquem non teneri statim ad confessionem quam ex eo quod ista subjacet praecepto affirmativo. Ad rem autem accidentalis et impertinens est disparitas inter actum conterendi et actum confitendi, uti quod prior, non alter, sit mere spiritualis adeoque tempore non mensurabilis et facile exequibilis. Id patet etiam ex toto contextu locorum S. Thomae supra cit., aequiparantis praeceptum contritionis et praeceptum confessionis quoad id quod est essentiale in hac quaestione de tempore obligationis.

DICES 1. Ex hoc quod poenitentia sit praeceptum affirmativum non recte infertur ipsum non obligare statim, in qua quidem illatione stat tota vis principalis argumenti. Etenim praeceptum charitatis seu conversionis ad Deum ut ultimum finem statim obligat in primo momento quo homo attingit usum rationis, ut docet *S. Thomas*.[29]

RESP. Praeceptum charitatis in praedicto casu statim obligat non per se et ratione objecti, secus obligaret non solum in illo momento sed etiam in instantibus succedentibus, sed per accidens et ratione subjecti (vel, si placet, per se sed in hoc subjecto), quia nempe in illo casu et pro illo subjecto primum momentum usus rationis est de facto tempus determinatum in quo urget praeceptum affirmativum, seu tempus necessitatis; tenetur enim homo in primo instanti usus rationis de seipso deliberare et ad ultimum finem se convertere, ad quem dirigere debet ceteras actiones suae vitae, quae quidem conversio fit per solum actum charitatis. Semel autem elicito actu charitatis et transacto primo illo instanti usus rationis, non tenetur homo ad eliciendum iterum actum charitatis in succedentibus instantibus, secus in unoquoque illorum peccaret; ex quo iterum confirmatur principium nostri argumenti, quod nempe praeceptum affirmativum non obligat pro semper sed pro tempore necessitatis.

INSTES. In casu quo puer perveniens ad usum rationis omiserit supradictum actum charitatis et conversionis ad Deum, ac ita peccaverit, ea conversionis obligatio iterum urgeret statim post peccatum omissionis, imo jugiter subsisteret donec impleretur; huic praeterea obligationi homo satisfacere non posset nisi auferendo peccatum per actum

[28] Cf. *Lugo*, ibid., n. 201.
[29] 1–2, q. 89, a. 6; In 2 Sent., dist. 42, q. 2, a. 5, ad 7; Quest. Disp. De Veritate, q. 28, a. 3, ad 4.

poenitentiae. Ex quo duo sequuntur: primo, praeceptum affirmativum jugiter urgere, quod est contra principium assumptum in argumento; secundo, ipsum actum poenitentiae statim urgere post commissum peccatum, quod est contra ipsam conclusionem.

RESP. In eo casu obligatio conversionis jugiter urgeret, non tamen pro semper, sed pro tempore necessitatis, quod tamen in casu esset totum et tantum tempus decurrens usque ad impletionem obligationis. Unde nihil inde sequitur contra principium assumptum in argumento.

Ad cujus rei intelligentiam adverte cum *Salmanticensibus* quod "dupliciter potest assignari tempus pro observantia alicujus praecepti; vel ut terminus finiens, et ut ita dicamus, concludens obligationem in momento determinati temporis, quin ultra illud protrahatur, ut est jejunium Ecclesiasticum, cujus praeceptum non obligat nisi pro illo die determinato, v.g. vigiliae aut Sabbati, et simile est praeceptum recitandi officium divinum, quod ultra illum diem naturalem non protendi, manifestum est ex communi Doctorum consensu. Vel ita ut designetur tempus non ut finiens obligationem, sed prohibens ne ultra illud praescriptum opus differatur. Qui obligandi modus differt a primo in eo, quod transacto eo tempore, non cessat obligatio, sed qui transgressus fuit praeceptum, adhuc tenetur, quam primum moraliter possit, illud observare. . . [Ita] certo die obligatus pecuniam solvere, si omittat, cum primum possit, solvere adhuc tenetur, eo quod terminus ille non sit impositus ad finiendam obligationem, sed ne diutius differetur solutio. Et hoc pacto obligari homines praecepto annuae Confessionis, aut Communionis docent communiter Theologi tam intra, quam extra Scholam D. Thomae. . .

"Porro instans illud primum usus rationis hoc secundo, non vero primo modo destinatum esse pro conversione hominis ad Deum, ex eo liquet: quia hominem deliberare de ultimo fine morali, eumque sibi praestituere, ut secundum rectam rationem vivere, et praedictum finem assequi valeat, non est pro illo instanti tantum, sed est negotium totius vitae, cui proinde semper incumbere, et in illum scopum collimare tenetur. Ridiculum enim, imo et absurdum foret solum uni instanti ingressus in vitam rationalem alligare obligationem totius vitae, in qua homo peregrinatur a Domino, et viam, ac merita parare debet coronae obtinendae; quin in toto vitae decursu obligaretur ad praedictam conversionem."[30]

Ex eo autem quod in illo casu simul cum praecepto charitatis urgeret quoque praeceptum poenitentiae nihil sequitur contra Conclusionem; nam imprimis id contingeret tantum in eo casu et ratione subjecti;

[30] De Poenit. disp. 5, dub. 7, § 2, n. 274, Curs. theol., t. 19, Parisiis, 1883, p. 581 sq.

secundo, id contingeret ratione temporis necessitatis, quod per accidens et de facto esset determinatum ad instans statim post peccatum, ut dictum est de ipso actu charitatis; tertio, id contingeret non per se et directe ratione ipsius praecepti poenitendi, sed per accidens et ratione impletionis praecepti charitatis quod exigeret actum poenitentiae.

Unde stat principium, quod nempe praeceptum affirmativum per se non obligat pro semper nec statim, sed in determinato tempore necessitatis, undecumque et quandocumque haec necessitas exurgat, sive ex propria exigentia praecepti sive ex exigentia alterius praecepti aut subjecti, sive statim sive in tempore posteriori; et stat Conclusio, quod nempe praeceptum poenitentiae per se numquam obliget statim post peccatum.

DICES 2 (ad mentem *Cajetani*, supra cit. in p. 475 sq.). Praeceptum poenitentiae, quamvis sit primario affirmativum, importat etiam praeceptum negativum non retinendi odium Dei, quo sensu dici potest praeceptum mixtum. Ergo saltem qua parte est negativum obligat statim ad deponendum odium Dei.

RESP. Nullum praeceptum affirmativum importat proprie loquendo praeceptum negativum, quamvis importet obligationem non omittendi actum positivum qui praecipitur, quae propterea non differt ab obligatione praecepti affirmativi sed est ea ipsamet obligatio expressa sub forma negativa. Sic praeceptum positivum audiendi Missam importat vel potius est idem ac obligatio non omittendi auditionem Missae, seu obligatio non non-audiendi Missam, seu obligatio audiendi Missam; et similiter praeceptum poenitendi est praeceptum non omittendi poenitentiam, seu non non-poenitendi, seu poenitendi. Proprie loquendo praeceptum negativum est id quod obligat ad non ponendum aliquem actum positivum, v.g. ad non furandum vel occidendum.

Praeceptum autem non retinendi odium Dei vel intelligitur de auferendo odio Dei habituali quod consistit in ipso statu peccati, et tunc est omnino idem ac ipsum praeceptum poenitendi, expressum sub forma negativa (non retinendi odium Dei = non impoenitendi), vel intelligitur de non ponendo actu positivo odii Dei aut actuali complacentia in statu peccati, quod est novum peccatum, et tunc est quidem verum praeceptum negativum, obligans statim et pro semper, sed non est praeceptum poenitentiae.

DICES 3. Si quis non teneretur ad eliciendum actum poenitentiae, saltem statim ac peccatum memoriae occurrit, sequeretur quod posset licite ponere hunc actum: Nolo poenitere, seu, Volo non poenitere; nam licitum est nolle quod licitum est non facere, et velle quod licitum est facere.

RESP. Dist. assertum: Posset quis licite ponere talem actum, si hic accipitur pro voluntate non poenitendi in aliquo determinato tempore, in quo nempe non urget necessitas poenitendi, *concedo*, nam talis voluntas non est mala nec est intentio persistendi in statu peccati, quia cum ea stat voluntas poenitendi tempore debito; si accipitur pro voluntate non poenitendi absolute et pro omni tempore, *nego*, nam haec voluntas est intrinsece mala eo quod importet intentionem persistendi in peccato et excludat voluntatem poenitendi tempore debito seu exequendi quando oportet praeceptum poenitentiae.[31]

DICES 4. Peccator tenetur statim ad conterendum, saltem ob periculum oblivionis peccatorum et consequens periculum nunquam poenitendi ac transgrediendi praeceptum poenitentiae.

RESP. Homo non tenetur nisi ad vitandum periculum peccati. Jamvero praedictum periculum oblivionis non constituit periculum peccati non poenitendi; nam oblivio peccatorum vel erit involuntaria ac inculpabilis, et tunc omissio poenitentiae non erit peccatum sed mera materialis transgressio praecepti poenitendi, vel erit voluntaria et culpabilis, et tunc omissio poenitentiae erit quidem peccatum et imputabilis, attamen non praecise ratione oblivionis, sed ratione voluntarietatis et culpabilitatis ipsius oblivionis, seu homo omittens actum poenitentiae peccabit non quia oblitus est, sed quia voluntarie et culpabiliter oblitus est. Si ob periculum oblivionis homo teneretur ad statim conterendum, ob eamdem rationem teneretur etiam ad statim confitendum, imo ad hoc teneretur fortiori ratione, cum confessio requirat determinatam et specificam memoriam peccatorum, quam non necessario requirit contritio, cum ipsa feratur ad peccatum sub communi et generica ratione offensae Dei. Jamvero, omnibus fatentibus, nemo tenetur ad statim confitendum.

DICES 5. Praeceptum poenitendi esse negativum, adeoque statim obligare, sequitur ex ipsa indole poenitentiae quatenus est quaedam justitia hominis ad Deum. Nam, juxta *S. Thomam* (2–2, q. 62, a. 8), ob injuriam alteri illatam, urget praeceptum negativum obligans ad statim reparandam injuriam media compensatione et restitutione rei ablatae. Ergo praeceptum poenitentiae, quo homo obligatur ad reparandam injuriam Deo illatam et restituendum Deo honorem quo ipse privatur per peccatum, est praeceptum negativum obligans statim.

RESP. Haec ratio laborat falsitate suppositi, quod nempe poenitentia consistat proprie in quadam restitutione boni ablati a Deo et quod proinde sit paritas inter praeceptum poenitendi et praeceptum resti-

[31] Hanc responsionem subtiliter expendunt *Salmanticenses*, Disp. 5, dub. 7, § 4, n. 285 sqq.

tuendi. Inter homines non omnis obligatio justitiae est obligatio compensationis et satisfactionis, nec omnis obligatio compensationis et satisfactionis est obligatio restitutionis (ut patet in obligatione solvendi debitum resultans ex contractu, quae est obligatio compensationis et satisfactionis, non vero restitutionis), quamvis ex injuria seu damno, tam physico (ut in persona vel bonis exterioribus) quam morali (ut in ablatione famae vel honoris), resultet obligatio non solum satisfactionis sed etiam restitutionis, seu satisfactionis per restitutionem.

In homine autem peccatore relate ad Deum resultat obligatio justitiae, et quidem compensationis et satisfactionis per actum poenitentiae, quae tamen nequit esse restitutio, adeoque non est materia praecepti negativi obligantis ad statim. Et ratio disparitatis est quia omnis offensa homini illata aufert ab homine aliquod bonum physicum vel morale, quod proinde restituere oportet, dum offensa Deo illata nihil aufert a Deo, nec proinde appellat obligationem restitutionis. Tota enim damnificatio, quam peccatum inducit, se habet ex parte ipsius peccatoris, nec ullum Deus ipse detrimentum capit, tam physicum quam etiam morale, sed totum damnum peccati, etiam relate ad Deum, se habet in affectu potiusquam in effectu.

Nec valet insistere quod per peccatum damnificatur Deus etiam in effectu, seu in bonis extrinsecis moralibus, quatenus nempe ipse privatur honore apud homines, non secus ac ipsi homines damnificantur per ablationem famae.

Nam imprimis, ex multis peccatis, utpote occultis, non aufertur honor Dei apud homines, ergo saltem de illis non oportet statim poenitere, et tunc oporteret duplex distinguere praeceptum poenitentiae, alterum mere restitutivum, alterum mere satisfactivum, cum tamen praeceptum poenitentiae sit unum et simplex. Secundo, quoad ipsa peccata exteriora et publica, sufficeret praestare exteriorem reparationem, puta praedicando Dei magnalia aut mere exterius observando divina praecepta, absque interna retractatione peccatorum, in qua consistit poenitentia; unde tunc non urgeret ipsum praeceptum poenitendi, de quo est quaestio. Tertio, ipsa externa violatio legis divinae non proprie aufert a Deo honorem et famam apud homines, quia exinde non minuitur aestimatio Dei apud homines, sed potius accrescit manifestatio clementiae ejus qui illico de peccatis non ulciscitur sed sole suae beneficentiae pergit illuminare et calefacere bonos et malos. Quarto, offensa Dei reparanda, secus ac offensa in hominem, consistit essentialiter in voluntate, seu in affectu, ac ideo appellat satisfactionem quae in solo affectu consistere potest, nec potest habere rationem restitutionis, quia, ut jam dictum est, tota ejus damnificatio manet ex parte voluntatis et affectus offensoris.

DICES 6. Praeceptum correctionis fraternae obligat statim. Ergo a pari, imo a fortiori, praeceptum correctionis propriae, seu poenitentiae.

RESP. Neg. antec. Praeceptum correctionis fraternae urget (non secus ac praeceptum poenitentiae) tempore determinato ab opportunitate et necessitate. Et quidem si consideratur peccatum fraternum ut praeteritum, aliquis non tenetur ad eum statim corrigendum, sicut ipse peccator non tenetur statim ad seipsum corrigendum seu ad poenitendum, strictior enim est obligatio hominis ad seipsum quam ad alios; si vero consideratur peccatum fraternum ut praesens, vel ut futurum (i.e. prout adest imminens periculum peccandi), tunc aliquis tenetur ad eum statim corripiendum, si tamen id sit opportunum, seu fieri possit cum spe emendationis, eo quod tunc sit tempus necessitatis, sicut etiam unusquisque statim tenetur ad cessandum a peccato actuali et vitandum periculum peccandi, quod tamen non pertinet ad poenitentiam, de cujus ratione est respicere peccatum habituale jam commissum.

DICES 7. Ipse *S. Thomas* videtur docere obligationem statim poenitendi.

In ipso enim eodem textu *In 4 Sent.*, allato ad probandam Conclusionem, ait hominem teneri ad contritionem "quando peccata memoriae occurrunt".

Similiter etiam in *Quodlib. 1, a. 11,* ibidem allato, S. Doctor in resp. ad arg. Sed contra, ait: "Morbus corporalis, nisi per medicinae remedium extinguatur, semper invalescit in pejus, nisi forte etiam virtute naturae fuerit extinctus; morbus autem peccati extinguitur per contritionem; unde non est simile"; quorum verborum sensus hic est: Morbo corporali statim adhibendum est remedium medicinae, quia secus invalescit in pejus, morbo vero spirituali non est statim adhibendum remedium confessionis, quia ipsum extinguitur per remedium contritionis; ex quo, juxta mentem S. Thomae, sequitur contritionem statim adhibendam esse.

Praeterea, in *2–2, q. 62, a. 8,* ait: "Manifestum est autem quod nec per modicum tempus licet in peccato morari; sed quilibet tenetur peccatum statim deserere, secundum illud Eccli. xxi, 2: 'Quasi a facie colubri fuge peccatum'."

RESP. Ex contextu objectorum textuum patet nihil inde confici contra Conclusionem.

Ad primum textum dicimus imprimis quod si ea verba sumantur prout sonant et abstracte a contextu, sequeretur quod homo deberet continuo poenitere, si continuo peccata memoriae occurrerent, quod est contra doctrinam S. Thomae in q. 84, a. 9, supra exposita in art. 21.

Indigent igitur ea verba quadam glossa seu explicatione. Quae duplex afferri potest ad mentem *Cajetani,* scilicet: 1. Cum peccata menti occurrunt oportet poenitere aut positive per actum contritionis (ut occurrit in pluribus, eo quod practica memoria in non dolente videtur parere approbationem seu complacentiam peccati) aut quasi negative, seu avertendo mentem a consideratione peccati, ut dictum est in art. 21; 2 (et melius): Oportet statim dolere de peccato quando occurrit ejus memoria in articulo necessitatis, seu tempore quo urget praeceptum poenitentiae, quod est praecipue periculum mortis.

Ad rem *Cajetanus:* "Divi . . . Thomae verba, si exacte librentur, non dicunt hominem teneri ad contritionem quando recordatur; sed unum *quando* determinant per alterum *quando*. Nam dicunt, *quando peccata memoriae occurrunt cum in periculo mortis existit aut aliquo articulo:* ubi apparet quod tempus memoriae determinatur per tempus periculi mortis vel per tempus alicujus articuli, etc. Nec obstat quod apponitur ly *praecipue*. Quoniam ly *praecipue* principalitatem denotat periculi mortis respectu alterius partis disiunctivae, scilicet, *aut alicuius articuli* etc.: periculosius enim omittitur contritio in periculo mortis, quia non restat *locus poenitentiae* [Hebr. 12, 17]. Vel ly *praecipue* denotat principalitatem rationis obligativae ad contritionem: ita quod tempus memoriae est quaedam ratio conterendi; sed, quia non est sufficiens ratio obligandi ad conterendum, ideo additur principalis ratio obligandi, dicendo, *cum praecipue periculum aut articulus* etc. Et redit eadem conclusio."[32]

Ad secundum textum dicendum quod, ut patet ex secunda et tertia obiectione ejusdem articuli, S. Thomas loquitur de homine *jam per contritionem justificato,* et sensus illius textus est: hominem jam contritum non teneri ad adhibendam statim medicinam *confessionis,* eo quod peccatum jam extinctum sit per contritionem, dum corporaliter infirmus tenetur statim adhibere medicinam secus morbus invalescit in pejus, nisi in aliquo casu ex virtute naturae ipse extinguatur, sicut morbus spiritualis extinguitur per contritionem. Exinde tamen non sequitur S. Doctorem asserere vel supponere contritionem, secus ac confessionem, esse statim adhibendam, quinimmo hoc explicite negat in textu ejusdem articuli supra citati in probatione Conclusionis. Praeterea, in loco In Sent., ad 2, cit. ibidem, adducens eandem comparationem inter morbum corporalem et spiritualem, simpliciter docet in utroque casu non esse necessarium remedium adhibere nisi cum urget necessitas.

[32] Opusc. 27, quaest. 7, cf. in editione leonina operum S. Thomae, t. 12, p. 378.

Ad tertium textum dicendum quod non est ad rem; nam ibi S. Thomas loquitur *de peccato actuali* (i.e. de actuali retentione rei alienae, quae est objectum totius articuli), a quo docet esse immediate desistendum, cum sit intrinsece malum in peccato actuali perseverare; hic vero nos agimus de peccato habituali, de quo quaeritur an sit statim poenitendum.

Conclusio 6. Praeceptum poenitendi obligat per se peccatorem in articulo mortis (cf. eosdem locos S. Thomae cit in Concl. praec.).

Probatur.

Nam praeceptum affirmativum, quale est praeceptum poenitendi, obligat in aliquo determinato tempore, quod est tempus necessitatis; nullum autem est tempus magis determinatum ac necessarium poenitendi, quam articulus mortis, eo quod post ipsum non sit amplius tempus aut possibilitas adimplendi praeceptum, cum morte claudatur tempus merendi et poenitendi.

Hic autem stricte intelligas articulum mortis ut distinctum a simplici periculo mortis, seu de illis circumstantiis, in quibus, consideratis viribus naturalibus et his quae communissime contingunt, moraliter certo sequitur mors, uti ex morbo aut vulnere lethali. Periculum vero mortis stricte intelligitur cum, in iisdem circumstantiis vel contingentiis, probabiliter sequitur mors, ut in valde periculosa navigatione vel cruento bello. Ceterum, theologi frequenter eandem poenitendi necessitatem asserunt etiam quoad simplex periculum mortis, quod, etsi non ita certum sit, eo quod post tale periculum adhuc maneat possibilitas poenitendi in subsequenti articulo mortis, tamen valde probabile est, quia qui in tali circumstantia non poenitet, videtur sese exponere proximo periculo moriendi absque poenitentia. Idem dicatur de articulo vel periculo perpetuae amentiae, quae morti morali assimilari potest.

NOTA. *Disputatur inter theologos an praeceptum poenitentiae obliget in articulo mortis etiam eum qui justificationem acquisierit per attritionem cum sacramento, quamvis talis non obligetur ad contritionem citra articulum mortis, ut ad minimum probant quae diximus supra* (p. 492 sq.).

Affirmant quidam, ut *Th. Sanchez* (Tom. 1, in Decalog., l. 1, c. 9, n. 34), *Valentia, Granados et Bonacina,* dicentes quod communis sententia docens attritionem cum sacramento sufficere ad justificationem, non est omnino certa, adeoque qui est in articulo mortis constitutus nequit, quin sese exponat periculo damnationis, eo remedio contentus esse, sed debet certum omnino remedium quaerere per actum contri-

tionis; in decursu vero vitae potest quis licite contentus esse eo incerto remedio, sequendo communem sententiam, nec tenetur actum contritionis elicere, eo quod ita non se exponat periculo damnationis.

Pro hac sententia citatur (a Lugone et aliis) etiam *Suarez* (Disp. 15, sect. 5, n. 17–19), quem fere ad verbum sequuntur *Wirceburgenses* (De Poenit., disp. 1, c. 4, a. 2, n. 84). Attamen Suarez, praemisso quod haec sententia sibi videatur valde probabilis, simpliciter concludit negando talem hominem obligari ad contritionem, addens tamen eum obligari ad actum charitatis, quia obligatio charitatis maxime urget pro omnibus in articulo mortis; cum autem actus charitatis sit virtualis contritio, ideo, addunt Wirceburgenses: "Fideles in articulo mortis tenentur ad perfectam contritionem saltem virtualem de suis peccatis, licet norint, se illa cum attritione modo confessos eisque absolutos fuisse, aut adhuc confessuros." Unde patet Suaresium simpliciter adnumerandum esse patronis sententiae negativae mox exponendae, quidquid sit tum de ejus benignitate erga sententiam affirmativam tum de ejus sententia circa necessitatem actus charitatis in articulo mortis.

Merito vero negant alii theologi communius, ut (praeter *Suarez*) *Becanus, Fagundez, Laymann, Diana, Lugo* (Disp. 7, sect. 13) et *Salmanticenses* (Disp. 5, dub. 7, § 7) cum frequentioribus thomistis, docentes nulli periculo damnationis sese exponere peccatorem qui in periculo mortis contentus est sacramento Poenitentiae cum attritione, non secus ac qui contentus est sacramento Baptismi in eodem periculo mortis; nam haec sacramenta sunt instituta a Deo in adjutorium hominis ad hoc ut quodammodo suppleatur actus charitatis et contritionis in ordine ad justificationem. Valet proinde paritas quoad non urgentiam obligationis conterendi inter periculum mortis et decursum vitae.

Ratio autem in qua fundatur sententia adversariorum, quia scilicet efficacitas sacramenti cum sola attritione non est certa, nihil valet; nam ea efficacitas est saltem moraliter certa (utpote de communissima sententia theologorum); jamvero ad licite agendum sufficit certitudo moralis, secus similiter non liceret homini accedere ad sacramenta, cum de sufficientia suarum dispositionum nequeat esse absolute certus, nec liceret etiam in decursu vitae accedere ad sacramentum Poenitentiae cum sola attritione, cum nunquam liceat sese exponere periculo proximo peccandi et nullum aut infructuosum reddendi sacramentum Poenitentiae.

Conclusio 7. Praeceptum poenitendi per se obligat etiam citra mortis periculum, ita nempe quod homo teneatur non diu permanere in statu peccati, sed debeat hunc statum per actum contritionis removere intra ali-

quod non diuturnum tempus moraliter aestimandum (1–2, q. 109, a. 8; In 4 Sent., dist. 17, q. 3, a. 1, q. 4).

Probatur 1. *EX SCRIPTURA ET PATRIBUS.*

Eccli. 5, 4–8: "Ne dixeris: Peccavi; et quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum. Et ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur; misericordia enim et ira ab illo cito proximant, et in peccatores respicit ira illius. Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem".

Eccli. 17, 21–23, 26–27: "Convertere ad Dominum, et relinque peccata tua; precare ante faciem Domini, et minue offendicula. Revertere ad Dominum, et avertere ab injustitia tua, et nimis odito execrationem. . . Ne demoreris in errore impiorum; ante mortem confitere; a mortuo, quasi nihil, perit confessio. Confiteberis vivens, vivus et sanus confiteberis".

Apoc. 2, 5, cit. in Concl. 1 (p. 478).

Rom. 2, 4 sq.: "Ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, et impoenitens cor, thesaurizas tibi iram in die irae, et revelationis justi judicii Dei".

Augustinus, Serm. 255, De Poenitentia (in Appendice, inter Sermones de tempore): "Datur quidem etiam in extremis poenitentia, quia non potest denegari; sed auctores tamen esse non possumus, quod qui sic petierit, mereatur absolvi. Quomodo enim agit poenitentiam lapsus? Quomodo agit poenitentiam in extremis vitae finibus constitutus? Quomodo poenitentiam agere possit, qui nulla jam pro se opera satisfactionis operari potest? Et ideo poenitentia quae ab infirmo petitur, infirma est. Poenitentia quae a moriente tantum petitur, timeo ne ipsa moriatur. Et ideo, dilectissimi, quicumque invenire vult misericordiam Dei, sanus agat poenitentiam in hoc saeculo, ut sanus esse valeat in futuro" (M.L. 39, 2217).

Leo M., Epist. 108 (ad Theodorum forojuliensem), 5: "Oportet unumquemque Christianum conscientiae suae habere judicium, ne converti ad Deum de die in diem differat, nec satisfactionis sibi tempus in fine vitae suae constituat: qua periculose hac se conditione fragilitas et ignorantia humana concludit, ut ad paucarum horarum se reservet incertum; et cum possit pleniore satisfactione indulgentiam promereri, illius temporis angustias eligat, quo vix inveniat spatium vel confessio poenitentis, vel reconciliatio sacerdotis" (M.L. 54, 1013).

Pseudo-Augustinus, De vera et falsa poenitentia, 17, 33: "Quae

conversio si contigerit alicui etiam in fine, desperandum non est de ejus remissione. Sed quoniam vix rel raro est tam justa conversio, timendum est de sero poenitente. Quem enim morbus urget, et poena terret, ad veram vix veniet satisfactionem, maxime cum filii quos illicite dilexit praesentes sint, uxor et mundus ad se vocent. Multos solet serotina poenitentia decipere. Sed quoniam Deus semper potens est, semper potest etiam in morte juvare quibus placet. . . Sed quia iam multa sunt quae impediunt et languentem retrahunt, periculosissimum est et interitui vicinum, ad mortem protrahere poenitentiae remedium" (M.L. 40, 1128).

Ex his et similibus verbis, tam gravibus et comminativis, recte colligitur tum necessitas non nimium differendi poenitentiam, tum ipsum praeceptum prohibens diuturnam ejus dilationem; non enim aliter ipsi adversarii cum aliis theologis ex Scriptura et Patribus colligunt tum ipsum praeceptum poenitendi (cf. Concl. 3), tum praecepta ceterarum virtutum supernaturalium, nominatim fidei et charitatis.

Nec valet opponere quod si ea verba premantur, colligi etiam posset praeceptum statim poenitendi, quod tamen supra negavimus.

Nam nullibi dicitur esse statim poenitendum, sed tantummodo dilatio poenitentiae graviter et emphatice improbatur.

Item non valet opponere Scripturas et Patres vehementer reprehendere dilationem poenitentiae quia exinde sequitur facilitas peccandi, difficultas poenitendi in fine vitae, transgressio quorumdam aliorum praeceptorum, quae, uti praeceptum charitatis, nequeunt observari nisi a poenitente; ex quo tantum sequitur dilationem poenitentiae prohiberi per accidens, non vero per se ex directo praecepto non differendi poenitentiam.

Nam in praefatis textibus ipsum factum dilationis poenitentiae directe impugnatur, ipsa dilatio ut malum improbatur et ex ipsa dilatione, non vero immediate ex periculo transgrediendi aliquod particulare praeceptum, colligitur periculum salutis aeternae.

Ceterum, non refert quod ad constituendum periculum salutis, in quo fundatur obligatio non differendi poenitentiam, concurrant mediate transgressiones aliorum praeceptorum, quia istae concurrunt ratione ipsius dilationis poenitentiae; ex hoc enim quod quis differt poenitere provenit ut in tot peccata labatur et tot praecepta violare cogatur ut sese constituat in periculo salutis aeternae; unde praeceptum non differendi poenitentiam obligat per se et non tantum ratione aliorum praeceptorum implendorum.

Ad rem *Salmanticenses:* "Quod ut fiat manifestius, et relatae evasiones radicitus evellantur, recolenda est doctrina, quam tradidimus

tract. de Peccatis disp. 20, dub. 1, § 1, n. 6, ubi statuimus quam optime stare, quod praeceptum obliget ratione periculi delinquendi contra alia praecepta, et nihilominus obliget per se, et ratione sui, ut de praecepto conversionis in primo instanti ibi statuimus.

"Et ratio est; quia obligatio per se oritur ex periculo per se; hoc autem periculum eatenus ita dicitur, quatenus ex absentia proprii actus proxime, et immediate oritur difficultas bene agendi. Porro istud accidit, quoties actus non casu, et contingenter, aut ex hujus, vel illius peculiaris accidentis occursu, sed ex natura rei, et ex ordine divinorum praeceptorum requiritur ad periculum vitandum: neque alia via, quam per talis actus positionem potest juxta communem ordinem rerum caveri; ipsumque periculum non urget dumtaxat contra hoc, vel illud praeceptum determinatum, sed communiter, et indifferenter contra omnia, vel contra plura. Tunc enim obligatio est per se, et periculum ex absentia talis actus proveniens est etiam proximum, ut latius ibi expendimus, obligationem per se obligationi per accidens, et periculum periculo contra ponendo.

"Id vero etiam tenere in praesenti manifestum est; omnia quippe illa damna, quae ex mente SS. PP. imminent homini longo tempore in peccatis demoranti, proveniunt illi ex absentia Poenitentiae, ex qua redditur proxime impotens ad vitanda omnia peccata, et observanda omnia alia praecepta, graves tentationes contra illa insurgentes superandas, et alia innumera, quae longum esset recensere."[33]

Probatur 2. *EX RATIONE GRAVITATIS PERICULI QUOD INEST DIUTURNAE DILATIONI POENITENTIAE.*

Praeceptum poenitendi, quamvis non sit directe et proprie negativum ac proinde non obliget nec pro semper nec statim, tamen, ut requirit ipsa ratio praecepti affirmativi, obligat pro aliquo tempore quod determinatur ab ipsa ratione necessitatis, non quidem necessario extremae, sed saltem gravis, ut patet ex inductione ab aliis praeceptis affirmativis, uti orationis et charitatis. Jamvero ipsa diuturna permanentia in statu peccati inducit per se rationem gravis necessitatis poenitendi, quamvis non extremae, quemadmodum articulus mortis. Ergo praeceptum poenitentiae obligat per se etiam citra mortis periculum, ad non diu nempe permanendum in peccato.

Ad minorem. Nam qui diu permanet in peccato sese exponit gravi, quamvis non extremo, periculo amittendae salutis aeternae, quia frequentius ac facilius peccat, in peccatis paulatim quodammodo obduratur eo quod habitus transeat in secundam naturam, facile exponitur

[33] De Poenitentia, Disp. 5, dub. 7, § 9, n. 323, Cursus theol., t. 19, Parisiis, 1883, p. 619 sq.

periculo finalis impoenitentiae tum ob varias causas quae possunt inducere repentinam mortem, tum ob difficultatem poenitendi in communi etiam articulo mortis, provenientem ex debilitate virium, tam corporis infirmi, quam animae peccatis diu adhaerentis.

Ad rem *Wirceburgenses:* "Non licet rem omnium maximam et difficillimam, cujusmodi est salus aeterna, per poenitentiam recuperanda, in illius momenti angustias conjicere; cum hora mortis sit incertissima, vires corporis et animi fractae . . . aut nimium debilitatae, et homo ad actiones bonas minine omnium idoneus. Quare *S. Hieronymus* in illud Ps. 37. 'Putruerunt et corruptae sunt cicatrices meae a facie insipientiae meae', addit, 'quia nolebam agere poenitentiam'. . .

"Quod si homines sanctissimi continuis precibus, jejuniis et lacrymis id sollicite student, ut gratiam finalem a Deo obtineant: quomodo prudenter eam sperabit, qui flagitiis jugiter immersus dedita opera statuit, in ultimo mortis articulo demum per poenitentiam ad Deum converti; cum tali homini poenitentia tunc fere sit impossibilis: vix enim adduci in extremo illo momento potest, ut absolute et efficaciter detestetur, et proponat deinceps, si convalesceret, vere cavere peccata, quibus adeo pertinaciter adhaeret. Quam ob causam *B. Chrysostomus,* hom. 80 ad populum. . .: 'Tam bona', inquit, 'quam mala, cum fuerint nimium immorata, potentiora fiunt'. Et *S. Bonaventura,* Tom. 1 Opusc. Collatione de contemptu saeculi: 'Hoc', inquit, 'teneo, verum puto, quod ei non bonus finis est, cui semper fuerit mala vita'."[34]

Haec probatio directe fundatur in sequentibus verbis *S. Thomae* (qui tamen praesentem quaestionem directe nullibi attingit): "Cum enim homo non habet cor suum firmatum in Deo, ut pro nullo bono consequendo vel malo vitando ab eo separari vellet, occurrunt multa propter quae consequenda vel vitanda homo recedit a Deo, contemnendo praecepta ipsius; et ita peccat mortaliter, praecipue quia 'in repentinis homo operatur secundum finem praeconceptum, et secundum habitum praeexistentem', ut Philosophus dicit [Ethic., l. 3, c. 8]. Quamvis ex praemeditatione rationis homo possit aliquid agere praeter ordinem finis praeconcepti, et praeter inclinationem habitus. Sed quia homo non potest semper esse in tali praemeditatione, non potest contingere ut diu permaneat quin operetur secundum convenientiam voluntatis deordinatae a Deo, nisi cito per gratiam ad debitum ordinem reparetur" (1–2, q. 109, a. 8).

---

[34] Theologia Dogmatica, t. 10, De Poenit., disp. 1, c. 4, a. 2, n. 85, Parisiis, 1880, p. 75 sq.

Probatur 3. *EX RATIONE PARITATIS CUM PRAECEPTIS FIDEI, SPEI ET CHARITATIS.*

Haec praecepta, utut tantum affirmativa, obligant aliquando in vita citra articulum mortis, et peculiariter praeceptum charitatis obligat tum initio vitae rationalis, tum in articulo mortis, tum in decursu vitae, ut constat ex damnatione, lata ab Alexandro VII, Innocentio XI et Alexandro VIII, quarumdam propositionum, contrarium inculcantium (Denz. 1101. 1155. 1156. 1157. 1167. 1289). Ergo a pari etiam praeceptum poenitentiae obligat aliquando in vita, citra articulum mortis.

Paritas constat ex hoc quod ratio quare ea praecepta obligent aliquando in vita, citra mortis articulum, est quia actus illarum virtutum versatur circa finem ultimum, ad quem necesse est hominem aliquoties in vita actualiter tendere; jamvero non minus est homini necessaria conversio ad Deum, quam tendentia in ipsum ut in ultimum finem, cum ab ipso actu poenitentiae pendeat et dilectio charitatis et ipsa attingentia ultimi finis.

DICES 1. Praeceptum poenitendi est affirmativum; ergo non obligat ad non differendum actum contritionis, secus esset negativum.

RESP. Quidam, improprie loquentes, aiunt praeceptum poenitendi includere etiam praeceptum negativum, qua parte prohibet dilationem; sed proprie dicendum est, adhuc quoad tempus praecedens articulum mortis, praeceptum poenitentiae esse simpliciter affirmativum, quamvis possit exprimi sub forma negativa prohibitionis dilationis vel obligationis non differendi poenitentiam. Praeceptum enim proprie negativum prohibet positionem alicujus actus positivi, dilatio vero actus poenitendi non est actus sed potius continuata omissio actus; praeceptum vero poenitentiae proprie obligat ad ponendum actum positivum contritionis intra tempus necessitatis, quod est *tempus non nimis protractum;* unde ratio negationis tota se habet non ex parte praecepti aut ejus directi objecti, sed ex parte conditionis objecti seu temporis, imo nec simpliciter ex parte temporis, quod tandem aliquando oportet ut sit secundum se determinatum, sed ex parte modi quo tempus aestimatur et exprimitur; ceterum potest hoc praeceptum sic etiam exprimi: homo tenetur ad actum contritionis eliciendum eo determinato tempore in quo ex omissione contritionis resultaret urgens necessitas seu periculum salutis.

DICES 2. Non est intelligibile certum ac determinatum praeceptum affirmativum quod *obliget ad indeterminatum tempus,* qualiter esset

praeceptum poenitentiae obligans ad aliquod indeterminatum temporis spatium, praeter determinatum tempus articuli mortis.

RESP. Tempus poenitendi, praeter mortis articulum, sufficienter determinatur, quamvis modo generico, per hoc quod dicitur non posse hominem diu omittere actum contritionis; major etiam determinatio assignari potest, juxta prudentum hominum judicium, quamvis id subsit fluctuanti aestimationi diversarum mentium, ut saepe contingit in rebus quae nonnisi moraliter aestimari possunt. Ceterum, id accidit etiam quoad tempus observandi praecepta fidei, spei et charitatis in decursu vitae, ut patet tum ex doctrina theologorum tum etiam ex modo memoratis documentis Ecclesiae.

Circa maiorem autem determinationem morae temporis, intra quam obliget praeceptum poenitendi, non parum insudant theologi.

Quidam ab assignanda generali regula prudenter se retrahunt, tanquam a re practice impossibili, eo quod, inquiunt, gravitas periculi diuturnae dilationis, ex quo exurgit obligatio poenitendi, non parum dependeat a peculiaribus conditionibus diversorum hominum. Ita *Suarez*[35] qui scribit: "[Haec difficultas] oppositum sentientes [i.e. adversarios obligationis] maxime movet, et nos etiam plurimum torquet, quia non possumus tempus hoc in particulari certo ac definite designare. . . Illud . . . tempus . . . prudenti arbitrio ipsius hominis, vel alterius, qui (ejus conscientia cognita) possit auxilium praestare, committendum est, ut pensatis circumstantiis omnibus judicet, an incipiat nimia esse dilatio."[36]

Generatim theologi conantur, cum judicio probabilitatis, tempus illud determinare, ita ut dicatur esse vel hebdomada (Concina), vel multi dies (Roncaglia), vel quatuor aut quinque menses (Billuart), vel sex aut octo menses (Nugnus), vel minus quam unus annus (S. Alphonsus), vel unus annus (ita plerique, nominatim Soto, Cano, Delgadillo, Laymann, Lugo, Salmanticenses, quibus videntur facile consentire moderni), vel plures anni (ita Lugo et Coninck, quatenus dicunt praeceptum certo violari si poenitentia differatur ad tres vel quatuor annos, ac praecipue Trullenchi qui, juxta Salmanticenses, permittit moram quinque vel septem annorum).

S. Alphonsus dubitat de veritate communioris sententiae, quae extendit tempus obligationis ad moram unius anni, et ait se illi non omnino acquiescere. Quidam, scribit, "putant excusari qui satisfacit confessioni annuali; et huic opinioni videtur adhaerere D. Thomas

[35] Diximus tamen supra (p. 476 sq.) in sententia Suaresii et S. Alphonsi obligationem poenitendi esse per accidens, seu provenire ex necessitate satisfaciendi praecepto charitatis.

[36] De Poenit., disp. 15, sect. 6, n. 20, Opera omnia, t. 22, Parisiis, 1866, p. 332 sq.

[In 4 Sent., dist. 17, q. 3, a. 1, q. 4]. Sed ego non omnino aquiesco: spatium enim anni satis notabile mihi videtur, ut quis, per tantum temporis existens in mortali, possit vitare periculum in alia facile relabendi. Nec valet dicere quod Ecclesia pro omnibus indistincte determinaverit tempus anni: nam Ecclesia hoc tempus solum determinavit ad obligationem confessionis, non autem poenitentiae. Non nego tamen quod peccatores, praesertim rudes, ab hoc peccato dilatae poenitentiae ob inadvertentiam ut plurimum, imo fere semper excusari possunt."[37]

Similiter sentit *Billuart*, scribens: "Sed quandiu debeat [poenitentia] differri, ut peccator censeatur hoc praeceptum transgredi et peccare mortaliter? Non determinavit S. Thomas [1–2 supra cit.], nec is sum ego qui determinare ausim. Equidem quidam dicunt posse sine novo peccato differri ad annum, quod non probo; alii ad quatuor aut quinque menses, quod non nego, nec affirmo. Id unum mihi certum videtur, esse illicitum ultra differre; quia mora ultra quatuor aut quinque menses, videtur diuturna, maxime si attendatur ad principium Auctoris. Sicut ergo qui ultra quatuor aut quinque menses differat elicere actus fidei et charitatis, meo saltem judicio, non eximeretur a peccato; ita qui omitteret contritionem: equidem sunt distincta praecepta, sed aeque ad minus urget praeceptum contritionis, ac praeceptum fidei et charitatis.

"Neque obstat quod Ecclesia praecipiat confessionem semel tantum in anno: sunt enim distincta praecepta, et Ecclesia praecipiens semel tantum in anno modum justificationis per confessionem non negat adhibendum esse citius alium modum per contritionem; rarius autem praecipit confessionem, forte quia est homini valde odiosa, non contritio; et scit peccatorem posse alia via justificari.

"Non etiam obstat quod confessarii non interrogent poenitentes qui ab anno non sunt confessi, an hoc praeceptum intra anni decursum impleverint. Nec enim etiam interrogare solent an per id tempus actus fidei, spei et charitatis elicuerint, quorum tamen obligatio urget. Dicendum itaque videtur quod, qui ab anno non sunt confessi, vel sunt consuetudinarii, et ii satis intelliguntur defuisse praecepto; vel non sunt consuetudinarii, et ii, cum deposuerint affectum peccati et intersint missae, divinis officiis, exhortationibus et praedicationibus, praesumuntur interdum elicere actus contritionis et virtutum theologicarum. Caeterum consultum foret ut et poenitentes de iis se examinarent et confessarii interrogarent."[38]

Attamen *communis illa sententia*, saltem attentis ordinariis hominum

[37] Theol. Moral. (ed. L. Gaudé), t. 3, n. 437, Romae, 1909, p. 434 sq.

[38] De Poenit., diss. 4, a. 3, Dico 3, Cursus theol., t. 9, Parisiis, 1904, p. 298 sq.

conditionibus et dispositionibus, probabilior videtur tum ob auctoritatem et numerum defensorum, tum attenta paritate cum praecepto eliciendi actum charitatis, qui non videtur per se obligare nisi intra spatium unius anni, tum ex eo quod Ecclesia extendat ad unum annum suam obligationem suscipiendi sacramentum confessionis, cujus ratio et intentio verisimiliter est ut homines satisfaciant, saltem per sacramenti susceptionem, ipsi generali praecepto poenitendi, urgentis intra idem tempus.

DICES 3. *S. Thomas*, Suppl., q. 6, a. 5 (i.e. In 4 Sent., dist. 17, q. 3, a. 1, q. 4, cit. in Concl. 5, p. 496 sq.) videtur docere praeceptum poenitendi per se obligare tantummodo in articulo mortis.

RESP. Id non necessario sequitur ex illis verbis S. Doctoris; imo in verbis quae immediate sequuntur in eadem q. 4 S. Thomas docet praeceptum confessionis (et a pari praeceptum contritionis) *per se* obligare ad non differendam confessionem ubi non sit rationabilis causa dilationis.

Conclusio 8. Praeceptum poenitentiae obligat per accidens in pluribus circumstantiis ob indirectam exigentiam aliorum praeceptorum, seu ex variis capitibus, quae ad unum genericum caput revocari possunt, scilicet ad necessitatem acquirendi statum gratiae in ordine ad urgens aliquod praeceptum adimplendum (In 4 Sent., dist. 17, q. 3, a. 1, q. 4).

Probatur.

Imprimis advertas alia praecepta dupliciter influere per accidens, seu exigere executionem praecepti poenitentiae: uno modo ut motiva immediata et inseparabilia, seu ut rationes quare oporteat quandocumque poenitere, et de his egimus in Concl. 3 (Nota 1), ubi dictum est hominem teneri ad poenitendum non solum ex intrinseco motivo justitiae erga Deum sed etiam ex extrinsecis motivis charitatis et misericordiae erga seipsum; alio modo ut motiva mediata et separabilia, seu ut rationes quare oporteat hic et nunc poenitere, et haec veniunt sub praesenti consideratione quae est de tempore poenitendi.

Porro hujusmodi motiva nonnisi ad unum caput reducuntur et ex una radicali ratione fluunt, scilicet ex necessitate procurandi per actum poenitentiae statum gratiae, sine quo praedicta praecepta observari nequeunt. Unde statuitur cum *S. Thoma* regula generalis: "Ad confessionem [vel contritionem] actualiter faciendam obligatur aliquis . . . per accidens . . . quando ad aliquid tenetur quod non potest . . . facere nisi confessus [vel contritus, seu nisi in statu gratiae]" (In 4 Sent., dist. 17, q. 3, a. 1, q. 4).

Determinate autem sequentes casus assignantur a theologis:

Primus casus est necessitas satisfaciendi praecepto charitatis. Potest enim verificari casus in quo urgeat praeceptum charitatis antequam urgeat per se praeceptum poenitentiae, ut constat saltem de homine qui, perveniens ad usum rationis, omiserit se convertere ad Deum ut ad ultimum finem. Tunc ergo exurgit per accidens obligatio ponendi actum contritionis, sine quo actus charitatis adimpleri nequit, ut dictum est in Concl. 5 (p. 498–500).

Secundus casus est necessitas exercendi aliquam actionem quae, ob suam dignitatem et sanctitatem, requirit in subjecto statum gratiae, qui nonnisi per actum contritionis comparari possit, ut si aliquod sacramentum sit suscipiendum vel conficiendum.

Quidam, ut *Marsilius, Angelus, Viguerius, Petrus de Soto,* docuerunt praeceptum poenitendi urgere in diebus festivis aut solemnioribus, ob finem sanctificandi hos dies, juxta divinum praeceptum quod exprimitur etiam in illis verbis Lev. 16, 30 sq.: "In hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris; coram Domino mundabimini. Sabbatum enim requietionis est, et affligetis animas vestras religione perpetua" (cf. 23, 3. 7. 21. 27–32). Attamen haec sententia reicitur communiter a theologis, ut fundamento destituta; nam finis legis non cadit sub lege, maxime si sit extrinsecus; jamvero interior sanctificatio est tantum finis extrinsecus legis sanctificationis dierum festivorum, cujus immediatum objectum, ut patet tum ex praecepto Ecclesiae tum ex invocato praecepto Synagogae, est tantum exterior sanctificatio illorum dierum per observationem quorumdam actuum cultus.

Tertius casus est necessitas superandi gravem tentationem, adeoque observandi praeceptum virtutis contra quam urget talis tentatio; nam, cum sine statu gratiae gravis tentatio superari nequeat (ut docent thomistae in tractatu De Gratia), ratione praecepti quo per se tenemur observare talem virtutem, urget per accidens praeceptum poenitendi, ut per actum poenitentiae obtineatur necessarius status gratiae.

Suarez tamen et *Wirceburgenses* excludunt hunc casum, ut non practicum, quia docent hominem sine gratia habituali cum solo auxilio gratiae actualis superare posse omnem etiam gravem tentationem, nisi forte, inquiunt, agatur de tentatione diuturna, quod tamen, addit Suarez, cum nunquam in praesenti constare possit et in quolibet tempore sperari possint auxilia actualia, vix intelligi potest constituere rationem obligantem ad actum contritionis.

Quartus casus est necessitas avertendi a tota communitate divinam

indignationem et punitionem; si enim privata peccata excitare possunt divinam iram in totam communitatem, privata quoque poenitentia potest eam avertere a tota communitate. Unde praeceptum charitatis potest imperare et urgere obligationem ortam ex praecepto poenitentiae. Quae tamen obligatio, ut recte advertit *Suarez*, non est exaggeranda sed potius ad aliquem rarum casum restringenda, eo quod ex una parte saepe oratio videatur sufficere ad praedictum finem, cum Deus etiam peccatores exaudiat, et ex alia parte particularis persona generaliter possit praesumere inveniri in communitate plures animas justas et poenitentes, quarum intuitu ira Dei placetur.

AD PRAXIM QUOD ATTINET, attentis dictis in tribus praecedentibus Conclusionibus, haec nota:

1. Qui moritur in peccato absque actu contritionis (vel susceptione sacramenti) migrat in alteram vitam cum speciali peccato impoenitentiae, praeter peccatum vel peccata commissa contra alias virtutes.

2. Qui in decursu vitae non poenitet quando praeceptum poenitendi obligat per se, iterum reus est specialis peccati impoenitentiae (praeter peccata commissa contra alias virtutes), quod tamen unicum est, seu non triplicatur ex triplici titulo unde fluit unica obligatio poenitendi.

3. Qui non poenitet (nec confitetur) intra quinquennium a commisso peccato, certe peccat (abstrahendo a peccato omissae conversionis); juxta aliquos quidem theologos, peccat contra charitatem seu violando praeceptum poenitentiae obligans per accidens, juxta aliorum vero et nostram sententiam, peccat peccato impoenitentiae, violando nempe per se praeceptum ipsum poenitentiae.

4. Qui intra annum non poenitet, juxta nostram sententiam est probabiliter reus ejusdem peccati impoenitentiae, praeter quam violationis praecepti ecclesiastici annuae confessionis; non tamen committit duplex peccatum, sed unicum peccatum impoenitentiae, nam duo praecepta conterendi et confitendi concurrunt veluti in unam et eamdem obligationem disjunctivam poenitendi per susceptionem sacramenti aut per contritionem cum voto sacramenti, adeoque etiam transgressio utriusque, quamvis metaphysice sit duplex omissio, moraliter tamen assumit speciem unius tantum peccati.

5. Qui inculpabiliter omittit confessionem annuam, non ideo inculpabiliter omittit etiam contritionem, sed tenetur saltem conteri, secus committit peccatum impoenitentiae.

6. Qui non satisfacit praecepto poenitentiae cum obligat tantum per accidens et ratione alterius, quodcumque hoc sit, etiam praeceptum

charitatis, non peccat contra praeceptum poenitentiae sed contra aliud quod per se urget, nec proinde committit speciale peccatum impoenitentiae, sed unicum tantum peccatum contra alterum praeceptum vel virtutem, puta contra charitatem vel contra sanctitatem sacramenti sacrilege suscepti. Ratio est quia in tali casu non proprie et directe praeceptum poenitentiae obligat, sed aliud, actus vero poenitentiae se habet tantum ut medium vel conditio sine qua illi nequit satisfieri, media autem cadunt sub eadem formali obligatione sub qua cadit ipse finis.

7. Violatio praecepti poenitentiae obligantis per accidens non est accusanda in confessione, non tantum quia ex se et necessario innotescit, sed maxime quia non constituit speciale peccatum. De violatione autem praecepti poenitentiae obligantis per se, quamvis sit speciale peccatum et proinde materia accusanda, non est anxie investigandum aut poenitentes specialiter interrogandum, tum quia, ut advertit *S. Alphonsus* (supra cit., p. 513), "peccatores, praesertim rudes, ab hoc peccato dilatae poenitentiae ob inadvertentiam ut plurimum, imo fere semper excusari possunt", tum quia si agitur, ut communiter contingit, de poenitentibus accedentibus ad confessionem saltem semel in anno, solide probabile est, ut diximus supra, eos per confessionem annuam satisfacere etiam praecepto poenitendi, si vero agitur de his qui per plures annos confessionem omiserunt, ex ipso eorum statu et confessione innotescit transgressio praecepti poenitentiae; quod si, ut advertit *Lugo* (Disp. 7, sect. 11, n. 243), in rarissimo aut vix cogitabili casu, id non innotesceret et simul inexcusabilitas poenitentis suspicaretur, interrogatio facienda esset.

INDEX BIBLICUS

(Numeris paginarum ordinariis indicatur simplex mentio, italicis vero explicita citatio, crassioribus tandem aliquid notabilius)

INDEX EXEGETICUS

(Textus citantur juxta ordinem quo occurrunt in hoc tractatu)

INDEX THOMISTICUS

(Numeris paginarum ordinariis indicatur simplex mentio, italicis vero explicita citatio, crassioribus tandem aliquid notabilius)

(*Vide:* INDEX ANALYTICUS: Thomas Aquinas)

COMMENTARIUS IN 4 LIBROS SENTENTIARUM

SUMMA CONTRA GENTILES

QUAESTIONES DISPUTATAE

QUODLIBETA

OPUSCULA

COMMENTARII IN S. SCRIPTURAM

COMMENTARII IN OPERA ARISTOTELIS

INDEX ONOMASTICUS

(Numeris paginarum ordinariis indicatur simplex mentio, italicis vero explicita citatio, crassioribus tandem aliquid notabilius)
(Quoad nomina stellulis signata vide: INDEX ANALYTICUS)

INDEX ANALYTICUS

(Quoad nomina stellulis signata vide: INDEX ONOMASTICUS)